Utrecht University Library
Partner in Science
Universiteit Utrecht

Ad Iac. Palaeologi librum, cui titulus est, defensio verae sententiae de magistratu politico, &c. : Pro Racouiensibus responsio.

https://hdl.handle.net/1874/456815

AD IAC. PALÆOLOGI LIBRVM, CVI TITVLVS EST, DEFENSIO VERÆ SENTENTIAE DE MAGISTRATV POLITICO, &c.

PRO RACOVIENSIBVS RESPONSIO.

Paulus. 2. ad Corinth. 5.
Vetera transierunt, ecce facta sunt omnia noua.

Ex Typographia Theophili Adamidis.
cIↃ. IↃ. XXCI.

IN RESPONSIONEM PRO RACOVIENSIBVS AVCTORIS PRÆFATIO AD IPSVM PALÆOLOGVM.

NON dubitabam, Iacobe Palæologe, cum hanc tibi pro Racouiensibus respondendi prouinciam susciperem, quin tibi id nō modò nouum accideret, sed etiam temerarium videretur, meque vehementer accusares, qui abs te ne verbo quidem lacessitus tecum cōtendere, & in alienam messem (quod aiunt) falcem immittere ausus essem. Id quod mihi ipsi, vt verum fatear, mirum quodammodo videtur. præsertim cum considero, quis nam ego sim, qui cum Palæologo tanto viro, tantaque eruditione, atq; eloquentia polente disputando congredi, & manum conserere non dubitem. Nec sanè hoc meum factum probare ipse possem, nisi religionis negotium non priuati, sed publici cuiusdam iuris esset. vt cuilibet aduersus eos, qui veram pietatem, vitæq; innocētiam, quibus vniuersa religio continetur, aut conuellere, aut labefactare quoquo modo tentant, diuinis armis pugnare, ipsaq; fortiter resistere semper licuerit. maximè verò, si per speciem pietatis, siue prudentes, siue imprudentes, tam impium facinus aggrediātur. Quod te libro tuo aduersus Racouienses nuper edito facere, mihi quidem persuasissimū est, idemq; omnibus pijs, qui modò responsionem hanc meam perlegere grauati non fuerint, persuasum iri planè cōfido. Huc accedit, quòd Racouienses isti, siue Racouiēsis cœtus, quem tu petis, atq; oppugnas, vel non amplius extat, vel ita hodie mutatus est, & in aliam quodammodo formam versus, vt agnosci non queat, atque ob eam ipsam caussam tu quidem cum laruis (vt dicitur) luctatus fuisse videare, ego verò nullo modo aliena, sed, quæ innocentium hominum prorsus cōmunia iam sint facta, curasse, nec quod aliorum proprij muneris erat, in me

transiuliſſe, ſed deſertam pæne cauſſam defendendam ſuſcepiſſe, ci poſſim. Etſi enim viuit adhuc Gregorius Paulus auctor ſcrip contra ſententiã tuam Racouienſium nomine conſcripti, tamen tror, non ſe, ſed cœtum illum eius ſcripti auctorem agnoſci terea, vt audio, ita præ egeſtate, & familiaris curæ neceſſario terarum ſtudijs iam pridem alienus eſt factus, tamque non te vtitur, & (quod huc maximè pertinet) tanto præſertim perpetuo vitio laborat, vt deſperandum omnino videatur, reſpondeat, calamum vnquam in manus eſſe ſumpturum. ne cordatum virum, & doctum hominem, quiq; in Dei eccleſia rum, nec ſegniter laborauit, reſponſione tua ad ſcriptum illius cijs, & maledictis inceſſis, atq; proſcindis (nam, vt cætera tam, veſanum eum & indoctiſſimum ſcriptorem nominas, & atq; otioſum ventrem appellas) vt maximè pium mihi viſum ſolùm ea, quæ ab ipſo verè, & piè ſunt ſcripta, ſed eâdẽ operâ famam, & exiſtimationem a tuis ſophiſmatis, et calumnijs, me erit, aſſerere, ac vindicare. Nam quòd ego, qui, tibi collatus, dici rectè poſſum, tecum dimicaturus in hanc harenã deſcenderi ſus, nulli mirum videri debet, qui, quanta iuſtitiæ, & veritatis ſoleat, animaduerterit, præſertim verò, cum de pietate, ac tur, vbi iuſtitiâ, & veritate, propria & ſumma præpotentis Dei continetur, quem cauſſam ſuam deſerturum, minimè credendum tum eſt exemplum pueri Dauidis, qui gigantem Goliathum De præſidio fretus, quamuis nudus propemodum, & inermis armis vndiq; ſeptus, & mirificè inſtructus, non modò eſt rùm etiam facilè vicit, atq; proſtrauit. Quiritaberis ſortaſſe, um nomen te celare voluerim, ſed iniuriâ id a te fiet. Quid minis mei vel ignoratio in hoc certamine noſtro obeſſe poteſt, prodeſſe? Non enim vtriuis noſtrûm pugna cum homine ipſo ſed cum illius ſentẽtia. Nec minùs tibi tua defendere, & licebit ignoranti, quàm ſciẽti nomen meum. Nec verò ego, notum nomen tuum, eò paratior ad te oppugnandum ero, læologi nomine aliqua ſcõmata in te iaciendi mihi facultatem tum iri dicamus, vt (exempli cauſſa) quòd vere

1. Sam. 17.

tuus, cùm nihil in religione nisi vetusta et antiquata quædam cogitet (vt sic dixerim) atq; loquatur. Sed me & ab hoc, & ab alijs omnibus temperaturum spero, ne vllo pacto impari cõditione mecum pugnaturus esse videare. Ego quidem nomen tuum, id est auctorem libri illius, contra quem scripturus sum, ignorasse mallem. atque in ea sum sententia, in litterarijs disceptationibus, multò autem magis in ijs, quæ ad religionem pertinent, nomina disceptantium cum alijs omnibus, tum alterius alteri ignota inuicem esse præstare, quàm cognita. Sic enim mutuis cõtumelijs, probris, irrisionibus extra causſam, immo cõtra ipsam causſam indulgẽdi minor datur occasio, nec alicuius existimationem lædendi periculum subitur. Quid, quòd sæpius contingit, alterutrius partis sententiam eiusmodi esse, quæ vel ipsa per se omnino, vel praue intellecta, vel ab aduersario aut verbis leuiter deformata, aut argumentis (rectè ne, an secus) inuidiosa reddita, possit auctorem in fortunarum, & capitis discrimen adducere? Qualis certè est ea de gerendo in Ecclesia magistratu sententia, quam tu impugnas, immo ex cuius impugnatione, seu contrariæ sententiæ defensione, quamuis alia de re, hoc est de bello, tibi cum Racouiẽsibus præcipua controuersia esset, titulum tuo libro quæsisti. Quare si te hominem christianum præstare voluisses, non debueras saltem in ipso libro edẽdo nomen alicuius aduersarij apponere. quin potiùs, ne vllo modo apponeretur, quàm diligẽtissimè curandũ tibi fuerat. Non enim ignoras, quàm necesse sit, ut ipsi reges, in quorũ manu vitæ, necisq; nostræ imperium Deus posuisse dici potest, illi sententiæ sint infensi. Neq; uerò minùs scriptũ illud aduersus id, quod tu prior ea de re scripseras, exaratũ diligẽter excutere, et refellere tua responsione potuisses, si et Racouiẽsium, et Gregorij Pauli nominibus peperciſſes. nec minùs ei causſæ, quam optimam esse arbitraris, opitulatus esses, si ne loci quidem, aut regionis, vbi ea quæstio agitata fuisset, vllam mentionem feciſſes. Quod cum aliter factũ a te fuisse videamus, haud sanè iniuriâ cõplures bonos uiros in eam sententiã uenisse intelligo, vt tu non tam veritatis defendendæ, diuinæq; gloriæ, atq; hominum salutis propagãdæ studio ad eam scriptionem impulsus, quàm inuidiam tuis aduersarijs conciliandi, tibiq; illorum incommodo, et ruina commodum aliquod, & stabilitatem quamdam comparandi spe haud leuissima adductus fueris. Qua tamen ego in re nihil affir-

mo, cum fieri possit, vt præ incogitãtia in eum errorem nomina dãm-
riorum publicandi incideris. In eo profectò, si id, quod ista putauit,
propositum fuit, incogitans fuisti, aut potiùs vehementer decepta es,
quòd sententiam tuam de bello a christianis hominibus gerendo ijs, q
dominantur, planè acceptam esse debere existimasti. cum tamen, si
dentes fuerint, eam non admodum (hoc præsertim tempore) sint pro-
turi. Qua de re aliquid fortasse apertius in ipsa responsione a nobis
tur. non ita tamen explicatè, vt res ipsa postularet, ne, dum nobis
curo, quàm vt aduersariorum sententiam diuinis oraculis confirmam
esse, tuam verò ab ijs mirum in modum dissentire, ostendam, nihil
principibus caros, te autem ijsdem inuisum reddere voluisse videar
in eo ipso peccasse, quod tibi non iniuriâ ascriptum fuisse, meritò
ri licet. Id de te certò statuere quilibet omnino potest, te aduersarios
siue eorum scripto non pauca affingere, quemadmodum suis locis
faciemus, aliterque, ac deceat, non raro eorum mentem interpretari. Q
plerumq;, quibus rationibus tuam sententiam oppugnent, suamq; tu
dant, non rectè percipere. Quòd si ipsi vel in ipsis rationibus concin
dis, vel in sacris testimonijs interpretandis alicubi forte sunt lapsi, a
meritò reprehensi, id sane mirum videri non debet. Nam tu ipse in
istorum adeò frequenter laberis, vt nimis operosum futurum sit,
eiusmodi errata tua uel indicare. Quod certè nec fieri necesse est, m
enim sunt, quæ ad rem non faciant. Non pauca tamen, Deo volente,
gemus, vt hac ratione possint rudes lectores agnoscere, quæ fides
tuis sit adhibenda, & tu ipse de tuis quibusdam quasi placitis, &
cretis, si modò id fieri potest, aliquãdo tandem dubitare incipias, d
namq; tuam, et stilum non ad Christi regnum (quantum in te est)
liendum, vt facis, sed confirmandum, & amplificandum conuer
quod te priuatim multò libentiùs, quàm publicè monuissem (
contra christiana præcepta peccasse dicas) si per tui libri edi
cuisset. Verùm, cum tu, libro isto edendo, publicè aduersus
et Christo fidentes, adeóq; ipsum Christum arma sumpsisse
metuẽdum sit, ne caussa, quam, etiamsi tui libri inscriptio
rat, potissimùm defendis, & pro qua tam acriter pugnas, vt
fauorabilis admodũ videatur, & propterea quia humanis

rum in modum fauet, vulgò etiam vehementer probetur, tantum patro-
nũ nacta, ijs etiam probari incipiat, qui ei meritò hactenus aduersantur,
huic malo publicè obuiam eundum fuit, & tuus in errore pernicioſiſi-
mo confirmando ſiue error, ſiue aſtus palàm traducendus. Mitto, quòd
exigua admodum ſpes eſt, hominem, qui ita aſſeueranter, ac confidenter
loquatur, vt tu facis, & alios, qui aliter, ac ipſe, ſentiũt, ſcripto edito tan-
ta cum ſeueritate docere, et obiurgare inſtituat, quantumuis placidè atq;
amicè monitum, ſuarum opinionum falſitatem vmquam agnoturum, &,
quæ iam dixerit, aut ſcripſerit, damnaturum. Tecum tamen in hac ad li-
brum tuum reſponſione mea perpetuò loqui libet, cum, vt me animo in te
inimico non eſſe, qua ratione poſſum, omnibus declarem, tum verò, vt con
ſilium meum facilius ſequar. quod eſt te nullis prorſus conuicijs, aut ma-
ledictis appetere, ſed reprehenſionibus tantùm redarguere, & ratione,
atque auctoritate conuincere. Quòd ſicubi nihilominus te grauius pu-
pugero, iudicabit, ſpero, æquus ac prudens lector, ſic locum ipſum om-
nino requirere, idque non aliquâ animi mei impotentiâ, ſed ſumma rei,
cuius cauſſa te reprehendero, indignitate fieri. Te quidem contumelia af
ficere, vt mihi ipſi, & cauſſæ, quam acturus ſum, valde inutile foret, ſic
a conſilio meo, vt dixi, atque propoſito vehementer abhorret. De-
creui enim, quemadmodum in ipſa cauſſa a te quàm maximè diſſideo, ſic
hac in re tui quàm diſſimillimus eſſe, qui non Gregorium modò Paulum,
vt dictum eſt, contumelijs oneras, ſed in Racouienſes illos omnes idem-
tidem acerbiſſimè inueheris, & tantùm non debaccharis. Non eſt hoc
Palæologe (mihi crede) dignum grauitate tua, non eruditione, non re-
rum vſu, non denique chriſtiani nominis profeſſione. Nec porrò quid-
quam eſt, quod, non dicam ipſos aduerſarios tuos, ſed alios quoſuis non
planè ſtupidos homines a ſententia tua amplectenda, etiamſi veriſſima
eſſet, æquè reuocare poſſit, atque indigniſſimi modi, quibus aduerſari-
os accipis, teque aduerſus illos tueris. Qua re nihil magis propoſito tuo
(ſi modò eius, quam veritatem diuinam eſſe contendis, propagatio tibi
cordi eſt) contrarium eſſe poteſt. Sed de hoc ipſe víderis. Nos ad id,
quod nobis propoſitum eſt, accedamus, & quem ordinem, tibi pro Ra-
couiẽſibus reſpõdendo, ſeruaturi ſimus, ante omnia breuiter exponamus.
Primum igitur, quidquid in expoſitione ſententiæ tuæ de bello re-
prehendenda

prehendenda rectè a Racouiensibus dictum fuerit, quod ad rem, de qua inter vos agitur, maximè pertineat, a responsionibus tuis vindicabimus, necnon, vbi opus fuerit, confirmabimus. Deinde præcipua fere, quæ nō rectè in illorum scripto reprehenderis, explicabuntur. Tum vero qua, si non omnia, saltem potiora, quæ a te pro confirmanda sententia & aduersariorum refutanda vbiq; congesta, et allata fuerint, examinabimus, ac refellemus. Postremò insigniora quædam errata tua, quæ attingere cōmodum non fuerit, siue in priore tuo scripto sint, siue in posteriore hoc, quo aduersus Racouiēses prius illud tutaris, colligemus, & patefaciemus. Quo facto, finis huic nostræ responsioni imponetur. Diuidetur autem in quatuor partes tota disputatio diuidetur. In quibus singulis exponendis nullum ferè aliū ordinē sequemur præter eum, quem ipsa tuorumq; aduersariorum scripta nobis suppeditabunt, vbi primum apparere incipiet. Iamque ad rem ipsam aggrediamur.

Latine scripsit Faustus

RESPONSIONIS ad Iacobum Palæologum pro Racouiensibus Pars prima.

DIxerant Racouienſes, vt in initio eorum ſcripti vnà cum ſcriptis tuis editi pag. videlicet totius voluminis 56. apertè conſtat, ſibi non probari ſcriptum tuum de bello. Primùm quidem, quòd fictum chriſtum introducere videretur, Deinde verò, quòd aliena inſtituta contraria veris a Chriſto ipſo traditis induceret. Tu & hæc duo in vnum coniungis, & ais, Racouienſes ad hunc modum aduerſus ſententiam tuam argumentari. *Qui aliter interpretatur dicta Chriſti & Apoſtolorum quam ipſe Chriſtus & Apoſtoli ſenſerint, is fictum Chriſtum concionatur & introducit in Eccleſiam Chriſtianorum, & alia inſtituta à Chriſti doctrina & Apoſtolorum edit.* Sed uos (hoc eſt, ſcriptum meum) aliter &c. Sic enim ad verbum legitur in poſteriore ſcripto tuo pagina 84. Hìc primùm vides, te aduerſariis tuis argumẽtum iſtud affingere. quod etiam repetis pagina 88. addens præterea in propoſitione explicanda verba illa, Per incuriam, hoc pacto. *Qui Chriſti uerba per incuriam malè interpretatur &c.* Quare cum vmbra tua pugnas, cum falſam propoſitionem iſtam eſſe, probare cõtendis. Deinde, etiamſi ad eum modum argumentati Racouienſes fuiſſent, non tamen falſa eorum propoſitio eſſet, ſi modò rectè explicetur. Videlicet, vt dictorum Chriſti, & apoſtolorum nomine non quidem quælibet ipſorum dicta intelligantur, ſed ea, quæ ad vitæ noſtræ inſtitutionem pertinent, de quibus ſine dubio in vniuerſa quæſtione agitur. Iis enim malè interpretatis, ſiue per incuriam, ſiue quomodocumque id fiat, fictus Chriſtus omnino inducitur. Quandoquidem is verum Chriſtum non habet, qui eius, & ipſius apoſtolorum præcepta, quæ Dei præcepta ſunt, non tenet. *In Chriſto enim Ieſu* (inquit Paulus) *nec circunciſio aliquid ualet, nec præputium, ſed fides, quæ per dilectionem operatur.* quæ poſtrema verba alibi ſic effert, *ſed obſeruatio mandatorum Dei.* Et Iohannes ait de Chriſto, *In hoc ſcimus, quoniam cognouimus eum, ſi mandata eius obſeruamus,*

CAPVT I.

Palæologi error.

Gal. 5. 6.

1 cor. 7. 19.

1 Ioh. 2. 3.

mus. Qui dicit, se nosse eum, & mandata eius non custodit, mendax est, & ve-
ritas in eo non est. Verùm quomodo Christi mandata conseruabi-
is, qui ea ignorat, & Christi, atque apostolorum verba in iis tra-
dendis malè interpretatur? Iam Paulus alibi sic scribit. *Vos autem*
Ephes. 4. 20. *non ita didicistis Christum, si tamen illum audistis, & in ipso edocti estis, sicut*
est veritas in Iesu, deponere uos secundum pristinam conuersationem ueterem
hominem, &c. Ex quibus verbis, quemadmodum ex aliis multis
iusdem apostoli, & aliorum, quorum scripta extant, perspicuum
est, Christum tunc sciri, cum eius præcepta tenentur, ob eamque
rem fictũ Christum induci, quotiescumq; eius, aut apostolorum
dicta, quæ ad vitæ nostræ institutionem pertineant, aliter atque
Palæologi pec- senserint, accipiuntur, & explanantur. Quamobrem insigni cer-
catum. pa non vacas, cum, ijs enumerandis, quibus Christi cognitio con-
tineatur, præceptorum eius nullam facis mentionem, in quibus
cognoscendis potissimùm ea consistit, & interim multa commen-
moras, quæ ad Christum quidem aliquo modo pertinent, ideo-
men ad eam, qua opus est, Christi cognitionem parum omnino,
aut nihil attinent, qualia sunt, Vbi, quando, ex quibus natus fa-
sus, quibuscum conuixerit. Quæ omnia, & his similia Chri-
cognitionem secundum carnem respiciunt, cuius rei inquisi-
propria carnalium Iudæorum, & eorum, qui eis similes sunt, co-
senda est. Namq; ij, qui spirituales sunt facti, vt de se, & sui simi-
2 cor. 5. 16. libus, hoc est de ijs, qui veram Christi cognitionem habent, lo-
tur Paulus, non ampliùs Christum secundum carnem nouerunt.
Nam quid (obsecro) necesse est, eum, qui Iesum Dei filium esse, &
eius dexterâ euectum in cælis viuere, dominum, & Christum,
est regem ab ipso factum, & viuorũ, ac mortuorum iudicem co-
stitutum cognouerit, hunc (inquam) nosse, eundem Iesum Na-
thleemæ in Iudæa natum fuisse, cum imperio Romano C. Cæsar
Octauianus, qui primus Augustus dictus est, præesset, exq; Da-
uidis stirpe genus secundum carnem duxisse, cumq; Galilæis ho-
minibus, inter quos etiam educatus fuerat, plurimùm conuersa-
& alia eiusmodi? Numquid idcirco hæc nouisse necesse est, qui
de Christo prædicta fuissent, neque is Christus, siue, vt fortas-
cantiùs dicamus, ὁ Χριστὸς esse posset, in quo ea non fuerint? Ne-
qui, primùm non omnia hæc ita prædicta fuerunt, vt de ijs dubi-

fare nemo posit. Deinde iste, quem diximus, iam ea de Iesu noscuit, quæ τοῦ χριστοῦ tantùm conueniunt, & ex quibus verè fit, vt Iesus sit Christus Dei, id est rex ille æternus, quem DEVS olim se daturum populo suo promiserat. Cætera, quæ modò recensuimus, in eo etiam, qui Christus Dei non esset, accidisse poterant, tantum abest, vt ea Christum efficiant, & proinde ad veram Christi cognitionem pertineant. Quòd si eorum tamen in Iesu Christi historia fit mentio, ad maiorem rei confirmationem id fit, vt scilicet, eum omnes notas habuisse constet, quæ venturo Christo a diuinis vatibus, & ipso Deo attributæ fuerant. Inter quas & istæ, saltem ex parte, satis expressæ erant, non quia per se ipsæ ad Christum constituendum alicuius momenti essent, sed vt haberent homines carnales, siue animales venturi Christi inde ab eius ortu indicia quædam carnalia, & ipsorum sensui cõsentanea, quibus ad ipsum verè postmodum cognoscendum, & amplectendum quasi manu ducerentur. Sed ad propositum reuertamur. Non est igitur falsa, vt tibi videtur, prior propositio eius argumenti, quod tu aduersarijs ascribis, quia is fictum Christum non inducat, qui ea illi tribuit, quæ tu enumerasti. Nisi enim eius mandatorum vera cognitio, quam tu omittis, & quæ in ea propositione continetur, retineatur, id est nisi Christo ea ipsa præcepta tribuantur, & tamquam ab ipso data agnoscantur, quæ verè ipse dedit, numquam verus Christus habebitur. Assumptio etiam, siue altera propositio eius a te, vt diximus, conficti, & aduersarijs ascripti, sed rectè tamen alioqui (nisi quòd, vt mox apparebit, ipsam assumptionem non rectè explicas) concluſi argumenti verissima est. Nempe te aliter Christi dicta interpretari, quàm ipse Christus, & apostoli senserint. Nam quod ais, ea dicta non ad publicas, sed ad priuatas personas pertinere, id nihil ad eam propositionem falsitatis conuincendam pertinet. Quamuis enim ea dicta ad priuatas tantùm personas spectare concederemus, ex ijs tamen satis apertè probaretur, non licere Christianis bella gere-re, & alia facere, quæ tu cuilibet priuato concedis, siue id deinde iubente, aut interueniente magistratu intelligas, siue minùs. Præterea, nisi extra rem locutus fuisse videri velles, necesse esset, vt aduersarij ideo potissimùm asserent, te Christi dicta peruersè

interpretari, quòd ea, quæ ille indefinitè de omnibus dixisse, ad priuatas tantùm personas referenda esse affirmares. Quo hoc idem nunc dicere non quidem aduersariorum assumptionem falsi cõuincere velle, sed illud ipsum simpliciter negare esset, quod in te reprehenderent, & propter quod maximè assumptionem iam veram esse contenderent. Itaque in eum errorem incideres quem illis obijcis, quòd scilicet ea, quæ dicunt, probare non curent. Sed iam video, cur ita locutus fueris. Nimirum illud agis vt ostendas, te, cum bellum gerere Christianis non permittis non dò, sed etiam mandas, & alia eiusmodi facis, non propterea contraria instituta institutis Christi, & apostolorum edere, cum Christi, & apostolorum dicta, quæ ab aduersarijs citãtur, non publicas, sed ad priuatas personas respiciant. Atqui, quòd nos qui tecum sentiunt, contraria instituta institutis Christi, & apostolorum edatis, id, quamuis a te in eius argumenti assumptionis explicatum, assumptionis illius tamen pars nullo modo esse debet, aut potest, cum pars eius sit, quod concludendum est, non ob eam rem, si in assumptione illa, siue minore argumenti propositione ponatur, sit ea propositio non solùm vnum ex duobus extremis, & medium (vt vocant) terminum, quemadmodum propositionis est, contentura, sed partem etiam alterius extremi, quod inconsimum est, & contra omnes dialecticas præceptiones. Quod etiamsi ab aduersarijs ipsis, non autem a te factum fuisse contendres, non ideo tamen a culpa liberarereris, qui tam fœdum in argumentatione nectenda ipsorum errorem vel non animaduertisses, vel silentio prorsus præterijsses. Mitto, quòd nec hac quidem in tione aduersariorum assumptionem falsam esse probasses, cum vt dictum est, concedi tibi possit, ea, quæ ipsi ex sacris litteris eam probandam testimonia citant, ad priuatas, non autem ad blicas personas referri debere, nec tamen sequatur, in illis gerere, & alia id genus, de quibus inter vos controuersia est, minibus christianis interdicta non fuisse. quemadmodum quæ infra dicentur, apertiùs constabit.

Palæologi lapsus.

CAPVT II. Sed iam, argumento isto, quod tu Racouiensibus falsò asci sti, omisso, ad ea, quæ aduersus scriptum tuum verè ab ipsis fuerunt, adq; tuas responsiones veniamus. Nam ipse ad te quemadmodum

dammodo rediens, cur te fictum Christum inducere affirment (quod, vt diximus, ab aliena dictorum Christi, & apostolorum interpretatione distinctè, & separatim tibi obijciunt) tandem exponis, et refellere conaris. Dixeras enim in expositione sententiæ tuæ de bello, Christum ante mortem quidem agnum fuisse, post mortem autem leonem. Hoc aiunt ipsi nihil aliud esse, quàm duplicem fictumq; Christum inducere, sibiq; contrarium. Hic tu exclamas, non te, sed sacra Biblia nusquam non expressis verbis ea dicere, vnde ista sententia colligitur. Atq; ad id probandum & hic, & alibi per multa congeris. in eoque es totus, vt demonstres, alium fuisse Iesum Christũ a mortuis excitatum, quàm fuerit ante mortem, in eo præsertim, quòd antea quidẽ humilis, & iniuriarum patiens fuit, nec inimicos suos vlciscebatur, postea verò ferox & terribilis factus, de hostibus suis graues ac dignas pœnas sumpsit. nec propterea duplicem esse Christum, aut sibi contrarium, sed duplicem eius conditionem esse, & vnum atque eundem Christum diuersis temporibus contraria tulisse, vitupe-
ria, & honores. Verùm animaduertere debueras, aduersarios tuos existimasse, te in argumentatione, seu ratiocinatione tua, quæ pro exceptione ad ipsorum argumenta esse possit, ea voluisse dicere, quæ ad propositam quæstionem facerent. Nisi enim ita mutatam Christi conditionem post mortem fuisse dicere velis, vt, quæ antea præcepta Christus de iniurijs patiẽter ferendis cum verbis, tum sui ipsius exemplo dedisset, immutata fuerint adeò, vt, quod ante fieri vetuerat, postea, vt fiat, permiserit, aut etiam iusserit, nihil agis. Atqui, si id significant verba tua, cum ais, Christum ante mortem agnum, post verò leonem fuisse, quis non videt, meritò ea a tuis aduersarijs reprehensa fuisse, teq; duplicem Christum, & sibi contrarium, ideoque fictum inducere, qui modò vnum, modò aliud præcipiat, & cælestem disciplinam illam suam, quam, dum in terris versaretur, hominibus proposuerit? Huc autem potissimùm aduersarios tuos respexisse, indicãt ea verba, quæ cõcludentes dicunt pag. 59. *Cum ergo iste Christus nouus aliter doceat nunc suos hostes uincere, quam ille uerus cum suis Apostolis docuit &c.* Quamquam ratiocinationis tuæ, etiamsi ita accipienda

esset, vt ad propositum non faceret, rationem tamen habuisse dentur, dum ostendere conantur, Christum etiam post mortem mitem & placidum fuisse, suosque inimicos in gratiam recepisse. Sic enim breuiter respondent. Primùm negant, Christum post mortem ex agno leonem factum fuisse. Deinde, etiamsi factum esset, hoc nihil ad immutanda eius præcepta pertinere affirmant. Posterius hoc sic elegantissimè probant. Nam si exemplo suo Christus, qui post resurrectionem ex agno leo sit factus, docuit nos bellum gerere, & inimicos nostros vlcisci, expectãdum vobis est, vt & ipsi resurgamus. Interim autem, sicut ille, antequam resurgeret, agnus fuit, & se mactari permisit, ita & nos agni simus, & nos mactari sinamus potiùs, quàm vt nos ipsos vlla ratione vlciscamur. Atq; ad hoc tu nihil prorsus respondes, quippe qui quod respondeas, nihil inuenire potueris. Prius autem illud, quod uersus probationes tuas non malè, vt arbitror, tuentur, atque confirmant. Nam, quòd ex Apocalypsi probare niteris, Christum, qui prius agnus fuerat, postquam resurrexit, leonem esse factum, Primùm aiunt, te non intelligere, quo sensu Christus in ratione illa Leo nominetur. Non enim, quia ex agno leo factus carnalem aliquem gladium sumpserit, & hostes suos trucidauerit, sed quia Satanam, & mortem deuicit, post resurrectionem leo est dictus. Id quod ex ipsis verbis patet. *Vicit Leo de tribu Iuda, radix Dauid aperire librum, & soluere septem signacula eius.* Nam eadem sententia paullo inferiùs repetitur, & explicatur his verbis. *Dignus es accipere librum, & aperire signacula eius, quoniam occisus es, & redemisti nos Deo in sanguine tuo ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione, & fecisti nos Deo nostro reges, & sacerdotes, & regnabimus super terram.* Ex quibus apparet, non de alia leonis illius Dauidici victoria fuisse sermonem, quàm de ea, quam sanguine suo adeptus est, scilicet Satanam, & mortem deuicit. Namque, vt scriptum est, per mortem aboleuit eum, qui mortis habebat imperium, hoc est Diabolum. Atque non absimili ratione etiam ante mortem leo dici poterat, eò quòd in Dei forma existens diuinas vires exeruerit in dæmonum expulsione, mortuorum resuscitatione, & omnium morborum depulsione, tum imperio, cui cedere oportuit inanimata ferociaq; elementa, vt ventos, & aquas. Sic enim ipsorum

Apoc. 5. 5.

Heb. 2. 14.

ipsorum verba habent prædicta pagina 59. quæ tu, vt alibi dicemus, prorsus non intelligis. Deinde affirmant, in Apoca. Christum iam regnantem agnum victorem vocari, & gloriam Deo, agnoq; tribui, & thronum. quæ omnia ex his locis manifestè probantur. cap. 5 ℣ 13. cap. 17 ℣ 14. & cap. 22 ℣ 1, & 3. Et sanè mirum est, cum Christus in ea vaticinatione tricies plus minùs agnus nominetur, semel autem tantùm leo, te ex Leonis appellatione argumentum eius seueritatis duxisse potiùs, quàm ex Agni, mansuetudinis, & cum ex agno leonem esse factum, ibidem probari, tam confidenter affirmasse. Quid quòd mansuetudinis, aut seueritatis rationem in appellationibus illis habitam non fuisse, id satis ostendit, quòd Agno ira tribuitur, vt patet ex cap. 6 ℣ 16? Quid quòd ne id quidem verum est, quod tu asseris, vnde constare putas, eum, qui agnus antea fuisset, leonem postea factum esse, Christum videlicet ibi priùs agnum, deinde leonem vocari, vt in fine paginæ 16. & initio 17. disertè scribis? Nam manifestè leo priùs vocatur. nempe cap. 5 ℣ 5. cum agnus nusquam antea, sed sequente versu primùm nominetur. Neque verò opus est ad ea respondere, quæ in responsione tua pro explanatione complurium locorum Apoc. in quibus Christus agnus etiamnum vocatur, quasi paraphrastem agendo, scribis. Satis est enim ostendisse, Christū alia ratione, quàm tu putas, inibi semel leonem appellatū fuisse. Ex quo quidquid in explanatione illa tua aduersus ea, quæ modò a me dicta sunt, continetur, prorsus corruit, atq; dissoluitur. Addunt præterea aduersarij tui, Christum naturā non mutasse, etiamsi commutata habeat probra in gloriam. Quod profectò satis esse potest pro responsione ad ea omnia, quæ tu ladocceas, vt leo ex agno factus fuisse dici possit. Non enim post tissimè persequeris, vt Christi conditionem adeò mutatam fuisse resurrectionem minùs naturâ mitis minúsue placidus Christus factus est, quàm ante fuisset, nedum vt sæuus & ferox ex pacifico & mansueto euaserit, quemadmodum agni, & leonis translationes istæ præ se ferre videntur, etiamsi non modò summum imperium, quod antea non habuerat, postea sit adeptus, verùm etiam hostes suos, quod antea non fecerat, postea sit vltus. Nam, cum

Palæologi lapsus.

adhuc

adhuc in terris ageret, nondum eius inimicorum scelera eo p
uenerant, quò postea peruenerunt, vt omnino punienda, ac v
dicanda essent. Quandoquidem scelus illud omnium maxim
quodq; alia grauissima multa vel arguebat, vel in se continu
ipsum Christum reijciendi, vtq; super se regnaret, recusandi, no
ante perfectum, & consummatum fuit, quàm post Christi re
rectionem ipsum ab eius apostolis sibi prædicatum, & ipso
dominum, ac regem, Deo mirandis id operibus in eius nom
factis attestante, declaratum, nihilominus repudiarunt, ac re
cerunt. Quod vel ex eo patet, quòd ipsorum punitio, hoc ei
cidium Hierosolymitanum, eorumq;, qui ex tanta clade fuga
fuerunt, per orbem terrarum dispersio, non antea extitit, q
planè ipsos Christi iugum post apostolorum prædicationem
iecisse, seu ferre noluisse, constaret.

Ad hæc, quæ hactenus a nobis aduersus dictum illud ruit, q
Christus, qui ante mortem agnus erat, leo postea factus fuer
Racouiensium mente, & ipso scripto relata, & explicata fuer
nihil similiter a te respondetur. Nam quæ de loco illo, Qui
forma Dei esset &c. & de Satana a Christo superato scribis, pro
sponsione haberi non possunt, cum inde appareat, te aduer
orum nec mentem percepisse, nec verba curasse, vt in secunda
ius laboris nostri parte planum faciemus. Eam tantummodo
in re eorum responsionis partem attingis, in qua, exemplis in
dium prolatis, Christum etiam post resurrectionem, & accep
potestatem in hostes suos clementem ac mitem fuisse, demo
strare conantur, & quidquid hîc ab illis dicitur, hoc enthyme
te cõtineri autumas, *Christus multos suos hostes resipiscentes recepit in gra
tiam, Ergo Christus non est ultus suos hostes.* Quod argumentum mi
insciticæ damnas, atq; ad hunc modum refellere instituis pagina
*Hostes Christi pœnitendo ex palea parata incendio, fiebant frumentum, quod
horreum Dei erat reponendum. Sed hoc quid impedit ne reliquam paleam, q
quam cribro bene discussisset frumentum conijceret, is qui uentilabrum tenebat
in ignem inextinguibilem?*

Verùm, Palæologe, aduersariorum argumenti vis non
est, quòd Christus resipiscentes hostes suos in gratiam recep
vt tu in enthymemate isto ex eorum verbis formando existimas
videris

Phil. 2, 6.

videris, Sed in eo, quòd homicidis suis, etiã post resurrectionem, veniam vltro obtulerit, & potestatem in gratiam secum redeundi fecerit. Quamuis enim receptionis in gratiam tantummodo meminerint, id sine dubio breuitati consulentes fecerunt, vt eodem tempore non fictam illam veniæ oblationem fuisse, sed ex animo factam, & non oblatam modò, sed etiam re ipsa præstitam veniam significarent. Quod etiam satis perspicuũ est ex illis ipsorum verbis, quæ statim sequuntur pagina 58. *Et eandem gratiam omnibus ubiq; Iudæis & gentibus in nomine suo prædicari iussit.* Legantur verba Petri Christi apostoli, & propterea eius nomine ipsius homicidas ad pœnitentiam agendam inuitantis. Ait enim, *Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob, Deus patrum nostrorum glorificauit filium suum Iesum, quem uos tradidistis, & negastis ante faciem Pilati, iudicante illo dimitti. Vos autem sanctum & iustum negastis, & petistis uirum homicidam donari uobis. autorem uerò uitæ interfecistis, quem Deus suscitauit a mortuis, cuius nos testes sumus. Et in fide nominis eius hunc, quem uos uidetis, & nostis, confirmauit nomen eius, & fides, quæ per eum est, dedit integram sanitatem istam in conspectu omnium uestrũm. Et nunc fratres scio, quia per ignorantiam fecistis, sicut & principes uestri. Deus autem, quæ prænunciauit per os omnium prophetarum pati Christum suum, impleuit sic. Pœnitemini igitur, & conuertimini, ut deleantur peccata uestra,* &c. Potuitne vnà cum decente qua dam grauitate mitiùs loqui, aut efficaciùs eos ad pœnitentiã inuitare, quantaq; erga ipsos esset Christi clementia, simul ostendere? Nam, quanta potestate Iesus ille, quem ipsi interemissent, iam præditus Dei voluntate esset, recente etiam testimonio eius diuinæ potentiæ docuit, & cõfirmauit, Eorum peccatum in ipso occidendo quale, quantumq; fuisset, simul ostendit, ipsisq; ob oculos posuit. Deinde verò, ne de venia desperarent, quidquid ad illud ex parte aliqua excusandum afferri poterat, attulit. Ac postremò spem certam veniæ, & receptionis in gratiam proposuit. Equidem videre non queo, quomodo se mitiorem, aut clementiorem suis hostibus præbere potuerit Christus, quàm præbuit, qui cum ipsis interfectoribus suis tam placidè, tamq; benignè egerit, quorum etiam resipiscentiam quadraginta perpetuis annis expectauerit. Tot enim, annos atq; eo ampliùs, ab eius morte ad Hierosolymæ excidium numerari, nemo est, qui nesciat. Quòd si nec

Actorum 3. 13.

illis, nec alijs impœnitentibus, vt ais, post resurrectionem v
quam pepercit, ne ante resurrectionem quidem, quamuis ad eo
sentias, id fecisse, vel scribitur, vel verisimile est. Certè cum ad
tequam moreretur, patrem rogaret, vt interfectoribus suis ig
Lucæ 23. 34. sceret, caussam addidit, *quia*, inquit, *nesciunt quid faciunt*, eandem ad
Actorum 3. 13. cet caussam, ob quã per Petrum apostolum eisdem post mortem
spem veniæ fecit, & propter quam, vt omnem clementiam ad
1. Tim. 1. 13. Christus ostenderet, sui misertum fuisse, ait Paulus. vt facile
telligas, eadem prorsus ratione ignoscendi hostibus suis vsum
isse Christum post mortem, qua ante vsus fuerat, nec impertire
tibus magis ante, quàm post mortem, ab ipso ignotũ fuisse. Ita
vides, germanam aduersariorum enthymematis assumptionem
quæ esse debuerat, *Christus, posteaquam a mortuis resurrexit, ipsis in*
ctoribus suis ueniam obtulit, & verissimam esse, & rectissimè ex ea co
cludi, quod ipsi volunt. nempe Christum post mortem ex
leonem non esse factum, id est mansuetudinem, & clementiam
ga suos hostes nõ deposuisse, quã ante illis ostenderat, arg
loco iram, ferociãq; sumpsisse, vt tu affirmas. non autem imp
ter, Christũ non esse vltum suos hostes, quemadmodum tu fi
rudi lectori faciens eos loquentes inducis. quasi illi simplicit
Palæol. techna. gent, Christũ post mortem de hostib⁹ suis iustas pœnas sumpsis
quod aliquãdo tandem factũ fuisse, ipsa luce est clarius. Et
pagina 58. negare videntur, a Christo etiã post resurrectionem
quas vltiones (vt ipsi loquũtur) factas fuisse, tamen id ita accip
endũ est, vt ad eas vltiones referatur, quas multa mãsuetudo, a
patientia vnà cum aperta & cõstante veniæ promissione co
cta non antecesserit, quemadmodum ex ipsorum verbis perspi
um est. Quare iam satis constare potest, id verum esse, quod
initio diximus, te aduersarijs tuis multa affingere, eorumq; mem
tem sæpe aliter, ac deceat, interpretari, ea minimè percipien
quæ ab ipsis vel pro se, vel contra te in medium afferuntur. Sed
hæc ex ijs, quæ infra dicentur, adhuc apertiùs constabunt.

Iam verò abunde patere arbitror, rectè a Racouienſibus
priore tuo scripto reprehensum fuisse, quod affirmaueras, Chr
stum post mortem leonem ex agno factũ fuisse, nec te eorum o
iectiones tuis responsionibus attigisse, nedum, vt debueras, di
uis.

isse. Quamquàm quid est, cur tantopere, vt falsitatem tui illius dicti coarguamus, laborandum sit nobis? Quid quæso (quod ad propositam quæstionem pertinere possit) tibi vis, cum ais, Christum post mortem ex agno leonem esse factum? Numquid, eum præcepta humilitatis, & patientiæ, quæ ante mortem dederat, mutasse? Atqui istud nec probabis vmquam, nec vllo modo verisimile est, cum, vt dictum fuit, & duplicem, & sibi contrarium Christum inducat. Numquid, non posse nos ex Christi, dum hîc viueret, humilitate, atq; patientia documenta sumere iniurias nobis illatas patienter ferendi, & omnem spiritus elationem vitandi, cum nunc in cælis viuens ille non ampliùs humilis & mansuetus, sed ferox & iniuriarum impatiens sit? Sed neque hoc, vt ostendimus, verum est, nec, si esset, quidquam ad rem faceret, cum alia sit conditio Christi in cęlo regnantis, & nostrûm in terris adhuc sub cruce eius voluntate gementium, Christumq;, & eius facta imitari debeamus, non, cum longè alius factus est, atq; nos simus, sed, cum talis fuit, quales nos hodie sumꝰ. illud scientes, nos, nisi, quemadmodum olim is in hoc statu nostro iniurias omnes patientissimè tulit, sic aduersus eos, qui nos quantalibet iniuria afficerint, mites & humiles simus, ad eum statum, in quo ipse nunc est, minimè peruenturos. quinetiam eò perueniendi viam potissimam hanc esse, vt & iniuriis afficiamur, & affligamur, & persecutionem patiamur, quemadmodum hæc sacra testimonia nos docent. Rom. 8. 17. Act. 14. 21. & 2. Tim. 3. 12. præter innumerabilia alia, ex quibus eadem sententia elicitur. quorum omnium loco esse potest id, quod ipse Christus dixit, *Non est discipulus supra magistrum. Non est seruus maior domino suo. Si me persecuti sunt, & uos persequentur.* Etsi enim hæc dicens, Apostolos alloquitur, tamen rationes, quas sui dicti affert, apertè demonstrant, non ad ipsos apostolos tantùm, vt etiam pleraq; alia, sed ad omnes Christianos illud pertinere, cùm nemo Christianus non sit Christi discipulus, nemo non sit Christi seruus. Verùm id sine dubio tibi vis (Nam sic ipse pagina 151. & deinceps te explicas) non esse a Christi persona, dum hîc ageret, exemplum pro magistratibus sumendum, cum is tunc priuatus esset, sed postquam in cælum ascendit, & magistratus est factus. Itaq;, quemadmodum ipse magistratus factus gla-

Matth. 10. 24. Iohan. 15. 20.

dium exercet, & sceleratos homines, sibiq; rebelles perdit, ac de-
uerè vlciscitur, sic eius exemplo magistratibus licere sontes
terficere, atq; hostes suos grauiter vlcisci.

At vide, quàm grauiter erres, præsertim si (vt non dubito
est, quin velis) huius rationis vi priuatis hominibus ex magistra-
tus auctoritate bella gerere, & iniurias suas vindicare licere, con-
cludendum esse vis. nam de hoc potissimùm inter te, & Raccu-
enses controuertitur, vt ex ipso priore scripto tuo, in quo pr-
mùm istam agni Christi in leonem mutationem excogitasti, ma-
nifestum est. Primùm enim non eiusdem conditionis sunt in quo
Christus perdit, atq; vlciscitur, & ij, quos hodie a magistratib-
interfici, & in quos vindicari Christi exemplo ab ipsis posse co-
tendis. Illi enim perditæ spei homines sunt, animiq; deplorat-
verò plerumq; vel commissa scelera detestantes, ac relipiscentes
aut certè ita præ se ferentes, vel de quibus adhuc spes haberi po-
test, vt ex hostibus amici fiant. Huc accedit, quòd nouit quidem
Christus hominum corda, & idcirco qui pro desperatis habe-
sint, facilè intelligit. at magistratus, quomodo aliquem pro de-
sperato habendum esse, statuere poterit, cum vix suum ipsius co-
rectè nouerit? Deinde considerandũ est, Christũ in gladio exer-
do errare nõ posse, quippe in quem nulla nec ignoratio, nec mali-
tia cadere possit, & cui nemo, nisi summa cum iniuria hostis, a-
contumax esse queat. At verò ciuilis magistratus vel ob ignora-
tiã, vel ob malitiam iniuriâ aliquem gladio ferire potest, & inius-
bella aut suscipere, aut defendere, cũ fieri possit, vt quis iure op-
mo illi hostis, aut cõtumax sit. Alioqui cũ (exempli gratia) duo
ges bellũ inuicem gererent, neuter ipsorũ errare posset, & mo-
alter alterius hostis esset, vtriq; alterum tamquam hostem
Christi exemplo vlcisci, ac perdere liceret. quo nihil absurdius
excogitari potest. cum necesse omnino sit, alterutrum saltem pe-
care, eum scilicet, qui iniustam caussam habeat. nam vt vterq;
stam habeat caussam, id nempe fieri nullo modo potest. Plura
hanc eandem sententiam dici possent. sed hæc pauca satis erunt
non quidem vt ciuili magistratui (ne hic quisquam calumnie-
gladium exerere non licere, sed vt Christi in cælo regnantis exem-
plum ad nostros magistratus ea ratione, qua a te fit, minime
commodari

commodari posse, appareat. Quare iam vlteriùs progrediamur.
Fac enim, ciuili magistratui idcirco & fontes interficere, & cum hostibus bella gerere licere, quòd Christus scilicet, postquam magistratus factus est, & peccatores perdat, atq; e medio tollat, & cum inimicis suis bella gerat, quid hoc (rogo) ad priuatos Christianos, quibus interdictum est non modò, ne occidant, sed etiam ne contumelia quemquam afficiant, quibusq; mandatum fuit, vt bene faciant inimicis suis? Num illis concedetur, iubente magistratu, Deo non obedire, & homines interficere, aut magistratus auctoritate, & potestate contra Christi præceptum ad vlciscendas proprias iniurias abuti? Inueniet sine dubio magistratus alios præter veros Christianos, qui belligerare non dubitabunt, & satis habebit, si ipse vel ex officio, vel alio quopiam accusante, in eos, qui iniuriis alios afficiunt, animaduertere iure possit, quamuis interim ij, qui iniuria sunt affecti (ita Christo iubente) taceant, & damnum potiùs patiãtur, quàm alteri vlla ratione malum, aut periculum creent. Imitabitur magistratus Christum, si Christi exemplo bella gerere, & vlcisci hostes voluerit. Is enim bellum Iudæis iuratis hostibus suis, quiq; se interfecerant, illaturus, in eosq; vindicaturus, non Christianos delegit, sed Idololatras, Vespasianum, & Titum. in quorum exercitu vniuerso ne vnus quidem Christianus fuisse legitur. Quod certè multò aliter fuisset, si Christus post mortem exemplo suo iustum bellum (a christianis scribis. Quos enim magis decere videbatur Christi iniurias vlci videlicet militibus gerendum) approbare voluisset, vt tu pag. 18. sci, quàm ipsos Christianos, aut quod bellum magis vel iustum, vel etiam pium excogitari potest, quàm id, quod pro domini ac regis sui, atq; adeò summi benefactoris, qui pro se vitam ipsam profuderit, honore, & gloria aduersus teterrimos & immanissimos hostes suscipiatur, qui per summum scelus eum innocentissimum supplicio, ac morte omnium maximè detestabili affecerint, & vitæ datorem spreuerint, atq; reiecerint? Quid quòd Christus, æternus noster ac cælestis dominus, & rex est, cuius honore, & gloria ipsius Dei gloria continetur? Cum igitur in omnium ipsis Christianis conuenientissima & iustissima belligerandi caussa, non Christianorũ, sed Idololatrarum opera vti Christus

concludendum est, nullum esse tam iustum bellum, quod Christianum populum deceat, & debere ciuilem magistratum, si in re Christum imitari velit, non ex veris Christianis, sed ex hominibus sibi exercitum comparare, tantum abest, vt Christi exemplo christianos homines ad bellum gerendum adigere possit, aut debeat.

Iamq; tandem, vt arbitror, intelligi potest, ex illis dictis quæ Racouienses tuo scripto obiecerãt (quidquid tu contra respondeas) verissimum esse prius illud, videlicet duplicem & factum quendam Christum ibi describi, si modò, quæ dicis, vis, eum post mortem ex agno leonem esse factum, ad propositam inibi quæstionem de bello a Christianis gerendo aliquid pertinent. Nunc ad alterum deueniamus, &, quòd scripto tuum aliena instituta ab ijs, quæ Christus ipse tradidit, inducere aduersus responsiones tuas tueamur, & rectissimè ab illis dictum fuisse, demonstremus.

CAPVT III. QVoniam igitur Racouienses, vt ostenderent, idcirco non scriptum aliena instituta iis, quæ Christus ipse tradidit, introducere, quia Christus suos pacificos, & humiles esse iubeat, non malum malo rependere, aut vim vi repellere, adeò vt ne per magistratum quidem suas iniurias eos vlciscí permittat, cum scriptum tuum econtrario, Christianos bella quidem gerere posse, ac debere velit, in ipsisq; homines interficere, apud magistratum verò ius suum secundũ leges quantouis cum aduersarij malo persequi, Quoniam, inquam, vt hoc Racouienses ostenderent, ea esse Christi dicta, atq; præcepta potissimùm protulere, quæ habentur Matthæi cap. 5. videndum est, quomodo tu prædicta testimonia diluere tentes. Duplici igitur ad id via vteris. Primum negas, ea omnia præcepta ad omnes Christianos pertinere, sed apostolis tantùm, & verbi ministris data fuisse ais. Deinde longe aliam eorum sententiam esse, quàm aduersarij putent, nec cuiusquam, quæ scripto tuo refragetur, demonstrare aggrederis, idq; prius duplici ratione. Nam & generatim omnia sic interpretanda esse vis, vt tuæ sententiæ non officiant, & singulatim vnumquodque examinans, vel ex verbis ipsis, vel ex aliis coniecturis nullum ex illis tuo scripto aduersari, planum facere conaris. Itaq; primum

mùm videamus, quibus rationibus, aut indicijs, siue argumentis probes, ea præcepta solis apostolis, & verbi ministris data a Christo fuisse.

In initio igitur explanationis illius tuæ in quinctum, sextum, & septimum capita Matthæi, pag. videlicet 100, & 101. hoc primum indicium affers, quòd apud ipsum Matthæum, sed paullo clariùs (vt tibi quidem videtur) apud Lucam scriptum est, Christum ad discipulos suos sermonem suum conuertisse. *ut intelligeretur* (inquis) *orationem ad Apostolos, ministros scilicet uerbi Dei dirigere.* Hic, antequam aliud dicamus, monendus est lector, te pro concesso id sumere, de quo vehementer dubitatur, immo, quod falsum esse, pluribus modis euinci potest, Lucam videlicet cap. 6. eandem eodem tempore habitã Christi concionem narrare, quam Matthæus cap. 5. exponere incipit. cum tamen diuersas has duas conciones fuisse, planè diuersæ vtrobique circumstantiæ apertè doceant, & quæ a Luca narratur, multò post fuisse habitam, totius historiæ apud vtrumque euangelistam series ostendat. Ex quo illud necessariò consequitur, cum Christus eam concionem habuit, quam Matthæus exponit, & de qua nominatim nobis agendum est, Apostolos nõdum ab ipso constitutos fuisse, tantum abest, vt ad solos Apostolos orationem suam dirigere potuerit. Verumtamen, vt exceptionis tuæ vanitas euidentiùs appareat, dabimus tibi, vtrumq; euangelistam eundem prorsus Iesu Christi sermonem exponere voluisse. Id quod etiam (quando fortassis vulgò opinio ista recepta est) in reliqua vniuersa disputatione tacitè semper ponemus. Atq; iam aliis rationibus ea, quæ hoc loco dicis, refellere aggredior.

Palæologi error.

Itaq; primùm, iudicio meo, in eo falleris, quòd in ipso narrationis quasi vestibulo Lucę verba tibi magis fauere credis, quàm Matthæi, cum immo contrarium censeri debeat. Matthęus enim dicit apertè, Christum discipulos, qui ad ipsum accesserant, docuisse. Lucas verò tantummodo ait, ipsum, eleuatis oculis in discipulos, dixisse, *Beati pauperes*, &c. Matthæus scribit, Iesum, cum vidisset turbas, ascendisse in montem. Lucas verò narrat, vniuersam turbam quæsiisse, vt eum tangeret. Quis igitur non videt, ex verbis Lucæ Christi sermonis recitationem antecedentibus

multò

multò magis dubitari posse, ne Christus, licèt discipulos instruxerit, ad turbas tamen quoq; verba sua dirigere voluerit, videatur, ad turbas tamen quoq; verba sua dirigere voluerit, videatur, ex Matthæi, præsertim cum in initio cap. sequentis dicat. Cum ea verba, *Cum autem implesset omnia uerba sua in aures populi*, quod de satis ostendit, quamuis, Matthæo attestante, Christus discipulos suos docere instituisset, voluisse tamen, contra quàm tias, vt reliquus etiam populus, qui circumstans omnia eius ba audiebat, ex illis doctrinam sibi salutarem haurire posset, pe quæ ad omnes, qui ipsum sequi vellent, ex æquo pertinerent.

Palæologus sibi contrarius.

Cur enim alioqui populi omnia audientis Lucas mentionem ciisset? An non tu ipse pag. 119. apertè ais, Christum turbis, vt dirent, doctrinam suam proposuisse? Quod idem pag. 118. eras in illis verbis, *Audistis, inquit, uos duodecim discipuli mei atque uos omnes*, &c. Sed quid dico? Nonne ipse Matthæus deinde tissimè scribit, Christum in ea concione ipsas turbas docuisse? Christi enim vniuerso sermone exposito, illico adiungit, *Et factum est, cum consummasset Iesus uerba hæc, admirabantur turbæ super doctrina eius. Erat enim docens eos, sicut potestatem habens, & non sicut Scribæ.* Nam nomen Eos, quod ὄχλους in græco est, turbas referre, cæci ipsi dere possunt. præsertim cum in græco Turbæ non feminino in latino, sed masculini sint generis, numeroq; plurali, ne vlla giuersatio tibi relinquatur, enunciatæ fuerint, & dictum aliquo.

Palæologi iudicium desideratur.

Et tamen tu (nescio qua fronte, nullo certè iudicio) vt pro men illud discipulos referre possit, eadem Matthæi verba re tans pag. 118. post vocem *hæc* ipsis de tuo addis, atq; interseris ba illa, *docens, scilicet discipulos suos.* Itane verò simplici ac ri imponere studes, & sacri scriptoris verba, quæ disertè, eo sermone a Christo dictas fuisse, aiũt, ita additamentis tuis co

Palæologi audax impostura.

rumpere, vt solos discipulos suos Christum docuisse, dicere deantur, nihil planè erubescis? Et hæc volo esse pro prima re sponsione ad primum istud indicium tuum.

Palæologi lapsus.

Secundò respõdeo, te non leuiter labi, qui Discipulorum mine eo in loco apostolos tantùm, & verbi Dei ministros intel gi putes. Plurimi enim erãt discipuli Christi præter Apostolos nam ex discipulis Apostolos Christus selegerat, vt patet Luc. 13, necdum alii, præter duodecim illos, fuerant ab ipso verbi mi

nistri designati. Nam septuaginta illos postea creatos fuisse, testis est idem Lucas in initio cap. 10. Atq; idem pariter testatur, cum Christus eum sermonem habuit, non illos duodecim modò, sed turbam Christi discipulorum, hoc est ingentem eorum numerum adfuisse, seu mauis reliquos discipulos, quibus, quia præ illis duodecim vulgares discipuli dici poterant, ὄχλος, seu Turbæ nomen accommodet. Cum igitur vterq; euangelista Discipulorum simpliciter mentionem faciat, non sunt illi duodecim dumtaxat intelligendi, qui soli, vt dictum est, apostoli, & verbi ministri erant. Alioqui, contra manifestam veritatem, nullos alios discipulos præter illos duodecim Christũ habuisse, vel certè ibi præsentes fuisse, sequeretur. Quòd si velis, Discipulorum nomine κατ' ἐξοχὴν solos Apostolos significari, respondeo, vel id nusquam factum fuisse, nisi, vbi ex præcedentibus de ipsis solis sermonem esse constabat, vel, si alicubi præterea factum fuit, nihil esse, cur hic quoq; idem factum fuisse statuamus, nisi plerisq; aliis in locis, immo ferè vbiq; id fiat. præsertim quòd, si vllo in loco parum verisimile est, id factum fuisse, certè hîc est, vbi id narratur, quod præsentibus alijs discipulis tunc fieri contigit, cum vix duodecim illi ab aliis selecti essent, immo cum a Matthæo eius selectionis nondum mentio aliqua facta fuisset. Qui Matthæus tamen, etiam postquam eius rei apertam mentionem fecit, cum de apostolis illis loquitur, simplici Discipulorum nomine non est contentus, sed addit Duodecim, siue Vndecim, vt cap. 10. ℣ 1. cap. 20. ℣ 17. cap. 26. ℣ 20. & cap. 28. ℣ 16. atq; id ipsum alicubi facit, vbi minimè erat opus, & ex ante dictis constabat, de duodecim illis esse sermonem, vt cap. 11. ℣ 1. Patet igitur, ex eo, quòd Christus solos discipulos allocutus sit, nõ sequi, cum solis apostolis, & verbi Dei ministris ipsum fuisse locutũ. Discipuli Christi ab euangelistis, vt nominis ipsius notatio postulat, ij omnes appellantur, qui eius disciplinæ adhærebant, præsertim si id palàm præ se ferrent, adeò vt etiam ab ipso, id est, ab ijs, qui iam eius discipuli erant, baptizarentur, vt colligi potest ex Ioh. cap. 4. ℣ 1, quamuis verbo DEI annunciando destinati ab ipso non fuissent. Nam & Iosephus ab Arimathæa, qui non tantùm verbo Dei annunciando ab ipso destinatus non erat, sed neq; etiam palàm eius disciplinæ adhæ-

Luc. 6. 17.

Ioh. 19. 38.

næ adhærebat, discipulus Christi appellatur. Hinc cæcus ille
Ioh. 9. 27. tus, cui visum Christus restituerat, ait Iudæis de Christo, quo
quid & uos uultis eius discipuli fieri? Quod certè nihil aliud est, quo
Numquid & vos eius doctrinam amplecti vultis? Propterea
spondent ipsi, *Tu illius discipulus sis, nos autem Moysi discipuli sumus.*
reor, ne in re apertissima pluribus confirmanda ineptus esse
dear. Quare iam huic secundæ responsioni finem imponam.

Tertiò respondeo, etiamsi tibi concederetur, Christum
solos apostolos, & verbi Dei ministros orationem direxisse,
vt cæteri tunc vel audirent, vel intelligerent, curasse, non tamen
continuò sequi, id, quod tunc eos docebat, ad alios pertinere,
luisse. Quin immo, cum perspicuum sit, non pauca ex ipsis,
in perpetuo eo sermone dixit Christus, ad vitæ, & morum
tutionem, & correctionem attinere, non quidem apostolos
sed aliorũ, vt ea præsertim magna ex parte sunt, quæ cap. 7.
tinentur, vbi tu in explanatione tua pag. 187. apertè fateris,
ba illa, *Hypocrita eijce primùm*, &c. ad Apostolos quidem dicta
ad Scribas, & Pharisæos torqueri, nullo modò dubitandum
detur, quin, si solis Apostolis cum locutum fuisse velimus, ipsis
ea docuerit, quæ illi deinde cæteros docere, non autem, quæ ipsi
tantùm præstare deberent. Nec sanè verisimile est, etiamsi omnia
quæ in concione illa Christus dixit, ipsis Apostolis, quos solos
allocutus esset, accommodari possent, tam longo sermone, tam
publicè, & in tanta frequentia, ad ipsos dumtaxat instituendos
um vsum fuisse, & non potiùs summam quandam totius doctri
næ euangelicæ eis proposuisse, ac tradidisse, quæ ad omnes
entes pertineret, quibus, & eorum similibus ipsi aliquando,
nus suum exequentes, eam vel annunciare, uel in memoriam
gere possent. Nam, vt cætera multa omittam, & de iis tantum
dicam, quæ quincto cap. scripta sunt, in quo ea omnia leguntur,
quæ ad institutam disputationem attinent, quis tam hebes
quin videat, præceptum illud de diuortiis, quamuis ipsi quo
apostoli tenerentur, non propter ipsos præcipuè, qui, cum
illuc vagaturi essent, & per vniuersum orbem terrarum iturus,
de vxore habenda cogitare poterant, datum fuisse, sed propter
cæteros, qui domi manentes vxoribus ducendis, & liberis pro
creandis

creandis operam darent, quos ipsi ad eam normam Christi nomine instituerent? nisi fortasse velimus, eo præcepto Christum Apostolos priuatim monere voluisse, ne ad euangelium prædicandum profecturi, cum vxoribus, quas iam tum, cum ipse loqueretur, haberent, vt se illis liberarent, diuortium facerent, quòd & nimis incommodum esset eas secum ducere, & graue solas domi relinquere, neue eam satis iustam caussam esse putarent, cur illas dimittere, ac repudiare possent. Quæ mentis Christi interpretatio quàm coacta sit, nemo nō videt. ideoq; a nobis cuilibet legenti per se refutanda relinquetur. Quid verò illud eodem capite? *Si ergo offers munus tuum ad altare*, &c. Quid item illud, quod sequitur? *Esto consentiens aduersario tuo*, &c. (si modò propriè, vt tu ferè facis, non autem metaphoricè ea verba accipienda sunt) quid, inquam? nonne ad eos, qui domi degunt, & negotijs sæcularibus implicantur, omnino pertinent, ad ipsos verò apostolos, qui & peregrinantur, & a mūdanis commercijs alieniſsimi sunt, vix, aut ne vix quidem? Sed præstat tui ipsius testimonijs te conuincere. Sunt enim hæc verba tua in initio pag. 116. *necesse est ut non ad uitæ mores sermo Christi dirigatur, quod est priuatorum, sed ad doctrinæ institutionem, quæ est doctorum & ministrorum.* Et pag. 119. modum explicās, quo Christus hic suam doctrinam proponit, ais, *Et turbis quidem ut audiant, discipulis autem ut alios instituant.* Si igitur sermo Christi non ad vitæ mores dirigitur, sed ad doctrinæ institutionem, si suam doctrinam Christus discipulis proponit, vt ipsi alios instituant, profecto ea, quæ in sermone hoc dedit, præcepta, etiamsi ipsos solos Apostolos alloquutus esset, non ad reformandos ipsorum mores, sed ad doctrinam illis dandam, quam alijs proponerent, omnino pertinerent. Certum igitur esse debet, indicium, siue argumentum istud tuum primum, quo vteris ad ostendendū, solos apostolos omnibus illis Christi præceptis, quæ prædicto cap. 5. Matthæi extant, alioſq; Dei verbi ministros teneri, quòd scilicet cum solis discipulis locutus tunc Christus fuisse legatur, vel planè cōmentiticium esse, vel non eiusmodi, vt aliquid momenti habere possit. Sed iam ad alia eius rei argumenta, & rationes tuas veniamus.

Palæologus sibi aduersatur.

Secundo loco rationem affers ex ipsis primis Christi verbis

desumptam, *Beati pauperes spiritu*, & c. Primùm enim dictum illud de pecuniarum, seu fortunæ bonorum (vt ipse loqueris) paupertate accipis pag. 101. Deinde pag. 102. sic argumentaris (cum pro ùs & populum, & pastores agnos nominasses) *Si agni, hoc est, pueres, & agni, hoc est, populus moneretur pauper fieri, cui iubebatur ut ageret hoc est, suos pastores aleret? Cum enim nullus militet suis stipendijs, si populus tenetur milites alere, necesse est populum propria possidere. Pauperes ergo hæc ministrorum est uerbi*, &c.

In hac tua mirum quàm acuta argumentatione tripliciter peccare videris. Primùm, quòd de qua, seu cuius generis paupertate Christus loquatur, non intelligis. Deinde, quòd monitionem, id est præceptionem credis esse eam, quę non est, Postremo, quòd si tamen monitio est, qualis ea sit, non percipis. De quibus singulis disputiendum erit.

Putas igitur, vt de primo peccato videamus, Christum de fortunæ bonorum paupertate loqui. Sed nonne in eius verba peruertè legis, quam paupertatem intelligat? Neq; enim Pauperes simpliciter dixit, sed Pauperes spiritu, id est, Qui non sunt inflati, aut ventosi, quiq; spiritum (nam ne latini quidem ab hac voce spiritus significatione abhorrent) humilem atque exilem habent, hoc est animo non sunt elati, sed seipsos demittunt, & cæteris inferiores sibi esse videntur, aut certè pro talibus se gerunt. At enim tu verbum Spiritu non ad paupertatis genus refers, nec cum verbo Pauperes construis, aut omnino coniungis, sed pauperem tem simpliciter, & ob eam rem propriè, & secundum veri significationem intelligis, id est, vt dictum sit quentissimam significationem fortunæ bonorum. paupertatem tamen, quæ spiritu continetur, id est voluntariè. Hæc enim verba tua sunt prædicta pag. 100. *cuntur autem pauperes, seu pauperes spiritu, destituti fortunæ bonis sed tariè, siue ut ita fis firmus ne abneges, quam nosti ueritatem Dei, quod est perem esse spiritu. Sicut apud Iacobum cap. 2. & Heb. cap. 10. legitur; sine alijs*, &c. In quibus verbis sanè videris tuam istam interpretationem duobus illis diuinis testimonijs confirmare velle. Atqui in posteriore testimonio, nempe eius cap. ✝ 34. quem locum sine dubio intelligis, nec Pauperis, nec Spiritus nomen est scriptum. In priore verò extat quidem Pauperis nomen, sed non Spiritus. Ve-

Cæs. de bello ciuili comm. 3. His rebus tantum fiduciæ, ac spiritus Pompeianis accessit, ut non de ratione belli cogitarent, sed uiciſſe iã sibi uiderentur.

rùm ſuſpicor, quid, iis teſtimoniis citandis, tibi volueris. Nimirum, de eo genere pauperum, quod tu hîc intelligis, ibi mentionem fieri. Sed aliter omnino loquendum tibi fuerat, quemadmodum omnes animaduerſuros ſpero. Adde, quòd in poſteriore quidem loco iſtorum pauperum fit mentio (ſiquidem tuum illud *Palæologus nō id dicit, quod uult.*
uolunt ariè non Planè ſua ſponte, ſiue Quia ſic ipſi per ſe omnino ve
lint, interpretor, ſed Aequo animo, & libenter, aut etiam, cum
gaudio) At in priore quis idem affirmare audeat, vbi ad Iacobi
ſcopum id neceſſarium non eſt, ſed ſatis eſt, eos, de quibus loqui-
tur, pauperes & contemptos eſſe, ſiue id ipſi æquo animo ferant,
ſiue non? Cur autem nomen Pauperes apud Matthæum ſimpli-
citer, quod ad ipſam paupertatem attinet, & ppriè acceperis, in
cauſſa, vt apparet, fuit, quòd apud Lucam Pauperes ſimpliciter
legitur. nam te id probè animaduertiſſe, oſtendunt ea tua verba,
pauperes, ſeu pauperes ſpiritu. Sed interim fortaſſe non ſatis animad-
uertiſti, apud eundem Lucam, eodem loco beatos dici, qui eſuri-
unt, ſimpliciter, vt de cibi inopia, & propria eſurie ſermo eſſe vi-
deatur, cum tamen apud Matthæum de alio eſuriei, ſeu famis ge-
nere Chriſtum locutum fuiſſe conſtet. *Beati* (inquit) *qui eſuriunt, &*
ſitiunt iuſtitiam. Quamobrem, ſicut illis apud Lucam verbis, *Beati,*
qui eſuriunt, addendum ex Matthæo eſt, *iuſtitiam*, vt non de panis,
ſeu cibi, ſed de iuſtitiæ fame verba fieri intelligamus, ita & illis,
Beati pauperes addendũ eſt, *ſpiritu.* vt non de fortunæ bonorum, ſed
de ſpiritus, id eſt animi elationis paupertate Chriſtum locutum
fuiſſe ſciamus. Nec verò huîc noſtræ rationi obſtat, quòd apud
Lucam deinde in antitheſibus illis dicitur, *Væ uobis diuitibus, quia ha-*
betis (ſeu *recipitis*) *conſolationem ueſtram*, vnde perſpicuum eſſe poſſit,
ſicut de veris & propriis diuitiis, ſic de vera & propria pauper-
tate Chriſtum agere. Nam in iiſdem antitheſibns dicitur etiam,
Væ uobis, qui ſaturati eſtis, quia eſurietis. vbi de vera & propria ſaturi-
tate Chriſtus loqui videtur, cum tamen, vt ex Matthæo planum
fecimus, non de vera & propria fame loquatur. Quamquam non
ſecus, atq; ſaturatos eos Chriſtus appellare potuit, qui ſat ſibi iu
ſtitiæ habere videntur, eamq; non appetunt, cuius fame deinde
cõficientur, diuites quoq; potuit illos vocare, qui adeò elati ſunt
animo, vt ſe alios omnes inferiores ducant, & propterea feliciſsi

mi sibi esse videantur. præter quam consolationem, id est
iucunditatem, non est, quòd aliam sperare possint. Vt scilicet
ter Lucã, & Matthæum nulla sit prorsus discrepantia, sed omnia
planè conueniãt. Non dissimulabo tamen, antequam ad alia
seamus, me interpretationem, quam sequor, eorum verborum
pauperes spiritu, quæ græcé habent, οἱ πτωχοὶ τῷ πνεύματι, aliquanto
alacriùs (vt ita dicam) secuturũ, si scriptũ esset οἱ πτωχοὶ πνεύματι.
non adiuncto videlicet articulo nomini πνεύματι. Quamquam
eri potest, vt vox πτωχοὶ, seu Pauperes idem hic significet, quod
Humiles. Hebræi enim & Pauperem, & Humilem vel planè
dem, vel certè paullulum immutato nomine appellant. Quod
esset, rectè omnino articulus nomini πνεύματι adiunctus fuisset,
vt Psal. 33. in græca versione ℣ 19. καὶ τοὺς ταπεινοὺς τῷ πνεύματι
σῶσει. Ex quo loco præterea intelligi potest (id quod etiam ex
busdam aliis constat) Spiritus nomen eo sensu, in quem nos hoc
loco ipsum accipimus, in sacris litteris vsurpari. Sed iam ipsa
rum argumentationis tuæ peccatum explicemus.

Dicebam, te in ea argumentatione pro præcepto id accipere,
quod non est. Non enim, vt ex verbis ipsis patet, dum ait Chri-
stus, *Beati pauperes spiritu*, alicui præcipit, vt pauper spiritu sit, sed
tantummodo, qui talis fuerit, eum beatum esse prædicat. Quem-
admodum, cum deinde ait, *Beati, qui lugent*, nemini præcipit, vt lu-
geat, sed tantũmodo, si quis lugeat, (ea nimirum de causa, quod
facile erat intelligere) hunc beatum esse pronunciat. Nemini ge-
tur ibi mandat Christus, vt pecuniam suam omnem vltro abii-
at, & sua sponte pauper fiat. Sed si contigerit, vt quis propter E-
uangelium pecuniis priuetur, bono eum animo esse iubet. Sic ergo
dò (vt tu quidem in tua argumentatione sumis) non solùm de
paupertate loquitur bonorum, & pecuniæ, sed etiam ipsimet
paupertatem, non autem alacritatem tantùm ad paupertatem,
opus fuerit, sustinendam intelligit. qua de re mox videbimus. Ad
qui, nisi ii, quibus Christus loquitur, in illis verbis, *Beati pauperes*
spiritu, iubeantur reipsa pauperes esse, dissoluitur penitus ar-
mentatio tua, nec vlla caussa est, quamobrem ad solos apostolos
& verbi Dei ministros eum idcirco verba direxisse velis, quòd
non ipsi pastores tantùm, sed populus quoq; pauper esset, non ha-

beret populus, vnde pastores aleret. quod tamen, vt tibi videtur, fieri omnino necesse est.

Postremum in argumentatione tua peccatum erat, quòd si tamen in Christi verbis monitio erat, seu præceptio, qualis ea esset, non rectè in ipsa explicabatur. Id autem verum esse dicimus, etiamsi de pecuniæ paupertate Christus omnino loqueretur. Non enim moneret, aut præciperet Christus, vt re ipsa pauperes essent ii, quos alloquebatur, & propterea, si qua bona haberent, ea proinus abiicerent, quemadmodũ in tua argumentatione sumitur, sed tantummodo, vt omnia potiùs relinquere parati essent, quàm a sancto accepto instituto vmquam deficere. Cuius rei nullum locupletius, aut firmius testimonium, vel argumentum volo, quàm tua ipsius verba supra citata. In quibus duos locos ex sacris litteris proferens, vbi eorum mentio fiat, qui pauperes spiritu sint, alterum ex iis facis caput 10. ad Heb. Ibi enim nulli commemorantur, qui vltro bona sua abiecissent, sed tantùm qui direptionem bonorum suorum cum gaudio accepissent, quod profectò ab aliis rapta fuisse bona, non autem ab ipsis vltro abiecta, declarat. Atq; ob hanc caussam supra dicebam, aduerbium Voluntariè in explicatione tua verborum Christi nihil aliud, meo iudicio, significare, quàm Aequo animo, & libenter, aut etiam, cum gaudio, non autem Planè sua sponte. Nam alioqui nihil ad rem faceret locus ille. Et certè, nisi Pauperem spiritu eo modo, quo nos ferimus, interpretemur, & pecuniæ paupertatem ea appellatione omnino significari velimus, nulla conuenientior interpretatio excogitari potest, quàm, si Pauperem spiritu eum esse dicamus, qui, etiamsi multam pecuniam habeat, si tamen eius spiritum spectes, quæ ea pars est in nobis, qua consultò eligimus, & de rebus ad vitæ nostræ institutum pertinentibus deliberamus, pauper censeri debet, id est, eam pecuniam non habere. quippe qui eam non amet, nec tanti faciat, quin eam relinquere, si opus fuerit, semper sit paratus, neq; ad vitæ suæ institutum eam pertinere statuat. Et sicut iste, quamuis bonis affluens, pauper tamen spiritu dici potest, ita, qui diuitias non habens, eas appetit, spiritu pauper dici non debet. Sed hæc hactenus. Nam etsi multò plura tuæ illi argumentationi obiici potuissent, tamen nimis multa ea, quæ ad illam

Palæologus testimonia aduersus seipsum profert.

ad illam conuellendam attulimus, cuipiam fortasis videri potrunt. præsertim cum vnico verbo id præstari potuisset. Quodquidem, quicquid hoc loco Christum de fortunæ bonorum paupertate præcepisse contendas, id omnibus, qui eius discipuli esse velint, ab ipso præceptum fuisse, fatearis necesse est, cum Luc. cap. 14. ad finem idem Christus, turbas alloquens, dixerit, quemquam ex ipsis suum discipulum esse posse, nisi omnibus, quæ possideret, renunciasset.

Tertio loco argumentum profers his verbis (ea sunt ad finem pag. 106. & in initio 107.) *Mutatio etiam personæ ex tertia, ipsorum ad magnum cælorum, in secundam, Beati estis. declarat, sermonem hunc totum ad Apostolos præsentes pertinere, sed quem ad alios qui successuri essent munere Apostolico deduci & transferri necesse esset.*

Hoc tuum argumentum iam satis dilutum est in responsione ad primum. Vbi ostendimus, non modò præter Apostolos adstantes os discipulos, & turbam ipsam præsentem, & Christi verba audientem fuisse, verùm etiam Christi sermonem ad omnes discipulos omnino directum fuisse. Vt quidquid Christus in ea concione dixit, omnino ad eos omnes pertineat, qui eius disciplinam amplecti velint. Siquidem, vt ostendimus, discipulus Christi est, vt nomen ipsum declarat, quisquis Christi disciplinam amplectitur.

Quartò ex eo argumentari videris, quod ait Christus, *Vos estis lux mundi*, &c. quasi hinc manifestè appareat, ad eos solos vos ba fieri, qui doctrina Euangelii cæteris prælucere debebant. Sed meminisse debueras, alibi eos etiam, qui ministri verbi non fuissent, si sanctè, & innocenter viuant, luminaria quædam mundi appellari. Paulus enim ad Philippenses scribens sic eos monet, *Phil. 2. 15.* *facite sine murmurationibus, & disceptationibus, ut sitis irreprehensi & sinceri, filij Dei inculpati in medio nationis prauæ & peruersæ, inter quos lucetis sicut luminaria in mundo.* Annon ipse Christus, cur eos, quos alloquebatur, lucem mundi appellasset, apertè indicat, cum posthumanum dixit, *Sic luceat lux uestra coram hominibus, ut uideant opera uestra bona, & glorificent patrem uestrum, qui in cælis est?* Cui cõsentiens Petrus ait, *1. Pet. 2. 12.* *Conuersationem uestram inter gentes habentes bonam, ut in eo, quòd detrahunt uobis, tamquam de malefactoribus, ex bonis operibus uos considerantes, glorificent Deum in die uisitationis.* Nõ igitur de luce doctrinæ potissimum lo-

hoc loco, sed de luce bonorum operum loquitur Christus, quam tu quoq; agnoscis. propter quam, vt ex Paulo ostendimus, mundi luminaria homines ea prædi ti appellantur, & ex qua sola, vt ex Petro liquet, is finis consequitur, propter quem monet Christus eos, quibus loquitur, vt, postquam lucendo destinati fuerunt, vnde lux mundi vocantur, lucere etiam coram hominibus velint. qui finis illustratio, & ãplificatio est diuinæ gloriæ. Quare nihil cogebat, hoc loco lucem doctrinæ, id est Alios viam salutis verbo docendi cum luce bonorum operum, id est Scientiæ eius viæ, & per eam incessus coniungere, vt tu facis. qui pag. 11. ita scribis, *Sicut autem bona uita ministri sine doctrina regni cælorum caret luce:* &c. Quod multò aliter se habet. Nam bona vita siue ministri, siue vnius de populo per se, & ab Euangelii prædicatione separata, luce non caret. Immo, vt Pauli, & Christi verba nos docent, ipsa est, quæ maximè lucet. præsertim verò in iis hominibus, qui cæteris præsunt, & tamquam in editiore quodam & magis conspicuo loco sunt positi, cuiusmodi certè sunt verbi ministri. Et tu ipse in fine pag. antecedentis ais, ministros verbi debere bonâ vitâ lucere, vt lucent bonâ doctrinâ. Et pag. 12. sic Christi loquentem inducis, *Ob hãc causam uolo, ut una cum bona doctrina luceat lux bonorum operũ uestrorum.* Atq; etiam in priore scripto pag. 9. hæc tua verba leguntur. *Ministrorum enim erat prælucere populo, luce obseruationis legis diuinæ.* Quòd si, cum ais, bonam ministrorum vitam sine doctrina regni cælorum luce carere, ea verba, *sine doctrina regni cælorum,* (vt quidem videtur) pro eo, quod est Cum doctrina mala & regno cælorum contraria, vel non consentanea, dixisti (quamquam sic vnum diceres, aliud ageres, id enim scilicet persuadere curas, bonam vitam in iis, qui non docent, lucem non esse, seu luce carere, vt ad eos verba Christi nõ pertinere probes) primùm dico, vix, ac ne vix quidem inueniri posse, qui bene viuat, & malè doceat, quamuis multi inueniantur, qui bene docent, & malè viuunt. Nam quomodo poterit is bene viuere, qui artem bene viuendi non teneat, aut, si tenet, aliis eam inuideat? Nonne, vt viam salutis docere præstantissimum factum est, & inter bona opera Deoq; grata numerandum, sic eam dedocere turpissimum, atq; inter pessima opera Deoq; maximè inuisa recensendũ? Non

Palæologus aut seipsum refellit, aut ineptè loquitur.

igitur bene viuere potest quis, & simul malâ doctrinâ alios peiores ere. Deinde, etiamsi aliqua ratione fieri posset, vt idem malè ceret, qui bene viueret, dico tamen, eam bonam vitam luce carituram. Non minùs enim mouentur homines exemplo quam doctrinâ bonâ ad viam salutis capessendam. Quod etsi tutius mum videtur esse verum, cum vtrumq; simul coniunctum est, men, cum ea mala doctrina, quę ab homine verè probo traditur, numquam in Dei, Christiq; mandatis, quibus veram probitatem docemur, peruertendis versatura sit (alioqui probus non esset) tunc etiam sine dubio ad veram probitatem, & porrò ad viam lutis ingrediendam bonum illius hominis exemplum poterit permouebit. Sed quid ampliùs laboro, vt ostendam, bonam tam per se, & ab Euangelii prædicatione separatam in ipsis stris lucere, siue efficere, vt lux illorum luceat, cum tu ipse ter supra recitata verba tua sic pag. 113. scribas? *Cum autem Ministros regni cælorum dirigatur tota oratio, qui non solùm suam legem debent, ut luceat lux illorum coram hominibus, nisi bus, sed etiam alios docere*, &c. Hìc profectò, cum dicas, *doccre*, manifestum est, te in ipsis verbi Dei ministris lucem rum operum, de qua ante locutus fueras, a doctrinæ luce, tamen hoc loco lucem non appellas, separatam cõsiderare, etiam tu ipse tibi parum constans alibi, id est pag. 201. in fi sti verborum paraphrasi lucem eorum, ad quos Christus batur, bona opera interpretaris, nulla prorsus bonæ doctrinæ cta mentione. Patet igitur, vt ad rem redeamus, non ad solos bi ministros Christum verba sua conuertisse, cum ait, *mundi*, sed ad eos omnes, qui scientiâ diuinæ voluntatis cæteris exemplo suo ad æternę salutis viam prælucere Idem autem dictum volo de verbis illis, *Vos estis sal terræ*, &c. non verbi ministris tantùm, sed omnibus Christi discipulis uenire affirmo, quod verum esse intelliget, quisquis 14. Lucæ tantummodo semel legerit, quidquid tu in ne tua dicas, vt ea apostolis, quatenus apostoli sunt, Quincto loco, Christi vniuersum sermonem ad solos stros regni cælorum pertinere, ex illis verbis probari *Qui autem fecerit, & docuerit*, &c. Pergens enim in explanatione

Palæologi incõstantia.

sic scribis in fine pag. 112, & seq. initio, *Fecerit & docuerit: quia ministris regni cælorum leges dabat, id ita loquitur. Nam priuatis loqueretur si tantum diceret qui soluerit, qui fecerit.* Itaq; putas, ex eo, quòd iis verbis vsus est Christus, quibus id continetur, quod simul totum ad solos verbi ministros pertinet, ipsis etiam solis eum locutum fuisse, apertè constare. Nam alioqui, si priuatis loquutus esset, eam partem tantùm dixisset, quæ ad eos pertineret. Hancq; tuam argumentationem adhuc clariùs explicas paullo post his verbis, *Tantam, inquam, diceret: fecerit & soluerit, si priuatis daturus esset mandata.* Deinde, iis adiectis, quæ in responsione ad superius argumentum recitauimus, *cum ad Apostolos &c.* ita concludis, *proin concludendum est, ad eos qui à Deo mittuntur ministri ut doceant & colant Ecclesiam, totum hunc sermonem (cùm dicit: fecerit & docuerit) pertinere.*

Equidem, Palæologe, in hac tota argumentatione tua acumen tuum desidero, præcipuè verò cum ais, Si Christus priuatis daturus esset mandata, dicturum tantùm Fecerit, & soluerit, nec additurum scilicet Docuerit, & aliter docuerit. Quasi verò vel nos contendamus, Christum solis priuatis mandata dedisse, vel necesse sit, si priuatis dedit, cæteris non dedisse. Quid enim vetat, quòminus vtrisque & priuatis, & ministris simul præcepta dare potuerit, atq; duo dixerit, quibus vtrosq; cõplexus fuerit, quamtis ad alteros vtrumq;, ad alteros verò vnum eorum tantùm pertineat? aut quid opus est ad hoc, vt demonstretur, eum priuatis dedisse mandata (hoc enim a nobis quæritur) ipsis solis dedisse, seu ministris non dedisse, ostendere?

At enim inquies, vim argumentationis tuæ in eo esse, quòd, cum Christus duo simul coniunxerit, simulq; coniuncta requisierit, Facere, & Docere, itemq; Soluere, & Aliter docere, id quod in priuatis haberi nequit, satis intelligi potest, Christi sermonem ad priuatos directum non fuisse, nec ad ipsos vlla ratione pertinere.

Respondeo primùm, te non ita explicitè loqui, & vniuersam vim argumenti tui in eo videri statuisse, quòd si priuatis daturus fuisset Christus mandata, vnius tantùm ex illis duobus, eiusq; contrarij mentionem fecisset. Quod a te minùs rectè concluſum esse, iam demonstratum est. Deinde, te in eo falsum esse affirmo, quòd putas, quia Christus coniunctiua particula Et vsus fuerit, duo il

la simul coniuncta ab ipso requisita fuisse. Quandoquidem hoc rarò ea particula non verba, inter quæ ponitur, sed sententias coniungit. nimirum quia aliquid, quod in antecedente sententia vel sententiæ parte expressum est, tacitè repetit. exemplaq; sim sunt obuia. Vnde factum est, vt vulgò traditum fuerit, Non culam Et interdũ pro Aut vsurpari. Et sanè hoc loco id fuisse apertissimum est. Namq; ait Christus, *Qui ergo soluerit de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus uocabitur in cælorum.* Iam enim ex verbo *fecerit*, quod in subsequente antithesi verbo *soluerit* sine dubio opponit, atq; ex ipsa explanatione rata paret, ac confitendum tibi est, Soluere a Christo pro Non facere vsurpatum fuisse. Quod si verum est, vt profectò est, certissimum esse debet, particulam Et hoc loco non illa duo verba, inter quæ posita est, in vnam sententiam coniungendi, sed duas sententias copulandi, & sub vno verbo comprehendendi vim habere, reposito videlicet tacitè pronomine Qui, hoc pacto, *Qui soluerit, & docuerit sic homines*, atq; perinde esse, ac si dictum fuisset, Qui soluerit, aut docuerit sic homines. Alioquin sequeretur, nihil quemmul & non faciat, & non facere doceat vnum ex illis mandatis, non fuisse Christi verbis comprehensum. cum ratio res ipsa nos moneat, nihil aliud dicere Christum voluisse, quàm siue quis non fecerit, siue non facere docuerit vnum ex minimis Dei mandatis, futurum istum minimum in regno cælorum, quod teipsum vix negaturum crediderim. Nam etsi Regnum cælorum Euang. lii prædicationem interpretaris, tamen certum est, tegnum so, vt vidimus, teste, in iis, qui Euangelium prædicant, & Dei nam vitam, & sanam doctrinam a Christo simul requiri, & Deum, vt ipse in principio pag. m. affirmas, eos ministros exercitus qui bona vita carent, quamuis bonam doctrinam habeant, & vt dici illis, qui alterutro sunt priuati. Quapropter meritò, qui alterutro istorum careat, minimus in Euangelio prædicando dicipotest. Neq; enim verbum Minimus hoc loco in sua propria significatione accipiendum est, sed idem censendum, ac si Paruum dictum fuisset, quemadmodũ ex opposito in antithesi verbo Magnus perspicuum est. Minimum autem, non Paruum dixit Christus, alludens ad id, quod dixerat, *vnum de istis minimis mandatis.* Quatu quidem

tu quidem quodammodo animaduertis, sed, dum Minimum pro Paruo dictum fuisse, docere debueras, contrà facis, & Magnum pro Maximo dictum esse scribis. Quòd si is, qui vel bona vita, vel sana doctrina caret, minimus, hoc est, vt docuimus, paruus in prædicando Euangelio dici potest, certè, nisi tu nos fallis, quicunq; vnum ex illis mandatis non fecerit, paruus erit in Euangelii prædicatione. Vis enim eum, qui talis est, bona vita carere. Sic enim pag. 113. pronuncias, *Qui minima legis, quæ facilia sunt obseruatu, deserit, magnorum etiam desertor esse conuinci potest.* Sed quid dicemus de eo, qui sana doctrina careat? Num parum liquet, istum, etiamsi bonam vitam eum habere posse velimus, tamen Euangelio ministrando planè ineptum esse, & propterea nõ paruum modò ea in re, sed minimum etiam rectè vocari posse? Atqui nequaquam sanam doctrinam, id est salutarem, is habere dicetur, qui vel vnum ex minimis Dei mandatis, docendo, peruertat, illudq; ne faciat, populum moneat. Nam, vt ait Iacobus, Qui in vno peccat, factus est omnium reus. Itaq;, vt ad propositum reuertamur, satis apparet, Christum voluisse dicere & eum, qui soluat vnum de minimis Dei mandatis, & eum, qui sic doceat homines, minimum, id est, paruum, vocatum iri in regno cælorum, etiamsi regnum cælorum id esset, quod tu putas. nisi fortè dicamus, hæc quidem vera esse, sed hoc loco a Christo dicta non fuisse. Quod quàm sit verisimile, iudicabunt omnes. præsertim cum, si ita res se haberet, non solùm ea, quæ & verissima erant, & eius proposito maximè consentanea, reticuisset, verùm etiam, ea reticendo, falsa esse indicasset. Nam, si tantùm dixisset, eum paruum vocatum iri in regno cælorum, qui & non fecisset, & simul alios, ne facerent, docuisset, certè non malè concludi potuisset, eum, qui in alterutro dumtaxat istorum peccasset, in regno cælorum minimè paruum futurum.

Palæol. error.

Iac. 2. 10.

Sed dices fortasse, quæ disserui de verbis illis, *Qui ergo soluerit, & docuerit sic homines*, admitti posse, nisi sequerentur in antithesi verba illa, *Qui autem fecerit, & docuerit*, quibus interpretatio mea particulę Et accommodari non potest. Si enim Christus dixisset, Qui fecerit, & qui docuerit, magnus vocabitur in regno cælorum, falsum dixisset. Nam sine dubio non satis est docuisse, ni

quoq; feceris, nec rursus, si verbi Dei minister es, satis est fecisse, ni simul docueris.

Respondeo, Christum sermonis breuitati, & concinnitati pe-riter studuisse, vtq; antithesis hæc elegãter superiori thesi respon-deret, curasse. Cumq; duo hominum genera, qui sui discipuli essent, iam essent, aut futuri essent, alloqueretur, vnum eorum, quibus faciendi onus tantummodo incumbebat, alterum eorum, quos facere, & docere debebant, cum, si plenè loqui voluisset, dicere dum fuisset. Qui autem si docendi munus habeat, fecerit, & do-cuerit. sin minùs, fecerit, vt hanc verborum prolixitatem quo-dam vitaret, dixit concisè quidem, sed venustè, *Qui autem fecerit & docuerit*, atq; eodem tempore verbis antecedentis thesis, *Qui er-go solucrit, & docuerit sic homines*, vt in antithesibus fieri consueuit, vnguem respondit, auditori ea addenda relinquens, quæ ob præ-dictas causas, tamquam indubitata, ipse omiserat. Quis enim auditoribus cum manifestũ sit, ministros verbi Dei non tantum docere, sed facere etiam, quantumuis minima, Dei mandata de-bere, populum autem facere dumtaxat, non Christi verba, vt nos antea fecimus, per se ipse supplere potuit?

Sed vereor, ne iam longiores, quàm par sit, videamur in in-terpretatione nostra verborum Christi confirmanda. præsertim cum vnico verbo ad argumentum tuum respõdere possimus, ne-gantes, cum Christus ita locutus est, rationem auditorum habu-isse, quippe qui obiter ista dixerit, calumniam depellere curasse, quam sibi propter multa, quæ mox dicturus erat, impendere ve-debat. nempe quòd legem soluere, & abrogare vellet. Ait igitur tantum abesse, vt ipse id facturus venerit, vt quisquis seu factis, seu dictis id vmquam, vel minima quidem ex parte, tentauerit, in sententiâ nullius pretii futurus sit in regno Dei. qui autem con-trà fecerit, magni æstimandus sit in eo regno. Vnde apparet, re-stra quæri, ad quosnam eorum, qui ibi præsentes essent, Christi verba illa pertinerent, cum pars instituti sermonis non sint, & po-tiùs ad se purgandum, quàm ad auditores docendos a Christo de-cta, & accommodata fuerint.

Sexto & vltimo loco sub finem pag. 196. eam Iesu Christi si-militudinem, seu comparationem explanans, qua in extrema hu-concione

concione, quid de ijs omnino censendum esset, qui, ipsius præceptis auditis, ea exequerentur, demonstrare voluit, ad ea verba, *Et descendit pluuia*, &c, sic annotas. *Hinc patet eum totum sermonem directum esse ad Apostolos. Nam descensus pluuiæ irruptio fluminum, flatus uentorum, commotio turbinum, tribulationes significant quas fert minister*, &c. Si huius tuæ argumentationis errores, turpesq; fallacias ostendere velim, nimis profectò sim longus. Quare satis erit eam tui ipsius verbis manifestè refellere. Addis enim illico, *& una cum ministro populus, doctrinam ministri complectens.* Si igitur, te ipso teste, non minister tantùm, sed populus quoq; ministri doctrinam complectens istis tribulationibus est obnoxius, quomodo ex ipsis tribulationibus totum sermonem ad Apostolos directũ esse, & sic ad ministros tantùm pertinere, argumentari audes?

Palæologus seipsum refellit.

Hactenus ea exponere, ac refutare libuit, quæ a te in medium allata, vel etiam indicata fuerunt, ex quibus probari credas, sermonem a Christo, vt Matthæus narrat, in monte habitum non ad alios pertinere, quàm ad apostolos, & verbi Dei ministros. In quibus explicandis si cubi morosiores visi fuerimus, non ægrè feret, spero, benignus lector. Maximi enim momenti in tota ipsa quæstione, ac disputatione est rectè cognoscere, ad quos is Christi vniuersus sermo pertineat. Quandoquidem aduersarii tui, vt dictum est, (nec quidem immeritò) ex eo sermone potiora suæ sententiæ argumenta eliciunt. Quod tu animaduertens, totis viribus multò aliter, atq; ipsi faciũt, accipiendum, & interpretandum esse, docere conaris. Et idcirco locorum, quos illi potissimùm sibi fauere arbitrantur, examinatione non contentus, orationem illam vniuersam, in qua pleraq; sunt, quæ nihil ad rem faciunt, explanare voluisti, idq; duplici modo magna ex parte. Nam partem illam, in qua aliquid difficultatis esse putasti, nõ commentario tantùm, vt reliqua omnia, sed paraphrasi quoque illustrare voluisti. Quamquam, modò id euinceres, de quo huc usq; actum est, ad solos videlicet verbi ministros Christi verba referenda esse, vno ictu aduersariorum sententiæ validiora fundamenta conuelliſſes. Quamobrem nobis non mediocriter laborandum fuit, vt, argumenta, & rationes, quibus id demonstrari posse existimas, nihil momenti ad eam rem habere planum facerem.

Quinetiam,

Quinetiam, antequam aliud agamus, monitos lectores volumus, in tota illa Christi concione quædam pauca esse, quæ magis apostolis, quàm cæteris Christi discipulis conuenire videntur. Quale est illud cap. 5. ℣ 12. *Sic enim persequuti sunt prophetas qui fuerunt ante uos.* Hic enim omnino videtur cum Apostolis tantùm loqui, qui prophetis in Dei verbo ministrando successuri erant. Verùm, vt diximus, hoc quidem sic videtur, sed non est. Nam vt supra ostendimus, iudubitatum est, Christum non Apostolos tantùm, sed discipulos suos omnes allocutum fuisse. ad quos phetarũ exempla, qui persecutionem a populo sustinuerunt, apprimè accõmodantur. Sicut enim illi, sic isti, vt Deo magis obtemperent, quàm hominibus, a populo suo, a sua ipsorum gente atque æquo animo ferre debebant, idq; eò magis, quòd illis priorum istorum comparandi non erant. Si enim Dei vates ipsi nobilissimi a vilissima plebe, vt Deo obediant, persecutionem patiebant, & contemni, ac reiici non recusant, quantò magis id facere debent ii, qui nullo singulari munere sibi a Deo iniuncto ab hominum vulgo sunt separati? Fuerunt igitur hi post illos, non quidem quia illis in munere diuinæ voluntatis annunciandæ succederint, sed quia non solùm tempore (quo pacto simpliciter ferendi quispiam verba illa, *ante uos*, interpretaretur, nam & apud Lucam scriptum est. *Hæc enim faciebant prophetis patres eorum*) illis posteriores fuerunt, verùm etiam eos, tamquam duces, & præmonitores quosdam, in hominum iniurijs patienter ferendis habuerunt, sibiq; ea in re præcedentes imitari debent. Nam eadem hac ratione eos etiam, qui verbi Dei ministri non erant, ad patientiam hortandi vtitur auctor epistolæ ad Hebræos ad finem cap. 11. exemplum videlicet afferens antiquorum prophetarum, qui variis modis a populo, eiusq; principibus delusi, vexati, carti, atque interfecti fuerunt, variisq; calamitatibus acti, nusquam, vbi consisterent, habuerunt. De antiquis enim prophetis ibi loquitur. fuisse auctorem illum, & vetus sacra historia nos admonere possit, & tu ipse confiteris, seu potiùs contendis in priore tuo scripto pag. 6. in fine. Accedit eò, quòd, cum Christus exempla afferre vellet eorum, qui ante eos, quos alloquebatur, id ex

Luc. 6. 23.

Lege, persecutionem a suis propter iustitiam in populo Dei

essent, necesse habuit prophetarum exemplum adducere. Namq; istis solis, nec præterea aliis, id contigisse, aut verisimile erat, aut certè in sacra legebatur historia.

Ad solos præterea apostolos ea Christi concionis verba pertinere videntur, quæ leguntur cap. 7. ℣ 6. *Ne date sanctum canibus*, &c. Non prædicandum enim Euangelium esse indignis, & in veritatem diuinam cõtumacibus, omnino dicere videtur Christus. Atqui Euangelii prædicatio propria est apostolorum, & eorum, qui illis successerunt. Verùm animaduertendum est, duplicem esse Euangelii prædicationem, publicam, & priuatam. Publica apostolorum, & eorum, qui illis successerunt, est propria. Priuata verò est communis omnium Christianorum. De vtraq; autem locutum fuisse Christum, rationes, quas sui præcepti affert, quæ in vtraq; locum habent, satis demonstrant, aut certè, cur ad publicam eius verba restringi debeant, nullam caussam esse, aperte docent. Hisce duobus in Christi concione locis nobis occurrendum putauimus. Si qui sunt reliqui, eos nihil sententiæ nostræ repugnare, facilè per se quisq; intelliget. Tametsi non necesse est in hac disputatione, nos ea testimonia diluere, quæ, vt solis Apostolis locutum fuisse Christum, ostendatur, proferri possent. Siquidem, vt supra disseruimus, etiamsi omnino Christus Apostolis tantùm esset locutus, tamen satis habemus, vniuersum eius sermonem ad eam disciplinam pertinere, qua cæteros ipsi instituere debebant, non autem priuatim ad mores ipsorum Apostolorum instituendos. Quod adeò verum est, vt ipse ei rei testimonium dare identidem coactus fueris. Vt metuendum sit, ne hæc nostra legens, tibi, quod contrà sentias, falsò ascribi clamites, te nihil aliud sensisse affirmans, quàm Christum ad Apostolos tantùm verba direxisse, non autem ad alios quoq; præcepta illa non pertinere, atq; vt id probes, ipsa verba tua non pauca in medium afferas. Sed tota de re facilè omnes iudicabunt. Nobis quidem, te id & asserere, & contendere, quod nos refellere studuimus, non minùs persuasum est, quàm te ipsum veritatis vi compulsum parum tibi hac in re constantem (vt etiam in aliis non paucis) idem, quod nos asserimus, & cõtendimus, pluribus in locis cõfirmasse.

SEQVITVR, vt de alia ratione agamus, qua testimonia illa CAPVT IV.

illa aduersariorum apud Matthæum diluere tentas. Quarum nim docere, ea omnino ita interpretanda esse, ne sententiæ tuæ fragentur, idq;, vt diximus, duplici via. quarum vna est, vt singneratim ostendas, altera, vt singulatim. Ac primùm de pro agamus.

Vnico igitur argumento, quamquàm a te nusquam (quod nimaduerterim) apertè explicato, probare conaris, ea quæ Christus apud Matthæum præcepta dat, tuæ sententiæ uersari non posse. quæ est, Licere homini christiano tus auctoritate bella gerere, & eius opem secundum leges sus quemcumque ad vindicandas quascumq; iniurias suas rare. Argumentum tale est. Christus in ea concione per Mosem latæ in iis, quæ ad mores, & vitia pertinent, didit, multò minùs aliquid ex ea detraxit, aut immutauit. lex diuina per Mosem lata nec bella gerere auctoritate tus, nec eius opem secundum leges, ad priuatas etiam ciscendas, cuiquam aduersum quemquam implorare bat. Ergo Christus in ea concione nihil dixit, vnde, auctoritate licèt interueniente, nec bella gerere, nec priuatas iurias omnes ex legum præscripto cuilibet aduersus vindicare, non licere appareat. Assumptio, seu minor gumentationis propositio nulla probatione indigere cum ex sacris historiis constet, ante Christum, vtrumq; dictis Dei populo facere licuisse. Quamquam, si quis sem percurrat (quæ vera huius rei probatio est) nihil quo contrarium suaderi queat. Propositionem verò, rem propositionem, in qua tota vis argumentationis multis modis confirmare conaris. quos hìc co ordine, sponsione tua explicati, vel indicati sunt, aliam meliorem dum, seu certam viam & rationem hac in parte ponemus, & sigillatim rationes & argumenta tua, Deo uente, refutabimus.

Primò igitur, vt probes, Christi mentem in ea concione fuisse Mosis legem vlla ex parte supplere, vel emendare, ea quæ ante data præcepta Christus dixit, considerandæ

Nisi abundauerit iustitia uestra plus, quàm Scribarum, & Pharisæorum,

ris, ad solos Apostolos vniuersum Christi sermonem directum fuisse, sic deinde pag. 115. ex prædictis verbis, vt rem paucis perstringamus, breuiter infers. Christus requirit in apostolis maiorem iustitiam, quàm in Scribis, & Pharisæis. ergo de quadam iustitia loquitur, quæ vtrorumq; communis erat. Quadruplex autem iustitia hoc loco considerari potest, Speciosa, Legis, Fidei, & Recitationis Legis. Speciosam non potest Christus maiorem in apostolis requirere, quàm in Scribis, & Pharisæis. nam eam a-libi damnat. Legis, aut fidei in Scribis, & Pharisæis nulla erat. Relinquitur igitur, vt de recitationis Legis iustitia loquatur, quam velit maiorem in apostolis esse, quàm in Scribis, & Pharisæis. Vnde perspicuum est, Christum in iis, quæ postea dixit, non supplendam, siue emendandam sibi legem suscepisse, sed tantummodò eam a corruptelis, falsisq; commentis Scribarum & Pharisæorum, dum eam populo recitarent, vindicare, & perpurgare voluisse.

Hæc vniuersa argumentatio tua vel ex eo solo planè conuellitur, quòd, vt supra demonstratum fuit, non ad Apostolos tantùm, sed ad omnes discipulos suos, id est ad eos omnes. qui eum pro veritatis magistro agnoscebant, eiusq; disciplinæ sese addicebant, sua verba direxit Christus, eosq; docere instituit. In quibus omnibus cum ista tua recitationis Legis iustitia minimè futura esset, sequitur, de ea Christum locutum non fuisse. At inquies, De qua ergo iustitia loquutus est, cum ex cæteris tribus, quas enumerauimus, vna a Christo in suis requiri non potuerit, reliquę verò duæ in Scribis, & Pharisæis nulla ex parte essent? Respondeo primùm, non meum esse explicare, de qua iustitia locutus fuerit Christus, sed docere, vt equidem feci, non de ea locutum fuisse, de qua tu asseueras. Deinde nego, in Scribis, & Pharisæis nullam partem iustitiæ legalis fuisse. Neq; enim, quia praui, & peruersi essent, & progenies viperarum ab ipso Christo appellarentur, quiq;, cum mali essent, bona loqui non possent, vt ex locis à te in margine citatis apparet (nam Paulus non de Scribis, & Pharisæis, vt tibi videtur, loquitur, sed vniuersè de Iudæis. hos autem alicubi, quantumuis peccassent, tamen iustitiam Legis sectatos fu-

Palæol. lapsus.

Rom. 9. 31.

isse scribit) Non enim, inquam, quia tales Scribæ, & Pharisæi Christo ipso teste, essent, idcirco nihil prorsus eorum faciebant quæ Lex iubebat. Immo multa eos, quæ Lex iuberet, præstitisse indicat parabola Pharisæi, & publicani a Christo exposita Luc. 18. in qua sine dubio Pharisæorum superbiam notare voluit, quòd multa facerent in Lege præscripta, propterea sese iactabant & iusti omnino sibi esse videbantur. Vt enim eiusmodi homines sibi confidentes ipsorum erroris admoneret, atq; redargueret, am parabolam Christum dixisse, docent euangelistæ verba antecedentia. Nec porrò in eam parabolam Pharisæi personam Christus induxisset, aut illi, quæ tribuit, tribuisset, nisi ex Pharisæis multi eiusmodi inuenti fuissent. Atq; de legali iustitia, id est Legis mandatorũ conseruatione, quę etiam in Scribis, & Pharisæis reperta qua ex parte esset, Christum fuisse locutum, ipse tibi contrarius cõfiteris, dum postea in Paraphrasi ad hunc modum Christi verba explicas pag. 202. *Hoc enim uobis dico, nisi iustitia quæ à uobis præstatur est, in obseruatione legis & prophetarũ, excesserit iustitiã quam præstant Scribæ & Pharisæi, qui, quæ maximopere laudantur à lege & prophetis præcepta, attingunt, minimorum sunt obseruantissimi & uenditãt se ueluti legis & prophetarum obseruatores, non estis in cœleste regnum ingressuri.* Et in priore scripto in fine pag. 11. & seq. initio ais, ex istis Christi verbis apparere, Apostolos non fuisse ab ipso ad ministerium vocatos, vt ab obseruatione diuinarum legum soluti essent, qui nisi iustitiã Scribas, & Pharisæos superassent, non essent ingressuri in regnum cœlorum. Et pag. pręterea 165, & 166. alia tua verba leguntur, ex quibus constat, te iustitiam istam Scribarum, & Pharisæorum ad Legis iustitiam referre. Idem colligitur ex quibusdam verbis pag. 174. 178. & 260. Et deniq; pag. 261. ipse contendis, a Christo asseri, in Scribis inueniri iustitiam, amãdo amicos, non maledicendo corpore, non peierando, & alia similia faciendo, aut non faciendo. Verùm, quod tu imprudens, vi veritatis impulsus, conuersus teipsum tam sæpe, tam apertè scripsisti, ita omnino sentire, & Christum, vt dictum est, in iis verbis de Legis iustitia egisse, intelliget quisquis animaduerterit, ea ab ipso verba nõ propter sibi dicenda (quo euicto, concidit vniuersa argumentatio tua) sed propter iam dicta prolata fuisse. Nam (quamquam in

Palæologus sibi contrarius.

gatis latinis codicibus aliter legitur) nectit ea verba Christus cũ præcedentibus per dictionem γάρ, siue Enim, quæ non modò ad superiora relationem haberi, sed eorum rationem quamdam reddi, planè arguit. Dixerat autem Christus, cum, qui soluisset vnum ex minimis Legis mandatis, & sic homines docuisset, futurum minimum in regno cęlorum, qui autem fecisset, & docuisset, magnum in eo regno futurum. In quibus verbis perspicuum est agi de conseruatione, & non tantùm de doctrina, seu recitatione, vt tu eam vocas, mandatorum Legis. Quoniam verò quispiam obiicere Christo potuisset, ac dicere, Quid ais? Annon ipsi Scribæ, & Pharisæi nonnulla Legis mãdata non conseruant? Respondet Christus, Longè falleris amice, si exemplum Scribarum, & Pharisæorum sequendum putas. Maiorem enim iustitiam, quàm in Scribis, & Pharisæis reperiatur, in eo esse oportet, qui in regnum cælorum ingressurus sit. Quæ omnia eorum verborum occasione dixit, quibus sibi viam ad ea, quæ postea sequuntur, præcepta danda præmuniuerat. Nempe eorum, *Nolite putare, quoniam ueni soluere legem*, &c. Namq;, vt satis constat, his verbis iis voluit occurrere, quæ sibi Mosis legi mox quædam addituro obiici potuissent, atq; auditorum de ipsius doctrina dubitationem præueniendo, dociles simul eos, atq; attentos reddere. Itaq; prædicit, & antea monet, se non venisse ad soluendam, seu potiùs destruendam, & euertendam (in græco enim est, καταλῦσαι) id est abrogandam Legem, quemadmodum fortasse quispiam alioqui dicturus fuisset. Non enim eam abrogaturus, sed impleturus, hoc est perfecturus venerat. Quod & verisimum est. Quid enim in lege (morali videlicet) per Mosem lata damnauit Christus, aut abrogauit, quamuis illi non pauca addiderit? Numquid, cum Lex (exempli causſa) dixisset, *Ne occidito*, ipse præceptum hoc sustulit, & occidi posse dixit? Tantum abest, vt hoc fecerit, vt immo, ne iracundiæ quidem temere quemquam fratri suo posse, voluerit, eiue commicium facere. atq; ita legem pleniorem (vt ita dicam) reddidit, eamq; absoluit. Sed hæc obiter hoc loco. Nam inferiùs hac de re latiùs differendi sese offeret commodior occasio. Hæc eò tantùm dicta sunt, quò cognoscatur, verba illa, *Nisi abundauerit*, &c non ad ea, quæ mox dicenda erant, sed ad ante dicta respicere. vn

de fit, vt id, quod quæris, neq; tu argumentatione tua ex ipsis e-
lo modo probare potueris, neq; alius quispiam probaturus
Etenim, ni fallor, aliquantò meliùs, quàm tu feceris, pro sen
tia tua de Christi præceptis illis ex prædictis verbis argumen
quis posset, si ea nõ propter antecedentia, sed propter subsequ
tia dicta fuissent, vt tibi videtur. Id quod & inculcas, & apo
ùs explicas pag. 220. atq; ex eo sententiam tuam de mente Chri
in iis, quæ sequũtur, præceptis dandis confirmare conaris; quod
etiam in priore scripto feceras, pag. 35. & alibi quoq; idem fa
Cætera, quæ vt argumentationis tuæ vitia retegerentur, dici po
tuisse, quilibet ingeniosus lector facilè animaduertet, alicu
uitati consulentes, omittenda duximus.

Secundo loco, vt confirmes, non id egisse Christum in præ
ceptis illis dandis, vt legi Mosis aliquid adderet, sed vt a falsis
Scribarum, & Pharisæorum commenta reiiceret, omnia præcep
ta, antequam ea diligentiùs examines, singulatim percurrendo
(id quod pag. 119. facere instituis) quæ præter nuda Legis verba
Christus adiungit, ais esse reiectionem commentorum illorum.
Qua tamen de re nihil prorsus constat, nec tu aliquid ad id pro
bandum in medium affers. Quinimmo id planè falsum esse, decla
rant verba illa Christi vbiq; repetita, *Ego autem dico vobis*, quæ Chri
co, postquam ipsa Legis verba recitauit, ab ipso adiuncta fuis
nissimum faciunt, Christum præcepta sua non quidem Scriba
rum, & Pharisæorum commentis, sed ipsi Legi opponere, de quo
infra suo loco. Et tamen non solùm præcepta Christi de non occi
scendo fratri, eiue conuiciando præcepto Legis de non occidendo
do manifestè addita, reiectionem interpretationis Scribarum, &
Pharisæorum esse ais, sed, cum de præcepto illo Legis, *Non mœ*
chaberis, verba facis, audes affirmare, ex Christi verbis patere, de
sutum fuisse illi commentum a Scribis, & Pharisæis huiusmodi
Quod si quis cum aliqua rem non habuerit, mœchus non est dicendus. Verum
ex quibusnam Christi verbis id patet? Quid ampliùs hoc loco
dixit Christus, quod alibi non dixerit? Itane Palæologe in re
tam aperta vel ipse hallucinaris, vel aliis imponere aucto
tua & curas, & speras? Sed quid dicam de eo, quod de præcepto
non peierandi scribis, non quidem loco prædicto, sed pag.

Palæologus aut fallitur, aut fallere conatur.

vbi sic ais. *Addiderant autem Scribæ & Pharisæi, huic legi partem illam: sed persolues Domino ea quæ iuraueris, propter iuramenta quæ fiebant de futuro super aerũ templi, super dona altaris, super uictimas oblatas, lucello proprio consulentes ut diximus.* Et in margine adscriptum est, *Scribarum corruptela legis de iuramento.* Equidem satis mirari non queo, quòd tam immemor, aut incuriosus fueris, ne quid grauius dicam, vt ista scripseris. Non igitur vel legisti, vel meministi verba illa capite 30. Num. in ipso ferè initio? quæ ex hebræo verbum de verbo sic verti possunt, *Vir, si uotum uouerit Iehouæ, aut iurauerit iuramentum ad ligandum ligamento animam suam, non polluet uerbũ suum. Secundum omne, quod exiuit ex ore suo, faciet.* Quid ais? num tibi videtur, cùm Christus inquit, *Iterum audistis, quia dictum est antiquis, Non periurabis. reddes autem Domino iuramenta tua,* partem illam, *reddes autem*, &c. esse additamentum Scribarum, & Pharisæorum ad legem Dei de periurio, vel ipsorum corruptelam legis de iuramento, cùm in ipsa Mosis lege ea pars extet, copiosiùs etiam, & efficaciùs ab ipso expressa, quàm a Christo relata? Certè auctoritati tuæ, dum nimiùm fidis, parum consulis, teq; non leuis saltem indiligentiæ crimine in sacris quæstionibus, & testimoniis tractandis apud ipsum Deum obstringis. Quid quòd ipse tibi planè contrarius pag. 120. id est hoc ipso loco, de quo agimus, totum hoc, *Non periurabis. reddes autem Domino iuramenta tua,* verbum Legis esse, diserte confiteris?

Palæol. lapsus.

Palæologus sibi contrarius.

Sed iam de aliis præceptis videamus, propter quæ, aliquam errandi causſam tibi datã fuisse, dici potest. Et in præcepto quidem Christi de non dimittenda vxore, si ipsius verba perpendantur, non Mosis legem reformasse, sed Scribarum, & Pharisæorum commenta respuisse videtur. Inquit enim. *Dictum est autem, Quicumque dimiserit uxorem suam, det ei libellum repudij. Ego autem*, &c. Neq; enim erant hæc ipsa omnino verba legis, vt Deut. 24. patet. vbi non ita simpliciter loquitur Moses, sed requirere simul videtur, vt vxorem dimissurus in ea fœditatem aliquã inuenerit, aut certè aliquid eiusmodi in ea deprehenderit, propter quod sibi merito minùs grata sit. Quare concludi fortasse potest, a Scribis, & Pharisæis ita simpliciter Legis verba exposita fuisse, vt scilicet inde sequeretur, propter quamcumq; causſam licere vxorem dimittere. Hæc autem non quidem a te, sed a me dicta sunt, vt, quid

quid

Palæologi imprudentia.

quid magis hac in re tuam cauſſam iuuare poteſt, in medium affe-
ratur, & diligenter examinetur. Nam hic tu imprudens con-
ras, Chriſtum ipſa Legis verba recitaſſe. Sic enim in ipſo pro-
initio tua verba habent, *Quicunque dimiſerit uxorem ſuam &c. dabat
repudij, uerbum legis. Huic addebant Scribæ & Phariſæi: propri-
res licet dimittere quacunque ex cauſſa, modo id fiat dato libello repudij, V.
te affirmare, verbum Legis eſſe illud, cui Chriſtus ſtatim ſub-
git, Ego autem dico uobis, &c. Ex quo, vt ante attigimus, ſequi-
tur, ipſum non aſſuta commenta Scribarum, & Phariſæorum re-
ſpuere, ſed ipſa Legis verba reformare.

Quid ergo, tua, quæ locum non habet, & tibi ipſi aduerſan-
animaduerſione omiſſa, ad ea, quæ a nobis animaduerſa ſunt, re-
ſpondebimus? Dico, quamuis verum ſit, Legis verba non
planè eſſe, quæ Chriſtus recitat, ex ijs tamen, quæ addit, perſpi-
cuum eſſe, ipſum hoc loco non modò id reſpuere, quod ex Legis
modi verbis colligi potuiſſet, ſed illud etiam, quod ex ipſis Legis
verbis colligebatur. ex quibus manifeſtum eſt, Moſem permi-
ſe, vt propter aliquam fœditatem in ea inuentam, vxorem quis
repudiare poſſet, nec aliud præterea requiſiuiſſe, niſi, vt id fieret
ſcripto, eiq; in manus dato libello repudij. quod reformans Chri-
ſtus, non ob aliquã fœditatem in vxore inuentam, ſed ob ſtuprum
tantùm eam dimitti poſſe, concedit. Nam Fœditatis nomine a-
pud Moſem aliud etiam præter ipſum ſtuprum, aut ſtuprum non
ſignificari, contrà quàm tu putas, infra demonſtrabitur.

Sequitur, vt de præcepto illo agamus, *Oculum pro oculo*, &c.
Nam hic quoq; Chriſtus nõ ipſam Legem reformare, ſed aliorum
interpretationes reijcere videtur. Lex enim, vt Exodi 21. cap.
24. Leuit. cap. 24. ℣. 20, & Deut. cap. 19. ℣. 21. apparet, ea quidem
verba habet, *Oculum pro oculo, dentem pro dente*, non tamen hæc lic-
re priuatis ait, vt Chriſtus prædicta verba interpretari videtur,
cum, ijs recitatis, illico addat, *Ego autem dico uobis, non reſiſtere malo*
& quæ ſequuntur. ex quibus conſtat ipſum priuatis præcepta da-
re. Quocirca ſtatuendum videtur, Chriſtum, etſi ipſa tantùm Le-
gis verba recitat, ſimul tamen cum eis interpretationes magiſtra-
rum populi intelligere, quibus, non autem ipſi Legi, ſua præce-
pta opponat. quæ interpretationes hoc loco eiuſmodi eſſent, vt

quod Lex de magistratu dixisset, cui mandat, vt curet, oculum p oculo, dentem pro dente dari, ad priuatos traheretur adeò, vt cuilibet priuato per se id exequi liceret.

Respondeo, vt paullo ante feci, Christi verba non istas interpretationes tantùm, sed sententiam ipsius Legis reformare. Siquidem ex verbis Legis apparet, licuisse priuatis, oculum pro oculo, dentem, p dente sibi dari, a magistratu petere. quod non concedit Christus, quemadmodum infra suo loco aduersus opinionem hac de re tuam disputabimus.

Restat præceptum illud, *Diliges proximum tuum*, &c. In quo maior, quàm in cæteris, difficultas esse videtur, cum in ipsa Lege ea pars nusquam legatur, Et *odio habebis inimicum tuum*. Quinimmo Leuit. cap. 19. vbi præceptum diligendi proximum datur, mandetur simul, ne quis iniuriarum memor sit, easue vlciscatur, & alibi præcipiatur, vt si quis bouem, aut asinum inimici sui errantem inuenerit, omnino illi reducat, &, si viderit asinum eius, qui se odio habet, succumbentem sub onere, eum non deserat, sed ipsi auxilietur. Quamobrem planè dicendum videtur, hic Christum non de verbis ipsius Legis, sed de additamentis Scribarũ, & Pharisæorum, seu populi magistrorum agere. Exodi 23. 4.

Verùm animaduertendum primò est, fieri posse, vt verba illa, *Odio habebis inimicum tuum*, scripta in Lege olim extarent, quamuis hodie non legantur, quemadmodum neq; illud de Christo, *Nazæus uocabitur*, scriptum apud prophetas hodie extat, cum tamen testetur Matthæus, id a prophetis dictum fuisse. Quòd si dixeris, vt nonnulli contendunt, etiamsi verba illa, aut similia apud prophetas non leguntur, tamen sententiam omnino legi, ego quoq; dicam, etiamsi non legitur in ipsa lege, *Odio habebis inimicum tuum*, tamen horum verborum sententiam omnino legi, si in quem sum potissimùm nomen Inimici hoc loco accipiendum sit, rectè intelligatur. Neque enim in his verbis, *Diliges proximum tuum*, & *odio habebis inimicum tuum*, vox Inimicus eum simpliciter significat, qui odio habeat, seu quemlibet inimicum, sed, vt ex verbis ipsis apparet, eum, qui opponitur proximo. Proximus autem hîc, vt in tota Lege, is intelligitur, qui ex eodem est populo, id est Israelita, vt ex ipso capite 19. Leuit. apparet. Vbi, quem priùs appel- Matth. 2. 23.

lauerat Filiũ populi tui, vocat postea Proximũ tuum. Vide-
telligitur, præcepta illa de asino, & boue inimici reducendi, &
nõ deserendis ad propositũ non facere, cum ibi Inimicus eius
ficet, qui odio habet, quamuis ex populo Israelitico sit, hic
eum, qui sit alienus ab Israelis republica, quem odio habere
litis licuisse, postea docebimus. Deinde idem hic dico, quod
superioribus duobus præceptis dixi. Verba enim Christi,
statim subiungit, eiusmodi sunt, vt planè multum addant
Mosaicæ. In qua nusquam mandatum populo fuerat, vt o
pro lædentibus, & infectantibus se, vt bene precarentur
centibus sibi. atque, vt vno verbo dicam, iussi non fuerant
gere inimicos suos, id est hostes, & ab Israelis republica
Quibus de rebus omnibus infra vberiùs disputabitur.

Est autem, antequam vlteriùs progrediamur, animadver-
tendum, etiamsi in quouis ex tribus proximè examinatis
quæ non secus, atq; tria illa priùs excussa, in populo, tanq
Dei præcepta, personabant, Christus nequaquam id agere
isset, vt Mosaicam legem vlla ex parte reformaret, sed ea
quippe quæ legis diuinæ falsæ interpretationes essent, reie
non tamen continuò idem de reliquis tribus dici posse, nec
sequi, Christum in vniuerso eo sermone nihil prorsus
icæ addidisse, sed tantũmodo Scribarum, & Pharisæorum
illi commenta sustulisse. Namq; diligenter considerandum
discrimen hoc inter vtraq; hæc dicta esse, quòd illis
simplex integrumq; legis verbum refertur, in his verò
ex eo, quod in lege scriptum est, omittitur, quod omittendum
non erat, vt in dicto de dando libello repudii, caussa in Lege
pta dimittendæ vxoris, vel aliquid verbis legis additur, vt
postremo ea pars, *Et odio habebis inimicum tuum*, quæ non
momenti, vel deniq;, quamuis nuda legis verba recitentur,
lex tamen non recitatur, ex quo fit, vt aliam sententiam ea
habere videantur, quàm verè in ipsa lege habeant. vt in eo
euenire videmus, *Oculum pro oculo, dentem pro dente.* Quæ
dem ipsius legis sunt, sed non tamen tota lex. quæ si tota
retur, appareret, dictum ipsum, quod per se prolatum
iniurias suas pari ratione vindicandi libertatem concedere

tur, & eum, qui iniuria affecit, suo iure (vt loquuntur) retaliandi, in ipsa lege ad magistratum referri debere, cuius est talionis pœnam ei, qui alterum mutilauerit, vel alia ratione eius corpus læserit, infligere, atq; irrogare. Hoc autem inter hæc, & illa dicta discrimen euidenter suis verbis notasse videtur ipse dominus Iesus, qui in illis semper priùs dixerit, Dictum est antiquis, in his verò semper, Dictum est, simpliciter præfatus fuerit. Nimirum fortassis vt intelligeretur, in illis de ipsa lege diuina veteribus lata differri, in his verò de eo quidem similiter agi, quod tamquam Dei præceptum in medio populi auditum aliquando fuerat, cæterùm veteribus illis non fuerat dictum, nec verum & germanum antiquæ Dei legis præceptum erat.

Tertio loco pro argumento, quòd Christus non Mosis legem vlla ex parte mutare, sed interpretationes Scribarum, & Pharisæorum in eo sermone damnare voluerit, ea verba ipsius Christi perpendis, quæ in præcepto de libello repudii tractando alibi dixit, *ad duritiam cordis uestri.* itemq; illa, quæ statim sequuntur, *permisit uobis.* Et de prioribus quidem sic scribis ad finem pag. 133. *Quar* Matth. 19. 8. *tum est, quid sit ad duritiam cordis uestri. Nam Patrum uestrorum dici debuisset,* sicut sæpe facit. *Patribus enim loquutus est Moses, non ipsis.* Cur verò ita scripseris, id docet, quod de posterioribus scribis pag. 135. hoc modo, *Et illud, quod dicit uobis indulsit, interpretibus scilicet Scribis & Phariſæorum maioribus. cum leges tulerit Moses non illis quibus cum loquebatur Iesus Christus, sed eo-* Vis igitur, cum ibi Christus idem reipsa doceat, quod hic docuit, quia dixerit, *cordis Vestri*, non *Patrum uestrorum*, & *permisit Vobis*, non autem *Maioribus uestris*, satis constare, Christum non de ipsa lege Mosis, quæ non illis ipsis, quibuscum loquebatur, sed patribus, & maioribus ipsorum data fuerat, verba facere, verùm de interpretatione Scribarum, & Pharisæorum loqui.

Fieri non potest, Palæologe, vt hęc seriò, aut, quid diceres, cogitans scripseris. Quid enim homine non planè rudi indignius, quàm nescire, si contigerit, cum populo, natione, genteue aliqua verba fieri, Vos, & Vestra sæpius dici, non illos ipsos, qui præsentes sunt, significando, sed vel patres, & maiores eorum, vel ipsorum genus? quemadmodum & Nos, & Nostra facilè dicent ipsi, non quidem seipsos qui loquuntur, sed vel patres suos, & ma- Palæol. lapsus.

iores, vel suum genus intelligentes. Populus enim, natio, gens tamquam vnus quispiam, considerantur, qui toto illo tempore ex quo esse cœperunt, vixerit, vnde & ortus, & adolescentia, senectus, & interitus illis apud bonos auctores, immo in ipso vulgari quotidianoq; sermone passim tribuuntur. Numquid tuus præter frequentissimum loquendi vsum exemplaquæris? Legi modò probatos scriptores in quauis lingua, vel potius eorum quę legisti, recordare, & exempla tibi vbiq; pręstò erũt. Sed quid multis moror? Lege ipsa sacra Biblia, ipsius noui testamenti pta, Christi ipsius verba recordare de hac ipsa re, id est de lege pulo Israelitico a Mose tradita, & sine dubio pudebit te istius se. Idem enim Christus alibi Iudęis, qui tunc erant, atq; adhuc

Iohan. 7.19. 22. dixit, *Nonne Moyses dedit uobis Legem, & nemo ex uobis facit Legem.* Vorsum paullo post, *Propterea Moyses dedit uobis circumcisionem.* Cur longiùs abeo? cum in hoc ipso loco legatur apud Marcum. Chri-

Marci 10. 3. stum paullo ante dixisse, *Quid uobis præcepit Moyses?* Stephanus que, cum de Mose Iudęis verba faceret, ait, *Hic est, qui fuit in*

Acto. 7. 38. *sia in solitudine cum angelo, qui loquebatur ei in monte Sina, & cum patribus stris, qui accepit uerba uitæ dare nobis.* Neq; hic loquendi modus solùm vsurpatus inuenitur, cum id, quod datum fuit maioribus, ad posteros quoq; eorum prędentes pertinet, ipsisq; datum ter censetur, vt in Lege Mosis contingere videmus, sed tum am, cum maioribus tantùm id datum fuit. Propterea idem stus, cum Iudęi dixissent, suos patres manducasse manna in de-

Iohan. 6. 32. to, sicut scriptum erat, *Panem dedit eis de cælo manducare, ait illis, amen dico uobis, non Moyses dedit uobis panem de cælo. Vobis dixit, cum* men patres dumtaxat ipsorum intelligeret. Quomodo verò re potuisti, cum Christus dixit Iudęis de Mose, *permisit uobis* tere, &c. id intelligendum esse, interpretibus scilicet Scribis, Phariseis, cum ipse velis, ea verba accipienda esse, ac si dictum isset, Etiamsi permisisset vobis dimittere, &c. Sic enim ante, in extrema videlicet pag. 134. scripseras, *Ad hunc autem* *ordino textum: Moyses etiamsi ob duritiam cordis uestri permisisset uobis* *diare uxores uestras, quamuis ob causam, attamen ab initio non ita erat.* etiam tuę explanationis inter alias hãc caussam affers, quod Christus dixerit Vobis, interpretibus scilicet Scribis, & Pharisæis,

rum Moſes non illis, quibuſcum loquebatur, ſed eorum maiori-
bus leges tuliſſet. Atqui hæc duo nulla ratione cohærent, aut ſi-
mul ſtare queũt, tantum abeſt, vt vnum alterius cauſſa eſſe poſsit.
Nam ſi Chriſti verba ita explananda ſunt, ac ſi dixiſſet, Etiamſi
Moſes vobis permiſiſſet, &c. profectò nomen Moſes ipſum Mo-
ſem ſimpliciter ſignificat, pronomen autem Vobis ad patres, ſeu
maiores, vel ad vniuerſam, poſtquam legem Moſes tulit, gentem
refertur, atq; ea de re eſt ſermo, quę verè facta non fuerit. At ve-
rò ſi intelligendum eſt, Moſem, interpretibus Scribis, & Phari-
ſęis, permiſiſſe, & cillis ipſis dumtaxat, quibuscum Chriſtus lo-
quebatur, certè Moſis nomine non ipſe Moſes per ſe intelligitur,
ſed quatenus illius verba Scribę, & Phariſęi interpretabantur.
pronomen autem Vobis non ad patres, ſeu maiores pertinet, nec
ad gentem vniuerſam poſt Moſis legem latam, ſed ad eos ipſos
tantummodo, quos alloquebatur Chriſtus. atq; ea de re verba fi-
unt, quę verè facta fuerit. Prætereà quomodo verba hæc vera
eſſe poſſunt, Moſes, interpretibus ſcilicet Scribis, & Phariſæis,
vobis ad duritiã cordis veſtri permiſit dimittere vxores? Num-
quid ipſi Scribæ, & Phariſęi vel propter duritam cordis illorum
ita Moſem interpretabãtur, vel ob eamdem duritiam ab ipſo Mo-
ſe iſtiam, quam ipſi populo obtrudebant, legem latam fuiſſe affir-
mabant? Poſtremò, an non animaduertiſti, Chriſtum ea verba
ipſis Phariſęis dixiſſe, qui eum, an liceret vxorem dimittere, ten-
tando, interrogauerant, vt Matthæus, & Marcus apertè teſtan-
tur? Animaduertiſti omnino, vt ipſa verba tua pag. 131. demon- *Matth. 19. 3.*
ſtrant. quę ſic habent. *Hac de re diſputaſſe legimus Phariſæos cum Chriſto* *Marci 10. 2.*
Ieſu, &c. Sed fefellit te nimirum ingens memoria tua. Nam, ſi id de *Palæol. lapſus.*
inde recordatus fuiſſes, numquam ea verba, *Moſes permiſit uobis*, in-
terpretibus ſcilicet Scribis, & Phariſæis, intelligenda dixiſſes,
quaſi Chriſtus cum populo, non autem cum ipſis tantùm Phari-
ſęis locutus eſſet. Non igitur de Scribarum, & Phariſæorum
interpretatione in illis verbis egit Chriſtus, ſed de ipſa Moſis le-
ge. Qua de re nemo vmquam dubitare poterit, qui apud vtrum-
que euangeliſtam locum ipſum vel oſcitanter legerit. Cum mani
feſtum ex eorum verbis ſit, a Chriſto interrogatos fuiſſe Phari-
ſæos, quid in ipſa lege Moſis ſcriptum eſſet, idq; eos dixiſſe, & ſi-

mul ex ipsis verbis Legis aduersus Christi de dimittenda vxore
sententiam argumentari voluisse, Christum autem non id
id Legem dicere, quod ipsi putabant, sed tamen suæ sententiæ
non obesse docuisse, quippe quod, vt ex antiquissimo Dei
to intelligi poterat, permissio quædam ad tempus, non aut
ta ac perpetua Dei voluntas fuisset. Sed iam de his satis
co. alibi enim de tota ea lege accuratiùs videndum erit. Nunc
hil aliud quærebamus, nisi, vt ostenderemus, in ea Christi
Pharisæis disputatione nihil esse, cur in præcepto isto de non
mittenda vxore Christum non ipsam Mosis legem reformare,
Scribarum, & Pharisæorum interpretamenta reiicere voluisse
camus.

CAPVT V. HVCVSQVE de priore parte alterius tuę rationis
est, qua testimonia ex cap. 5. Matthæi ab aduersariis
probarent, te instituta contraria Christi institutis
diluere conaris, &, nisi vehementer fallimur, abunde
monstratum, nihil esse eorum, quæ protulisti, quod
habeat suadendi, Christum in toto eo sermone nulla
sis legem immutare voluisse, sed Scribarum, & Pharisæorum
tùm commenta reiicere. Nunc de altera eiusdem
te agendum est, seu de altero modo, quo scilicet, ipsorum
ptorum vim singulatim perpendendo, euincere vis, præcepta
nihil aduersus sententiam tuam, quòd bellum a christiano
lo, iubente præsertim magistratu, geri rectè possit, quòdq;
bet homini christiano iniurias sibi illatas per magistratum
care liceat, nihil inquam, aduersus hanc sententiam ea
Christi in se continere. Cumq; sententia ista duplex sit,
assertiones complectatur, separatim de vtraq; videndum
ùs igitur de priuatis iniuriis per magistratum vindicandis
ramus.

Itaq; aduersus assertionem tuam, quòd cuiuis christiano
mini magistratus opem ad suas iniurias vlciscendas
ceat, attulerant aduersarii tui ea, quæ Christus dicit, cum de
gis verbis illis agit, *Oculum pro oculo, dentem pro dente*, dixeranq;
illis manifestum esse, Christum suis præcepisse, vt a malis
nibus, & corporis plagas, ac perpessiones, & bonorum
& seruitutem

& seruitutem, seu labores omnes ferrent æquo animo potiùs, quàm vt malum pro malo redderent, siue id per se, siue per iudices facerent. Et quidem in eo, quòd maxillam dexteram percutienti alteram quoq; præbendam esse ait, carnis ipsius perpessiones non vindicandas, significasse. dum autem præcipit, vt tunicam tollere volenti dimittatur & pallium, bonorũ iacturam non recusandam, si alioqui fieri non possit, vt ab vltione abstineamus, declarasse. cum verò postremò iubet, vt, si quis ad milliare vnum conficiendum ab aliquo adigatur, eat cum illo & alia duo, labores omnes, & onera sibi imposita potiùs perferenda, quàm cum rixa, & iurgio detrectanda, docuisse. Atq; in his ómnibus, ne ad magistratum quidem, si prædicta incõmoda sequi debeant, confugiendum esse, Christum satis apertè dixisse, cum præceptiones suas verbis illis Legis, *Oculum pro oculo*, &c. opposuerit, quæ non priuatam vindictam, sed per iudices permittebant, & similiter cum ea verba dixerit, *Ei, qui uelit tecum iudicio contendere*, &c. Hęc, inquam, omnia a tuis aduersariis dicta sunt, eaq; leguntur pag. 62, & 63. Iam verò considerandum est, quid tu ad hæc contrà scripseris, & quo pacto tam manifesta Iesu Christi mandata obscura re, vel potiùs inquinare, ac peruertere tentaueris.

Et primùm quidem (quamquam hoc ad singulorum præceptorum examinationem minimè pertinere videtur) non vno in loco, dum ea singulatim examinas, admones, Christi hæc prçcepta non magistratui, sed priuatis data fuisse.

Atqui istud valere potest ad ostendendum, magistratus ciuiles, & gladium gestantes in republica christiana Christi præceptis non tolli, non autem ad euitandum, ne priuatis magistratum suas iniurias vindicandi caussa adire interdicatur. Nam tu ad vtrumq; istam tuam exceptionem valere vis, & sæpius hæc duo, quæ omnino distinguenda sunt, confundis, & de vno agens, alterum misces. Esto igitur. Priuatis tãtùm dederit Christus mandata hæc sua. Quid tum? Iam hîc de priuatis agimus, & quid illis facere liceat, quærimus, an magistratum scilicet pro se vlciscendis adire possint. de ipsius interim magistratꝰ officio, (quod, etiam parte ipsa non accusante, exerceri potest) num scilicet, si quis accusauerit, ius reddere debeat, necne, ne verbum quidem facientes,

facientes. Itaq; faceſſat hoc loco exceptio iſta tua.

Sed ais deinde, cum perſpicuum ſit, Moſem legem illam, *Oculum pro oculo, dentem pro dente*, eo ſenſu magiſtratui tuliſſe, vt ipſe eam exequeretur, neq; aut ſæuire vellet in reum, aut impunitate linquere mala, ſed ſecundum peccati magnitudinem modum pœnæ exercere, Chriſtus autem legem hanc priuatos exequi vetuit, certè non, ne priuati magiſtratum adeant, & oculum pro oculo, dentem pro dente repetant, ſed ne ipſi priuato arbitrio iniurias ſuas retalient, & ſibi, quod magiſtratui iniunctum fuerat, perſuadeant eſſe exiſtiment, Chriſtum præcipere voluiſſe. Ad hunc ergo modum, vt ex iis, quæ pag. 144. ſcripſiſti, colligere portui ad rem Chriſti verba facere, oſtendere conaris.

Sed animaduertendum tibi erat, cum Chriſtus ipſa legis verba recitet, ſeſeq; illis opponat, dicens, *Ego autem dico vobis, &c.* etiamſi tibi concedatur, priuatis tãtùm dediſſe illum præceptum, de eo tamen eum egiſſe oportere, quod vi legis, quantumuis magiſtratui latæ, priuatis licebat. Nulli autem dubium eſſe poteſt, quin legis illius vi priuatis licuerit oculum pro oculo, dentem pro dente, magiſtratum adeundo, repetere. Semper enim in legibus, quibus magiſtratui iniuriarũ pœna præſcribitur, tacitè ipſo iure continetur, vt iniuriam accipienti eam pœnam magiſtratus ope perſequi liceat. Quare, hoc ipſum ſuos facere, Chriſtum vetuiſſe, quicquid lex illa concederet, indubitatum eſſe debet. Neq; enim, vt tu arbitraris, legem illam magiſtratui latam ad priuatos trahendam non eſſe, potiſsimùm docere voluit, vt dictum eſt, quemadmodum ipſius verba demonſtrant, quę legis ſenſum potiùs egit, vt dicta ſua ipſis legis verbis opponeret, quę legis verba vt antea dixi, non planè negauerim, ex Chriſti loquendi modo colligi poſſe, perperam in populo explicata, & accepta fuiſſe, vt ſcilicet priuato cuiq; iniurias ſuas per ſeipſum vindicare liceret. Verumtamen eiuſmodi ſunt, quæ ſubiungit Chriſtus, præcepta, vt, quemadmodum in legis verbis recitandis & ipſam legem, & prauam illius interpretationem complecti voluit, ſic in præceptis ſuis & huius reiectionem, & illius, quod ad priuatorum ius attinet, moderationem comprehendere eum voluiſſe, certè conſtet. Quandoquidem vniuersè ne malo reſiſtatur iubet, & iuramen-

& summam iniuriarum tolerantiam, omni prorsus semota vindicta, siue vltione, præscribit, & deniq; diserte, ne per iudices id fieri curetur, monet.

Sed operæpretium est videre, quomodo tu Christi verba in singulis, quę modò recensuimus, interpreteris. Cum igitur Christus ait *Non resistere malo* (vt multa verba tua, quæ pag. 144. ad finem, & deinceps leguntur, paucissimis complectamur) breuiter ea ita accipienda esse dicis, vt siue magistratus ipse sit, qui te iniuria afficiat, siue priuatus, magistratu aut consentiente, aut te non vindicante, id patienter feras, neq; retaliare iniuriam velis.

Ergo primùm, si tibi credendum est, Scribarum, & Pharisæorum interpretationes, quibus, non autem ipsi Legi Christum dicta sua opponere contendis, id ferebant scilicet, vt quilibet priuatus magistratui resistere iure posset iniuria se afficienti, & illi vicissim iniuriam facere, seq; vlcisci. Sed vnde id habes? aut quomodo istud vllo pacto verisimile videri potest, cum verba illius legis manifestè de iniurijs priuatorum priuato arbitrio illatis a magistratu vindicandis loquantur, non autem vllo prorsus modo de iis iniuriis, quas magistratus in munere suo exequendo priuatis infert, ab ipsis priuatis suo proprio iure vlciscendis in ea lege agatur? Nam quid potuissent Scribæ, & Pharisæi tantæ in lege illa interpretanda licentiæ, seu potiùs impudentiæ suæ prætexere? Quamquam satis est, vt innuimus, te id numquam probaturum esse, quod in ista tua explanatione sumis, nec opus est, vt a nobis contrarium probetur. Sed quid dicemus, cum iam a nobis ostensum fuerit, Christum non quidem Scribarum, & Pharisæorum interpretationes refellere, sed ipsam Mosis legem reformare? Cum enim Lex magistratui mandet, vt oculum pro oculo, dentem pro dente reddendum curet, quid ad huius mandati reformationem pertinet iubere, ne ipsi magistratui iniuriam inferenti quis resistere audeat, & pari iniuria illum afficere? quid porrò hoc ad docendum, non licere homini priuato, etiamsi secundum Legem alioqui id facturus esset, suas iniurias proprio quodam iure retaliare, ad quam sententiam fortasse, vt diximus, in populo Legis verba trahebantur, idq; perperam fieri, monere voluit Christus? Certè hæc pars in Christi verbis indecisa re-

sinquitur, si explanationem tuam sequi velimus, quæ id tradit
Christo decisum esse docet, quod ad magistratui resistendum p
tinet, cum vel ipse est, qui iniuria afficit, vel priuato iniuria
cienti consentit. Quid enim, si neutrum sit, neq; is, qui iniuria
citur in eo sit loco, vbi ad magistratum decurrere possit? Q
si non leges modò, sed magistratum quoque sibi fauere pro co
sciat, &, si se priuato arbitrio vlcisci negligat, atq; cunctetur, p
modò, quam iam accepit, iniuriam numquam relarcire quea
rùm etiam nouas sit accepturus? Non dubium est autem, v
pluribus tuorum scriptorum locis intelligi potest, præsertim
rò ex iis verbis, quæ leguntur in priore scripto pag. 34. quin
eiusmodi difficultatibus constituto iniurias suas per se vindica
permittas. Quod tamen cum Christi verbis manifestè pugnat,
vt visum est, simpliciter, ne malo resistatur, præcipit. Nam,
nomen Malo ad magistratum malum dumtaxat, siue ad malum
hominem, qui, malo magistratu assentiente, iniurius est, referr
vis, quis hoc (iis præsertim perpensis, quæ paullo ante diximus)
tibi vmquam concedet? Quænam tanta est auctoritas tua, vt ver
ba indefinitè prolata pro arbitratu tuo ad ea tantùm accòmoda
quę placitis tuis non aduersentur?

At enim ais (vt video) Christi verba omnino restringi debe
re, nec ita vniuersè, vt sonant, accipienda esse. alioquin sequere
tur, neq; vlli malo, neq; vlla ratione resistendum esse. cum cum
& Diabolo, qui profectò & malus est, & omnium, qui mali sunt
caput, resistere omnino iubeamur, & malis hominibus non vn
ratione resistere possimus. Atq; huc adde, quę in priore nro scr
pto pag. 53. leguntur, vbi multa recenses, quibus malo resistimus
nec tamen ea facere prohiberi videmur. de quibus explicabis
lio loco agemus.

Hæc tua ratio nullius momenti censeri debet, cum apertissi
mum sit, de quo malo Christus loquatur, & quid Resistendi ver
bo significare voluerit. Ex eo enim, quòd de verbis illis Legis
git, *Oculum pro oculo, dentem pro dente*, de malo homine eum loqui, &
Resistendi verbo illatas ab ipso iniurias vlcisci, aut vi, quæ reg
sa iniuriam retaliare possit, adhibita, repellere, significare vol
ille, quem

isse, nemo est, qui non videat. atq; in hunc sensum eius verba indefinitè, ob eamq; rem vniuersè, vt sonant, accipienda esse dicimus, non autem, vt tu facis, sine vlla necessitate restringenda. Quare similiter sine vlla vel necessitate, vel etiam leui caussa tot verba fundis, vt quid hic Malus, quidue Resistere significet, intelligatur. nec modestè satis (fortassis quia non, vt tu, græci nati sunt) quasi aduersarijs insultans, eis ignorationem sensus istorum verborum obiicis, & ais, Apostolos græcè scripsisse, non latinè. Sed (est Deo gratia) non desunt inter eos, qui cum illis sentiunt, qui &, quid sit Græcis ὁ πονηρὸς, & quid iisdem ἀνθίστημι significet, optimè norunt.

Verùm denuo restrictionem istam tuam planè & tueri, & probare tibi fortasse videris ea ratione, quia, cum Christus apostolis, & verbi Dei ministris præcepta det, qui & magistratibus, & priuatis inuisi futuri erant, necesse est, vt odium & magistratus, & priuatorum aduersus eum sit, cui, ne malo resistat, hoc loco præcipitur. Sic enim ex verbis tuis pag. 149. colligere quis possit. Nam tu nõ ita rem explicas. &, si tua verba spectentur, ad eos solos, qui concionantur, hoc est ad ipsos tantùm apostolos, & verbi Dei ministros argumentatio tua pertinet. Quod sanè ineptum videri debet. quasi quęreretur, quando in istis tantùm Christi præcepto locus esset, nõ autem (quod tamen planè fit) in quem sensum, etiamsi aduersus opinionem tuam ad omnes priuatos id præceptum pertineret, Christi verba accipienda essent.

Cæterùm tota ista siue tua, siue pro te mea argumentatio vel ex eo dissoluitur, quòd a te probatum non fuit, Christum solis apostolis, & verbi Dei ministris præcepta dare. immo quòd eius rei contrarium a me supra, dum tua argumenta refello, satis, vt arbitror, ostensum fuit. Ex quo id pręterea intelligi debet, nihil esse, quod ais, hæc, quæ Christus pręcipit, fieri debere propter iustitiam regni, hoc est, cum iustitia regni, nisi ita fiat, videatur a nostra impotentia violari. Sic enim habent verba tua eadem pag. 149. in fine. Nam si non solis apostolis, & verbi ministris Christus mandata dedit, sed omnibus discipulis, & sectatoribus suis, non est, cur Iustitiam regni ita interpreteris, vt ad apostolos tantùm, & verbi ministros referri possit, atq;, vt alibi fa-

cis, ad ſolam Euangelii prædicationem id reſtringas, quod
dubio, quidquid ad ius cæleſtis regni pertinet, cõplectitur, quo
ius certè impotentiâ ſuâ violat, quicumq; Chriſti nomen pro
ſus, Chriſtum non imitatur, & in eo potiſsimùm non imi
cuius exemplar is nobis propoſitus eſt, ne malum malo vi
tione, nec publica, nec priuata rependamus. Quamquam
quam ſcriptum extat, ea, quæ hîc mandat Chriſtus, tunc de
fieri debere, cum iuſtitia regni, niſi ita fiat, videatur ab imp
tia noſtra violari. Adde, quòd ne in ipſis quidem apoſtolis
que verbi miniſtris id perpetuum eſt, vt & magiſtratus, &
torum odium erga illos cauſſæ, quam (vt tu loqueris) co
nantur, coniunctum ſit. Siquidem fieri poteſt, & ſæpe fac
vt eiuſmodi homines vel magiſtratũ, vel populũ ſibi fauc
aut certè non repugnantem habeant, vel etiam vtrumq;
tamen Euangelii cauſſa, quod prædicant, a priuatis q
peſsimè habeantur, & omni iniuriarum genere afficiantur.
(rogo) illis tunc faciendum ex Chriſti præſcripto erit. Certè
ſi rationem illam tuam attendimus, vel hunc caſum verbis ſuis
Chriſtus non comprehendit, vel potiùs tacitè excluſit, atq; apo
ſtolis ipſis, & verbi Dei miniſtris, ſi quid tale eis accideret, p
ſertim, ſi ad magiſtratum confugiendi facultas eo tempore
ſpatium non daretur, ſeipſos, ſi poſſent, priuatim vlciſci p
ſit. Atq; ita eos ex ouibus, quas inter lupos mittebat, lupos &
ſos, aut ſaltem canes, vbi opus fuiſſet, fieri voluit. Quòd ita
poſtolis quidem ipſis, verbiq; miniſtris interpretatio, & re
ctio iſta tua accommodari poteſt, non eſt, cur exemplo alio
verborum Chriſti allato, quæ de non reſiſtendo malo hîc p
pit, ad Euangelii tantùm cauſſam referri debere contendas. E
xemplum porrò eſt, cum Chriſtus præcipit, vt, ſi quis velit
ſequi, tollat crucem ſuam. Tametſi hoc quoq; ſolis apoſtolis
ctum fuiſſe velle videris. Atqui non animaduertis, exemp
ſimile loco noſtro non eſſe. Ibi enim manifeſtè de iis agitur,
chriſtũ ſequi velint, & idcirco meritò Crucis ſuę nomine (quo
nomen alioquin etiam, & per ſe, mala, tamquam pœnas, ſibi
ex vi tranſlationis ſignificat) afflictiones tantùm, quæ propt
Euangelii cauſſam ſuſtinentur, intelligi poſſunt. Hîc verò

tale apparet, sed vniuersè, malo non resistendum esse, præcipitur.

Sequitur, vt de præcepto illo agamus, *Si quis te percusserit in dexteram maxillam, præbe illi & alteram.* Non potuit Christus euidentius, aut significantiùs omnem prorsus vindictam, siue vltionem interdicere, quàm iubendo, vt malam cędenti, alteram præbeamus. Hoc enim omni vltionis generi planè contrarium esse, nemo est, quin videat.

Hic tu multus es, vt probes, Christi verba nequaquam simpliciter, vt sonant, accipienda esse. Alioquin errasset Paulus, qui, in os verberatus, non præbuit & tergus. Errasset ipse Christus, & suam ipsius legem planè violasset, qui, percussus vnam in malam, alteram non obtulit pulsandam. Hęc scribuntur a te pag. 155. & repetuntur pag. 230. & 231. & pag. 321. & 322. & in priore quoque scripto eadem dixeras pag. 36. Atq; in his omnibus locis vel tacitè, vel apertè aduersariis obiicis, quòd Christi verba hęc mordicus retineant, sententiam negligant, ex ipsius Christi, & Apostolorum factis eliciendam, quę interpretamenta sunt verborum Christi.

Acto. 23. 3.
Ioh. 18, 22.

Atqui non opus erat, vt hac in re tantopere laborares, atq; ea ratione aduersarios tuos in inuidiam vocare curares, quasi illi sta negent, velintq;, Christi verba omnino, vt sonant, intelligenda esse, neq;, quid vel ipse Christus, vel Apostoli ea in re fecerint, animaduertant, aut etiam curent. Fatentur aduersarii tui, idq; sua sponte, Christi verba paullo aliter accipienda esse, ac prima fronte sese legenti offerant, & ob eam rem potissimùm fatentur, quia & Pauli, & Christi ipsius factum optimè nouerunt, eaq;, vt decet, obseruarunt, etiamsi eorum, vtpote quæ in hac quæstione & notissima, & (vt ita loquar) decantatissima essent, nullam mentionem fecerint. Relege, quę ipsi in sua ad te responsione pag. 62. & 63. hac de re scripserunt, & me verissima loqui confiteberis. Sunt enim hæc ipsorum verba in extrema pag. 62. vbi de Christo est sermo. *Et omnino non uindicandum esse suos docet, non oculum pro oculo, uel malum pro malo reddendum, sed potius quam hoc fiat, & alia iniuria patienda, quod sub nomine alterius maxillæ obuertendæ intellgit,* &c. Vides, aduersarios tuos sic Christi verba interpretari, non vt malam percutienti omnino altera præbenda sit, quemadmodum verba ipsa

præ se ferunt, sed vt potiùs alia iniuria accipiatur, quàm vt ea quæ iam accepta est, vindicetur. In quo igitur (dicet aliquis) dissentiunt in Christi verbis interpretandis Racouienses a Palæologo? Nempe in eo, quòd illi, tropica ista locutione adhibita (si tamen tropica locutio appellãda est, nam, quæ addi debeant præcedentibus, exq; subiecta materia omnino proficiscuntur, simpliciter cæteroquin, & vniuersè Christi verba accipiunt, omnem prorsus vindictã, siue vltionem in illis damnari volunt. Palæologus verò de priuata tãtùm vindicta Christum loqui contendit. Sed animaduerte, Palæologe, quàm tuæ interpretationi illorum interpretatio præstet. Primùm tu Christi verba restringis, quæ indefinitè prolata sunt, illi verò indefinitè proferunt, indefinitè quoq; accipiunt. Deinde, quod tu facis, non modò sine vlla necessitate facis (non debent autem proferentis verba absque intelligi, ac sonant, nisi euidens necessitas id postulet) sed aduersus omnem rationem, vt mox docebimus. Quod verò illi faciunt, necessariò quodammodo faciunt. Nam, cum Christus verbis Mosaicæ legis, *Oculum pro oculo, dentem pro dente*, in quibus de publica vindicta manifestè agitur, sua dicta opponat, inquiens, *Ego autem dico uobis, Non resistere malo. Sed, si quis te percusserit*, &c. cetera dubitatum esse debet, eius verba similiter de publica vindicta agere. qua prohibita, consequens planè est, vt priuata quoq; prohibita censeatur, Non autem vllo modo est verisimile, vt de priuata ipsa vindicta agant, publicæ nullam mentionem faciant, Vnde Christus vnum proposuisse, aliud concluisse, seu de vno in propositione, de alio in conclusione ineptè, ac ridiculè locutus fuisse appareat. Nam, quæ tu ad interpretationem istam tuam confirmandam, adq; probandum, Christum priuatis priuatam, non publicam vindictam, interdixisse, in medium affers, nihili æstimanda sunt, quemadmodum alibi infra a nobis demonstrabitur.

Nunc vnum examinandum est, quod aduersariorum interpretationi obiecisti, vel potiùs, quo ex ipsa aduersariorum interpretatione eorum de præsente quæstione sententiam, atque adeò ipsam interpretationem euerti posse, existimasti. Sunt enim, quæ statim subiiciam, verba tua pag. 231. *Quod si Christus non obtorto tergus, non peccauit, & tantam uim habu-*

malam, nec Paulus non uertendo

gis: Obuerte & alteram, quantam: ne deferas ad magistratum tuas iniurias ut uindicentur, quod nusquam scribitur, sequitur ut qui defert suas iniurias ad magistratum, ut illa uindicet, non peccat, postquam non peccat is qui ut non reciat nouam iniuriam non obuertit alteram malam.

Acutè sanè. Atqui hac eadem ratione interpretatio tua euertetur, &, priuatos priuatam vindictam exercere posse, cõtra tuam ipsius sententiam concludetur. Nam, si *præbe ei & alteram*, tantam vim habet legis, quantam Ne tibi illatam iniuriam priuato arbitrio vindices, sed magistratum adi, sequitur, vt, quoniam Christus, non præbendo alteram malam, non peccauit, is similiter non peccet, qui iniuriam sibi illatam, priuato arbitrio vindicat, nec magistratum adit. Nonne vides, ista argumentatione tua aduersus quamcumq; illorum Christi verborum interpretationem similiter disputari posse, atq; ipsius vi Christum vel, dum præcipit, nihil dicentem, vel factis suis præcepta sua mutantem, & abrogantem fieri? An non agnoscis, te in argumentando terminos (quos vocant) mutare, & in æquiuoco, vt loquuntur, versari, a verbis ad rem transeuntem. Cum enim ais, *tantam uim habet legis: Obuerte & alteram, quantam*, &c, tunc ipsa illa verba, *Obuerte & alteram*, intelligis. Cum verò ais, *postquam non peccat is qui*, &c *non obuertit alteram*, tunc rem ipsam intelligis, quæ verbis illis propriè significari solet, ipsumq; factum alteram malam obuertendi cum verbis de altera mala obuertenda confundis. Nec enim dicunt aduersarii tui, idem esse factum obuertendi alteram malam, & nõ deferendi ad magistratum iniurias, vt vindicentur. sed dicunt, verba illa Christi de altera mala obuertenda ita accipi debere, vt in eis interdictum censeatur Christi discipulis, non tantùm priuato arbitrio, sed ne ad magistratum quidem deferendo, suas iniurias vindicare. Spero, te iam argumentationis tuæ fallaciam, ineptitudinem, atq; inutilitatem probè agnouisse. quæ profectò in te tanto disputatore vix vlla venia dignæ sunt. Quare nihil addam ampliùs, sed ad ea verba excutienda me conuertam, quę prędictæ tuæ argumentationi statim adiungis.

Palæologi lapsus.

Namq; in iis adhuc aduersariis aliquid obiicis in explanatione illorum Christi verborum. Ais enim, *Desipit autem scriptor hic cum putat nomine maxillæ intelligi cruces & mortes, cum uerba Christi persistant in*

sistant in rebus ciuilibus. In criminibus enim, &c. Nolim aduersus id quod debeo, & ab initio pollicitus sum, te aliquo maledicto incedere, neq; hoc præsertim loco, vbi de iniuriis minimè retaliandis agitur, quam isti scriptori conuicio tuo facis, iniuriam alio modo in te conuicio vindicare. Sed certè, vter vestrùm delipiat, facile cabit cordatus lector. Primùm tu illum ea dicentem facis, quæ non dicit Quandoquidem hæc sunt illius verba pag. 61. *Num fiones seu cruces in carne sub nomine maxillæ cædendæ intelligit.* Vides lum de mortibꝰ nihil dicere, sed de perpessionibus, & plagis corporis tantùm loqui, quas ipse passiones, seu cruces in carne nominat. Quod non minimi est momenti propter ea, quę deinde dis. de quibus postea videbimus. Vides item, illum non ne maxillæ simpliciter, quod ineptè dictum fuisset, sed sub ligi, dixisse. Quod tamen nihil moror, cum tu inde aduer carpendi occasionem non arripias. Deinde eumdem scripto non modò contra omne ius, sed contra teipsum, & tua ipsius cta reprehendis. Quid enim? An non rectissimè dictum est, maxillæ cædendæ nomine perpessiones, & plagas corporis in telligi? Nonne malam qui cædit, is corpus ipsum ferit, atq; git? Quis igitur sine summa iniuria eum delipere dicat, qui scripserit? Contrà verò quis risum continere queat audiens centem, sub maxillæ cædendæ nomine res ciuiles, non autem mina intelligenda esse, cum ipsum malam cædere vel crimen vt certè est, cum id iniuriâ, & contra leges fit, vel ad res nullo pacto pertineat? Præterea nonne perspicuum est, stum hìc de criminibus, nõ autem de ciuilibus causis loqui, propter verba illa legis, *Oculum pro oculo, dentem pro dente,* rit? Quæ legis verba nemo tam hebes est, quin videat de nibus, non autem de ciuilibus caussis agere. Ac post ipsa intulit Christus, *Ego autem dico uobis, Non resistere malo.* quis negare audeat ad crimina pertinere? His verò hæc bus disputamus, *Si quis te percusserit,* &c. planè adhærent, pendent. Et tamen audes tu affirmare, verba Christi per rebus ciuilibus, de quibus hoc loco nihil omnino dixerat. quidem, quod attinet ad id, quod dicebamus, te contra o scriptorem istum reprehendere.

Palæologi audacia.

Quòd autem contra teipsum, tuaq; ipsius dicta id facias, animaduertet quisquis meminerit, te vniuersum Christi sermonem ad apostolos, & verbi Dei ministros pertinere velle, idque hoc loco potissimùm, vt scilicet euincas, non de magistratu non adeundo hìc verba fieri, sed de ijs non vindicandis, quæ propter Euangelii prædicationem, aut certè publicam professionem quis ab ipso magistratu, vel a priuatis, magistratu annuente, aut non repugnante, perpetitur. Id enim, explanans superiora verba, *Non resistere malo* (ad quæ hæc, de quibus nunc agimus omnino referri, id sanè demonstrat, quòd per aduersatiuam particulam Sed cum illis nectuntur) apertè scribis. præsertim verò pag. 149. in illis verbis, *In omnibus enim his contionibus Iesu Christi intelligere oportet, odium esse & magistratus & priuatorum erga te causæ, quam concionaris & quam complexus es gratiam* Vbi illud obiter notandum est, quod deinde addis hoc pacto. *Causa enim ipsa est quæ odium concitat hominum: Cuius gratia nulli Iesus Christus nos omnia, quæ boni & probi uiri solent, ferre.* Ergo nihil ampliùs Euangelii caussa perferendum esse Christus docuit, quàm boni & probi viri ferre solent? Quid? An fortasse dubium aliquod ea de re futurum erat? Numquid in mentem alicui venire poterat, eos, qui virtutem, & probitatem eximiam aut ipsi profiterentur, aut etiam alios docerent, quales sine dubio ii sunt, qui Euangelii caussa affliguntur, improbos & malos esse posse, id est nihil referre, vtrùm ii boni & probi, an verò improbi & mali essent, quos cæteris omnibus virtute, ac probitate antecellere debeat, si tantùm id eos monere voluit, vt bonos & probos viros imitarentur? En quale Christi euangelium nobis fingis, quod ab ipsa philosophorum disciplina in homine instituendo superetur. In philosophorum enim ferè omnium præceptis multa sunt eximia, & communem hominum virtutem, ac probitatem superantia, quæ etiamsi quis non fecerit, non tamen improbus, aut malus dicetur. In Christi autem euangelio ea tantùm præcipi vis, quę boni & probi viri facere solent, idq; tunc etiam, cum de ipsa Euangelii caussa asserenda agitur, & propaganda. Etsi enim in verbis tuis non est dictio Tantùm, aut alia similis, hoc tamen te sentire, cum ex verborum ipsorum, quæ recitauimus, perspicua propter

vsum loquendi sententia, tum ex iis, quæ mox subiicis, apparet. Ais enim, *Legantur omnia scripta quæ extant Apostolorum, qui sunt fidi interpretes uerborum & uoluntatis Iesu Christi, omnia eo tendere cognoscentur, ne nos occasionem demus hostibus ueritatis, auertēdi se à caussa & cognitione ueritatis propter proteruiam & animi nostri impotentiam.* Itaq;, si tibi credimus, modò apostoli, & verbi Dei ministri proterui & animi impotentes non essent, satis habebat Christus, hāc non per se, ac perpetuò ab illis requirebat, sed propter iuæ diuiplinæ propagationem, & tunc demum, cum de hominibus ad veritatis cognitionem perducendis, siue in ea confirmandis agetur. Nam certè hæc tuorum verborum sententia esse videtur. Sed iam ad propositum reuertamur.

Palæologus seipsum refellit.

Perspicuum est igitur, te in eo tibi aduersari, tuaq; ipsius dicta refellere, dum vis Christum in illis verbis sub malæ cædis nomine non crimina, sed ciuiles res intelligere, cum id maximopere contendas, cum de iis iniuriis, quæ Euangelii caussa malo siue magistratu, siue priuato, cui magistratus non repugnet, verbi Dei ministris inferuntur, sermonem instituisse. quę profectò crimina sunt, non autem res ciuiles. Quid, quòd cum alibi, tum fateris, Christum hoc præcepto priuatam iniuriarum vindictam prohibuisse, tum verò (eadem scilicet pag. 231.) hæc verba paullo ante scripseras? *Si quis unam malam, inquit, cæciderit, obuertē illi & alteram, quis non uidet collationem insinuatam esse sententiæ? Hanc scilicet potius quam priuatam iniuriam uindices ui priuata, feras nouam iniuriam tu qui tuliſti priorem, nec uelis malam illi cædere qui malam tibi cæcidit. Hic ea omnino sensus.* Hucusq; sunt verba tua. Ergo ipse confiteris, sensum verborum Christi omnino esse, ne vi priuata iniuriæ vindicentur.

Palæologus aduersus seipsum sententiā fert.

Num igitur, teipso iudice, Christi verba in caussis ciuilibus pugnant? Numquid iniuriæ crimina, seu delicta non sunt?

Sed videamus, quomodo probes, Christum hic de criminibus non agere. Addis enim ad finem prædictæ pag. 231. hæc verba: *In criminibus enim ipse dixit: Omnes qui acceperint gladium & aliquem occiderint (priuati cum sint gladio) à magistratu peribunt.* Non est autem, quod hæc tua verba hic diligentiùs examinemus, & tua ad Christi verba additamenta, siue interpretationes partim suis notis distinctas, partim non distinctas, sed ipsius Christi verba esse præ se

rentes excutiamus. Concedamus sanè hoc loco, Christum ea dixisse, quæ tu illi adscribis. Quid hoc ad illud, quod quæris? Christus alibi dixit, eum, qui, priuatus cum sit gladio, aliquem occiderit, a magistratu occisum iri, seu mauis etiam occidi debere. Esto. Quid tum postea? Nũ propterea hìc dicere non potuit, ac iubere, vt corporis plagas, & perpessiones ab improbis hominibus patienter feramus, vt scriptor noster ait, & de criminibus loqui? Primùm enim nec de ipsa morte hìc agi, vt dictum est, in his scriptoris verbis affirmatur, nec sub Accipiendi gladium verbo, cui tu verbum Occidendi, hoc ipsum sentiens, addidisti, omnia crimina intelligere potuit Christus, vt verba illa demõstrãt, gladio, siue, vt tu interpretaris, *a magistratu peribit*. Non perit enim a magistratu, quicumq; crimen aliquod, seu delictum commiserit, sed is demum, qui capitale facinus perpetrauerit. Deinde fac, vel scriptorem istum mortem quoq;, passionibus, & crucibus in carne nominãdis, intellexisse, vel Christum Accipiendi gladium verbo omnia crimina, seu delicta significasse, numquid repugnãt hęc inter se, Delicta aliorum in se patienter ferre, & Ei, qui deliquit, gladio pereundum esse? An non magistratus ipse nihilominus deliquentem plectere poterit? Iam (vt video) per te, disciplinamq; tuam, quam Christi disciplinæ loco nobis obtrudere speras, non licebit mitem atq; clementem esse, iniuriarumq; patientem, & nedum vt peccet is, qui per magistratum iniurias suas vlciscitur, is peccabit, qui non vlciscitur, & iniuriâ læsus vltro magistratum non adit, atq; in se delinquentem non defert, eumq; gladio puniri non curat. Certè huiusmodi placita vix credidérim in vlla barbarorum religione reperiri. In multis sanè locis, in quibus Christi quidem nomen personat, cæterùm omnis christiana religio extincta esse videtur, hoc tamen etiamnum obtinet, vt, quamuis iniurias sibi illatas priuato arbitrio non vindicare turpe, ac dedecoris plenum esse ducant, multò tamen turpius, & dedecoris magis plenum censeant, atq; adeò flagitiosum esse statuant, magistratus opem ad eas vindicandas implorare. Quod non idcirco fit, vt assuescant homines priuato arbitrio suas iniurias vlcisci. id enim, si verum fateri velint, sentiunt & ii quoque, quorum interest publicè, non autem priuatim iniurias vindicari.

Sed docet hoc nimirum ipsa ratio, Aut omnino cõdonandas esse iniurias, aut, si vindicandæ sunt, id per seipsum, non autem per alium fieri debere. Vilissimi enim ac turpissimi animi est, impunitis scilicet simul atq; ignaui neutrum istorum facere aut velle aut posse. Sed hæc hactenus.

Nunc de Christi præcepto illo agendum est, *Ei, qui vult tecum in iudicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium.* In quo non asserte iudicia quoq; suis fugienda esse docet Christus, potius quàm cet (huc enim omnia referuntur) quàm, vt malum malo repo tur. Quod ne vllo modo fiat, id quoq; cauendum est, ne aliorum etiam iniuste nos iniuria afficiendi occasionem præbeamus, vt po stea latiùs explicabimus. Meminisse enim oportet, Christi ver ba hęc, & quę sequuntur, vsque ad alia verba Legis, *Diliges proximum tuum*, &c. ad ea Legis verba addita fuisse, aut certè aliquo mo do pertinere, *Oculum pro oculo, dentem pro dente*, in quibus de iniu retaliandis agitur. Sed tu appendices esse ais interpretationis Je gis de vindicta, siue coniuncta quędam legi de talione, ideq; ferinda pag. 144. & pag. 156. Verùm bene habet, quòd dum de vindicta, seu talionis lege ampliùs Christum loqui negas, vt scilicet mitia quibusdam tuis eius verborum explanationibus ipsius præcepto eludas, interim apertè fateris, in superioribus de ea lege actum fuisse. Quod si verum est, quomodo superiora illa verba, *Si quis te percusserit*, &c. ad ciuiles causas, non autem ad crimina pertine re contendis? Numquid lex talionis, seu vindictæ non ad crimi na, sed ad ciuiles causas pertinet? Iam verò si eius legis, siue in terpretationis ipsius, quam Christus attulerat, hoc, quod exa nandum est nobis præceptum, vnà cum duobus sequentibus ap pendix est, & coniunctum quiddam, videndum est, qua ratione tu hæc cum illa nectas, atq; coniungas. Propterea iam, quo pac cto ea explanes, consideremus.

Palæologus sibi contrarius.

Tria igitur dicis esse hæc legi de talione coniuncta. Vnum de iudiciis, Alterum de vi, Tertium de mutuo. Et de iudiciis qui dem ais esse hoc primum, *Ei, qui vult tecum in iudicio contendere*, &c. Cuius dicti sententiam hac ratione inquiris. Ais, in duobus se quentibus nullam mentionem iudicii fieri. quod planè indicare putas, in hoc aliquid subesse, quod in illis non sit. Id autem, ve

verbum ipsum Contendendi in iudicio declarat, nihil aliud esse potest, nisi, quòd in sequentibus de re agatur, quæ ex voluntate pendeat eius, abs quo petitur, in hoc verò de ea, quæ pendeat ex aliqua obligatione. Sic enim colligitur ex iis, quę scribis pag. 158. Vt autem, quid hoc sit, explicare possis, in quem sensum In iudicio cõtendendi verbum hic accipiendum sit, indagas, & pergens ais, Christum supra iudicii, & iudicis fecisse mentionem in iis peccatis, in quibus humana iudicia locum non habent, sed ad ipsius Dei iudicium caussa defertur. De hoc igitur iudicio eum hìc similiter loqui vis. Quod si verum est, de obligatione etiam eum loqui necesse est, quæ sit non secundum homines, sed secundum Deum. Quæ verò erit ista? Nempe ea, cum quis, duas tunicas habens, diuino iure obligatus est alteram non habenti dare. Itaq; Christi verba, *Ei, qui uult tecum in iudicio contendere, & tunicam tuam tol lere*, ad hunc modum ex sensu tuo explananda sunt. Pauperi, seu atq; tribunal sistere potest, teq; ea ratione cogere, vt sibi alteram tunicam nõ habenti, cum tu duas habeas, qui te ad Dei iudicium, ex duabus tunicis concedas, dimitte & pallium, id est potiùs pallium vnà cum tunica des, quàm tunicam deneges. Hocq; Christi præceptum vnà cum duobus sequentibus, quas tu modò sententias, modò sententiolas appellas, ad eleemosynam pertinere ais, de qua mox dicturus erat.

Perpendamus (quæso te) paullo diligentiùs mirabilem hanc tuam explicationem. & primùm id, quod postremo loco dictum est, consideremus. Nam, si ad eleemosynam, vt inquis, hæc Christi præcepta pertinent, quomodo ea ad legem vindictæ, seu talionis accommodari queunt, etiamsi, vt tibi placet, appendices tantùm, & coniuncta quædam essent? Quid commune habet eleemosyna, ea præsertim, quam dare diuino iure cogimur, cum iniuriis priuato arbitrio (vt ipse interpretaris) non vindicandis, aut retaliandis? Cui enim iniuria facta fuit, is nemini quidquam debet, immo ipsi ab eo, qui iniuriam fecit, multùm debetur. quem verò Deus iubet eleemosynam dare, ei non solùm nihil ab aliquo debetur, sed ipse, quod Deus dare iubet, indigenti debere dici potest. Quòd si de eleemosyna quadam, seu liberalitate tantùm sermo esset, quam dare quis nullo iure cogeretur, id ad præce-

ptum de iniuriis non vindicandis aliqua ratione accom
fortè posset, seu cum illo coniungi. Hoc nimirum pacto. C
admodum iuri nostro in iniuriis non vindicandis cit remu
dum, & alteri de eo, quod nostrum est, cedendum, sic dan
eleemosyna iis etiam, quibus vt detur, nihil cogit, aut ubc
ita de iure nostro quodammodo cedendum, & alteri, qu
strum est, concedendum. Sed aliud eleemosynæ genus
dixi, non video, quomodo huc pertinere possit. Simul c
que obligatio aliqua dandi adfuerit, euanescet omnis ad
non vindicandas relatio, & omnis pariter hæc coniunc
tio. Atqui, vt vidimus, certum est, de isto eleemosynæ
primo hoc præcepto agi, si explanationem tuam sequ
Nihil autem dico, quòd satis ipse fateris, de eleemosyna
hoc præcepto non agi, cum dictum quoddam esse velis
is. Quid enim eleemosynæ cum iudiciis? Deinde, quo
plo confirmas, verbum Volo pro Possum interpretan
nedum id fieri hoc loco debere? Etenim in explanatione
ba illa, Ei, *qui uult*, ita omnino accipiuntur, ac si dictum
qui potest. Quãquam hoc non satis est, nisi verbum
& Potest simul significet. Ex loco enim ipso perspicuum
de re hîc perpetuò agi, quomodo scilicet alterius in nos vo
ti, aut facto, quod nobis detrimentosum appareat, respõdere
beamus. & tu alibi, quamuis hîc id requirere non videaris,
titione illius, qui tunicam non habet, mentionem facis, pag.
delicet 207, & 234, atq; etiam pag. 233. Verùm numquid is
iudicio contendere velle dici potest, qui nihil aliud agat, nih
te petat, quo tu abundas, ipse caret? Deus bone, qualem
loge, nobis Christum facis, qui non quidem doceat, sed
ta quodammodo soluenda proponat! Sphingem sanè aliquam
te verò Oedipum, qui solus ea soluere possis.

Nam quid de interpretatione tua dicemus eius verbi, in
contendere, quod in græco est κρίθῆναι? Quàm mirè es acutus,
de diuino tribunali hîc agi velis, & verbum κριθῆναι, ad iudic
illud referas, de quo supra Christus semel locutus fuerat, ac
xerat, *Omnis, qui temere irascitur fratri suo, reus erit iudicio!* Certè op
tuit, Christi quoq; auditores non acutissimos modò, sed

etiam memoriã esse, vt hæc percipere possent. At inquies, non in eo solo loco a Christo eius iudicii reipsa antea mentionem factam fuisse, teq; id satis indicasse, cum non tantùm dixeris, Christum supra feciſſe mentionem iudicii, sed etiam iudicis. Non enim in eo loco disertè mentio iudicis fit, sed in illo, *ne fortè tradat te aduersarius iudici.* Verum est. Non animaduerteram. Sic enim ad finem quoq; pag. 159. scribis, *Nam contendere tecum uidetur eo significatu dictum, quo illud: Reus erit iudicio, & illud: Et tradet te aduersarius iudici.* Et statim adiungis, *eiusdem enim significati esse oportet hæc omnia: Aduersarius, iudex, iudiciũ, carcer, minister, exactor, & quo unum refertur oportet omnia referri.* Rectè quidem, quod attinet ad eum locũ, vbi istorum omnium, præterquam iudicii, fit mentio, si inibi iudicium nominatum fuisset. At verò, quòd eódem etiam referri debeat, si quid in toto eo sermone de iudicio subeundo a Christo dicitur, non rectè est dictum. præsertim vbi commodissimè aliò referri potest, idq; non quidem noua & translatitia significatione ascita, vt in interpretatione ista tua fieri necesse est, sed ppria atq; vsitata retenta. Quidenim prohibet, quominus verbum κρίθῆναι, siue In iudicio contendere hoc loco propria & vsitata significatione accipias, & ad humana iudicia referas, vt fieri etiam vides 1. Cor. 6. ℣. 1, & 6? Nihil omnino, nisi quòd ea significatio tuæ sententiæ plurimùm obest, & in locis plerisq; sacrarum litterarum interpretãdis nihil pensi habes, modò tuis placitis, si tua interpretatio admittatur, vel faueant, vel non aduersentur. Hoc autem non iniuriâ a me dici, confitebitur (spero) quisquis meam hanc respõsionem legerit. Nam, hoc ipso loco explanando, ita nihil pensi habuisti, vt tibi ipsi sæpius non constiteris, atq; adeò planè aduersatus fueris. Primùm enim, vt iam vidimus, cum primò dixisses, Christi dictum hoc de iudiciis esse, deinde vnà cum sequentibus ad eleemosynam pertinere dixisti, quæ cum iudiciis nihil commune habet, Quando quidem Iudiciorum simplici nomine non Dei iudiciũ, ad quod tu Christi verba pertrahere conaris, sed humana tantùm iudicia significantur. Deinde, quæ in illis Christi verbis, *Esto consentiens*, &c. de iudiciis dicuntur, quæq; hìc ad diuinum iudicium refers, eadem aliis in locis de iudiciis humanis accipis. Legantur ea, quę scribis pag. 121, 122, 124, 125, 233, & 252. & quę in priore quoq; scripto dixeras

Palæologus sibi ipsi aduersatur

dixeras, sunt q; in principio, medio, & fine pag. 35, & initio pag. 36. etiam passim ex illis Christi verbis magistratum stabilirat, & confirmari affirmas, quamuis id deinde in posteriore scripto pag. 121. dubium relinquas. Legantur, inquam, loci prædicti, & cum verbis tuis conferantur, quę paullo ante recitauimus, in quibus verba illa Christi ad diuinum iudicium, vt vidimus, refers, & recipis. Palæol. uarius.

dio explanationis tuæ eius loci, quem præ manibus habemus, confirmandæ tibi tam parum constitisse, nemo est, qui videat. Palæologi incõstantia.

ter miraturus non sit. Sed aliæ quoque in eadem hac re inconstantiæ tuæ mox a nobis retegentur. Monendus enim prius lector, ne superiora quidem illa Christi verba, *reus erit iudicio*, eo modi esse, vt ad confirmationem explanationis horum verborum, *in iudicio contendere*, mererentur in testimonium adduci, quasi in illis manifestè Iudicii nomine diuinum iudicium intelligeretur. Quod non ita est, etiamsi, id verum esse ab initio concedere videamur. Etsi enim non dubium est, quin Christus respexerit, re voluerit, eum, de quo loquebatur, futurum reum iudicij, uino, tamen id ex sententia potiùs eius colligitur, quam ex ipsis verbis. Siquidem, cum dixit de eo, qui fratri temere irascitur, *reus erit iudicio*, ad illud, quod ante ex Legis mente retulerat, omnino respexit, *Qui occiderit reus erit iudicio*. Et perinde est, ac si dixisset. Non solùm ipsa cædes reum occidentem constituit, & gnum qui pœnas det, verùm etiam ipsa ira, siue odium adhuc fratrem temere susceptum idem facere debet, ac faciet. Ita cum dixit, *reus erit iudicio*, Iudicii nomine non certum aliquod dicium, quod ipse modò intelligeret, significare voluit, cui xius is, de quo loquebatur, futurus esset, sed integra ea locu ne id nimirum voluit dicere, Iure istum pœnas daturum, qui tus fuerit temere fratri suo, non secus atq; illum, qui homi occiderit. Atq; tu ipse non absimilem eorum verborum interpretationem es secutus, cum initio pag. 121. ita scriptum reliquisti: *sicut cædes ipsa ignominiosissima cæde à Magistratu ordinario essit punienda, odium in fratrem conceptum, leuem aut nullam ob caussam, iudicium cõstituit examinandum & puniendum.* Sunt enim hæc tua verba sine dubio explicatio sententiæ Christi de eo, qui temere fratri irascitur, verum etiam sequentia deinceps verba tua declarant, quibus scripsisti

quoq; Christi sententias pari ratione explicas, atq; eodem modo ad magistratum omnia refers. Quare iam videre potes inconstantiam tuam, cum deinde verba illa, *reus erit iudicio*, de Dei iudicio accipis. Adeò autem verum est, te in proximè citato loco, vbi tota illa pars Christi sermonis tibi explananda erat, ad magistratum, non autem ad Dei iudicium eius verba retulisse (quemadmodum intelliget, qui præter supra scripta verba ea legerit, quæ pag. 122. ab illis verbis, *Cæterum iudicium, Concilium*, &c. vsque ad finem eius partis explanandæ scripsisti) adeò, inquam, verum est, vt in ipso fine ausus sis dicere, Christum ibi suis verbis magistratum constituere. Etenim sic in fine pag. 123. & seq. initio scriptum extat, *Cum autem Magistratus nomina sint, Iudicium, Concilium, Principes, sequitur Iesum Christum his suis uerbis Magistratum constituere.* Idem quoque apertè dixeras in priore scripto pag. 35. in ipso initio. quod ibidem paullo post his verbis confirmaueras, *Nam si Christo iudicia displicuissent, exercereq; ius gladij malum esse cognouisset, non dixisset, obnoxius erit iudicio.* Sed nihili æstimandæ videntur, quas recensuimus inconstantiæ tuæ, præ illa, quòd hunc ipsum locum, vbi scilicet de danda tunica, & pallio agitur, alibi magistratus mentionem continere vis, & de magistratu adeundo in eo verba fieri, adeò vt hic magistratum statui velis. Hoc autem verisimum esse deprehendet, quicumq; iis lectis, quæ hic scribis, ea legerit, quæ pag. 214. scripsisti, vbi tandem ita cõcludis, *Statuitur igitur iudicium magistratus hoc dicto, non euertitur.* Nam quod pag. 162. scribis, ex hoc loco, cum in eo Iudicii nomen legatur, legitimum magistratum statui, quamuis in eo de iudicio Dei agatur, vnde aduersus id, quod & modò, & antea dictum a me est, concludi possit, te neq; iam in eo tibi non satis constare, quòd vbi de Dei iudicio agi velis, ibidem magistratum confirmari affirmes, hoc, inquam, non video, quo iure a te dicatur. Etenim si Iudicii, aut Iudicis nomen & hic, & alibi in locis, de quibus supra disputatum est, Dei iudicium, vel Deum iudicem significat, quid hoc ad humana iudicia, & homines iudices, id est magistratus confirmandos? Num ex hoc propterea ista confirmari dici possunt, quia alioqui fuissent Deo accommodata earum rerum nomina, quas ipse non approbasset, idq; verisimile non est? Atqui non fuerunt Deo re-

Palæologi inconstantia.

Palæologi inconstantia.

rum aliquarum nomina accommodata, cum iudex dictus est, ...
que iudicium tributũ fuit, sed maximè propriè hæc de ipso ...
dicta, qui verus iudex est, & a quo, vel apud quem vera ...
exercentur. Vt Iudicis, & Iudicii nomen, seu Iudex & Iudi...
sint genera (vt loquuntur) analoga, quæ primùm de Deo, ...
de de hominibus prædicentur, & non ab hominibus sumpta, ...
sed a Deo sumpta, hominibus accommodentur. Quamobrem ...
nihil prorsus ex appellationibus Iudicis, & Iudicia exercendi, ...
Christo Deo tributis ad confirmandos magistratus, humanos ...
iudicia elici potest. Sed probandum est (vt quidem facillimum ...
quòd hominibus quoq; hæc eadem tribuantur, id Christi pro...
ptis minimè aduersari.

Illud præterea animaduertendum est (nam & necessarium ...
iudicii, & iudicis mutatione consequitur) te, quod hic ad decem...
synam refers, alibi ad restitutionem rerum ablatarum, aut con...
tra leges retentarum non obscurè referre. Vt in paraphrasi ca...
pag. 207. vbi Christi verba, de quibus agimus, ita reddis, *qui ...
tecum litigare uelit in iudicio, quod illi abstuleris tunicam, & ob id accusare ...
te uelit tunicam tuam, potius quam ut ob eam rem uenias in iudicium & damnera...
à iudice, non solum tunicam sed etiam togã offerendam esse petenti dico.* Quæ ...
Palæologus nariat, sibiq; aduersatur. dissimilis est, immo contraria paraphrasis explanationi. Inter...
planatione dictum fuerat, non de humanis iudiciis, sed de Dei iu...
dicio hìc agi. In paraphrasi verò non modò Dei iudicii non com...
memoratur, sed ea dicuntur, quę de humanis iudiciis verba Chri...
sti accipienda esse, euidenter demonstrant. In explanatione de co...
emosyna facienda, quod ad Dei iudicium tantùm pertinet. Chri...
stum loqui affirmatur. At in paraphrasi, de re ablata restituenda ...
sermonem esse, traditur. qua de re homines iudicare solent. Itaq...
sententiam mutasti, & ab illa abstrusa & mirabili opinione ...
quod hìc de diuino iudicio agatur, recessisti, vel potiùs ad com...
reuersus es, quam antea secutus fueras, popularem & omnibus ...
positã, quòd de humanis iudiciis hìc verba fiant. Nam, vt tam ...
ximus, antequam loci explanationem aggrederere, de iudiciis ...
agi confessus fueras, idq; non semel, sed primò ad finem pag. ...
deinde in initio pag. 156. Iudiciorum autem nomine ita plurali ...
mero simpliciter prolato (vt supra monuimus) nemo vnquam ...

rit, qui Dei iudicium vel intelligat, vel ea appellatione contineri putet. Quinetiam in priore scripto pag. 37. christi verba in eundem prorsꝰ sensum acceperas, quem in Paraphrasi secutus es. Eò enim illa pertinere dixeras, ne patiamur trahi in iudicium ab eo, cui abstulimus sua. Sed quamuis, quod ad genus iudicii pertinet, de quo Christus agat, rectè sententiam tuam vel mutaueris, vel repetieris, in eo tamen (vt scilicet huius loci scopulum omnino vitares) in deterius es lapsus, quòd, cum aliquando fatereris, hîc ea de re agi, quæ saltem aliqua ex parte voluntaria est, nunc de ea, quæ planè est necessaria, agi velis. Nam si, quia eleemosyna illa ab eo, qui duas tunicas habet, ei, qui nullam habet, præstanda coram Deo, ipsiusq; iudicio aliquid necessitatis habere videtur, idcirco de ea Christum loqui non potuisse, ostendimus, nec, de lege talionis exequenda loquentem, eius mentionem inferre, multò magis id dicendum est de rei ablatæ restitutione, quę & diuino, & humano iure debetur, nec cũ iniuriis non retaliãdis aliquid prorsus commune habet. Verùm neq; in hac, neq; in illa sententia, quatenus vtrobique aliquam obligationem ex parte illius, a quo petitur, esse vis, satis cõstans fuisti. Id enim alicubi veritate victus ipse negare videris, & aduersus teipsum ea dicis, quæ ab aduersariis tuis dicenda fuerant. Etenim pag. 160. hæc tua verba leguntur

Palæologi inconstantia.

Palæologus se ipsum refellit.

Deinde cum dicit: tunicam tuam tollere, ostendit nos totum ius in tunicam habere, nullum autem eum qui uult nos tunicæ causa in ius trahere, quod autem esset illud iudicium, quod posset adiudicare alij id quod meum est toto iure? Primùm enim, cum hæc dicis, manifestum est, te sententiam, quam posttionis genus, de quo iudicandum sit. Nam qui, propterea sibi dari tunicam, ab alio petit, quòd ille tunicam sibi abstulisset (sic enim, vt vidimus, facti speciem in Paraphrasi deformas) is certè in tunica illa multum iuris habet, idq; in omni iudicio. alter verò, a quo petitur, nihil. Atqui in modò recitatis verbis tuis, cum, a quo est, qui tunicam petat, totum ius in eam habere vis. Deinde ratio, cur hoc velis, alterius quoq; sententię tuæ id funditus euertit, quòd petitio rei hîc sit, quę petenti aliquo iure debeatur. Cum enim dicit Christus, *tunicam tuam tollere, ostendit* (inquis) *nos totum ius in tunicam habere.* Quamuis enim, cum hæc dicis, ad humana iudi-

Palæologus sua ipsius dicta euertit.

cia verba tua referas, tamen ratio ipsa, quam verborum tuorum affers, illud iudicium cõplectitur omnino, de quo ibi sermo est, qualecumq; id tandem esset. atq; eò vox Tuam referenda est, in eo ipso iudicio, non autem in alio quopiam, tunica tic nobis quemadmodum etiam ex ipsis verbis tuis apparet, dum ais, eum qui tunicæ caussa vult nos in ius trahere, nullum ius in tunica habere. Nam quis est, qui non intelligat, istum illius ipsius seu iudicii respectu, in quod nos vult trahere, nullum ius habere in tunicam, quæ nostra est? Hinc apparet, vel de diuino iudicio hîc non agi, vel certè non de danda ex duabus tunicis altera qui nullam habet. In diuino enim iudicio non cuius est tunica, habet, sed illius, qui non habet. Non igitur in eo iudicio erit tunica, sed aliena. vel teipso teste, qui non modò vbique tis, sed etiam disertis verbis alicubi exprimis. pag. enim ais, *Hanc monitionem Iesu Christi, quæ pertinet ad conuitiatorem* tem verba ad Christi dictum illud refers, *Esto consentiens* tuo, &c.) *iste scriptor coniungit, cum monitione Christi,* (hæc verò ad locum nostrum accõmodas) *ut si quis pauper* nicam, *dent & pallium potius, quam ut ille cogatur iudicio* tunicam *ad se pertinere dicat, & iudex Deus contra non dantes* in gratiam pauperum, *ferat sententiam.* Et mox. *Non uetat* expeti uindictam *per iudices, sed monet, ut qui intulit iniuriam,* pud se id quod alij *dare tenetur, tamquam alienum, curet* dem repetis pag. 235. his verbis, *Christus monet illos, qui* obtinent, *uel quod conuitiati sint alijs, uel quod retinent aliena,* diximus) *ne expectent experiri discrimen iudiciorum, sed* riam *sunt passi, accedant ad iudicem expostulatum, reducant* runt *in gratiam, ille petendo ueniam, iste reddendo aliena.* mel disertè affirmare, coram Deo iudice non nostrum, sed num esse id, quod nobis supereſt, alii deeſt.

Quare iam istæ tuæ exoticæ ac spinosiores quædam horum Christi verborum interpretationes relinquendæ sunt tibi. Palæ loge, atq; ea amplectenda, quæ, vt communior, ita planior quæq; ex tui ipsius dictis colligi potest. Nam si id, quod alicubi vt supra ostendimus, scribis, hîc de magistratu, & humanis iu ciis agi, cum eo coniungatur, quod alibi confiteris, eorum

bere istum in tunica, abs quo est, qui eam auferre velit, certè veram loci explanationem facilè habebimus. Quæ est, Potiùs tunicæ tuæ, quàm quis abs te iniustè accipere velit, pallium, siue togam addendam esse, quàm cum ipsius damno ius tuum apud iudicem persequendum. Atque ita hæc vera appendix, (vt tu eam appellas) erit ad legem talionis, non autem dictum quoddã cum ea nullo pacto cohærens. Neq; opus fuerit diuinare aut potiùs somniare, eum, abs quo est, qui tunicam petat, vel duas tunicas habuisse, cum alter nullam haberet, vel alteri priùs tunicam abstulisse, neq; verbum κρίνεσθαι simpliciter positum, vbi de cuiuspiam voluntate contendendi in iudicio agitur, nulla vel necessitate cogente, vel exemplo fortasse suadente, ad Dei iudicium referetur, nec deniq; verbum Velle pro Posse, aut pro Posse simul, & velle accipiendum nouo exemplo erit, aut Velle tollere, siue accipere pro Petere interpretandum, vt in explanationibus tuis fieri necesse est. sed omnia planissima erunt, atq; perspicua, nec vlli verbo vis aliqua afferetur, aut inusitata significatio tribuetur.

Immo (dices) Nam explanationi isti communi & tuæ numquam verba illa accommodabis, *Vult tecum in iudicio contendere.* ex quibus manifestum est, istum, qui tunicam alterius habere vult, aliquod ius in eã habere. id quod explanatio vestra planè negat. In qua etiam præter id, quod in verbis Christi est, verbo Tollere, siue Accipere aduerbium Iniustè additur.

Respondeo, nihil impedire, quominus is, qui nullum ius in rem aliquam habeat, tamen prudens sciens velit de ea cum domino, & iusto possessore in iudicio contendere, vt quotidiana experientia plus satis nos docet, & idcirco Christum, qui id optimè norat, suos monere voluisse, vt, siquando in eiusmodi hominem inciderent, qui, quod ipsorum omnino fuisset, ipsis auferre vellet, etiamsi id iuridicâ viâ tentaret, concederent tamen id, quod ille vellet auferre, &, si opus esset, aliquid etiam ampliùs darent potiùs, quàm iudicium ipsum, nedum quidpiam aliud experirentur, in quo scilicet is suæ temeritatis daret pœnas (erat enim antiquis legibus temere litigantibus grauis pœna constituta) atq; ea ratione iniuriam sibi ab eo factam vindicarent. Quamquam, etiamsi temere litigantibus ac dolosè in iudiciis agentibus nulla tunc pœ-

na legibus constituta fuisset, tamen Christi monitio locum habe-
ret, quamuis de non vindicandis iniuriis agatur. Tunc enim
locum habere putanda est, non cum simpliciter quis ob hoc de-
denda in ius vocatur, sed cum, si in ius catur, appareat futurum
vt, qui nostra capere voluit, per iudicem condemnetur, ac po-
atur. nempe ob eam caussam, quòd ea in re & nobis, & legi-
ipsis vim aliquam afferre voluerit. Nec verò minùs ad eiusmo-
casum, quàm ad superiorem, accommodari poterit, quod
voluerit nobiscum in iudicio contendere. Is enim satis vide-
velle contendere in iudicio, qui manifestam occasionem no-
præbet se apud iudicem componendi, nec illi vllam præterea
iuriam ab se acceptam vindicādi rationem superesse nouit, quo
iudicem adire. Adde, quòd solent isti, qui aliena rapere tenta-
atq; ob eam rem a vi non abstinent, conquerenti de ipsorum
ria dicere, Si quid habes aduersum me, in ius me voca. Nam
a Theodoro Beza hoc ipso loco annotatum fuit, potest proprie
non incōmodè τῷ θέλοντί σοι κρι θῆναι pro τῷ θέλοντι ἐν σοὶ κρι-
dictum videri, atq; hoc pacto locus verti, Ei, qui abstrahere in iudi-
vocari velit. Summa hæc est, agi hîc de iniuriis non vindi-
dis, aut retaliandis. Quare ad hoc ipsum omnino verba Christi
referri debent, atq; eò libentiùs, si per magistratum id facere
oqui licuisse appareat. Huc enim pertinent verba legis, *Oculum*
oculo, dentem pro dente, quorum occasione hæc a Christo dicta
Quocirca non immeritò in explanatione nostra aduersus
stè verbo Tollendi, siue Accipiendi additum fuit, cum contra
eo, quod iniuriā fiat adeò, vt per magistratum vindicari
potissimùm sermonem esse. Quinimmo, ne addi quidem
bium illud, dici potest, cum alienum sua sponte tollere, siue
pere, (inquit enim, & [*uult*] *tunicam tuam tollere*) nemo nisi
queat. Atq; ex his tādem probatum est, meritò hunc locum
ab aduersariis obiectum fuisse, in coq; disertè, contra sententiam
& dogma tuum, a Christo vindictam etiam per magistratum
petendam prohiberi.

Nunc de sequente Christi præcepto videndum est, quod
liter tibi ab aduersariis obiectum fuit, vt probarent, nihil non
perpetiendū ab altero potiùs, quàm vt in eum iniurias etiam per
magistratum

magistratum vindicemus. Etsi enim ex supra dictis satis id, quod volebamus, & opus erat, effectum est, nec obscurè indicatum simul, ac probatum, quo sensu (eo scilicet, quem tui aduersarii sequuntur) Christus id præceptum dederit, tamen quia tu ex eo, & sequente superioris interpretationem tuam cõfirmari putas, non abs re erit non de ipso modò, sed de sequente quoq;, quantum sat fuerit, explicare.

Ais igitur, vtrumq; eiusmodi esse, vt in ipsis de re agatur, quę pendeat ex volũtate eius, abs quo petitur, & propterea in vtroq; partem illam de contendendo in iudicio prætermissam fuisse, quę in superiore posita indicat, superius de eo agere, in quo aliqua obligatio eius, a quo petitur, contineatur.

Iam a nobis, quid sibi ea pars in superiore velit, ostensum est, &, tui ipsius verbis, ac ratione allata, concluſum, totum ius in tunica eum habuisse, abs quo ea petebatur, vel potiùs auferebatur, nullum autem illum, qui tunicæ caussa alterum in ius trahere volebat. Non igitur ea pars in superiore addita in his idcirco prætermissa est, quòd in illo de obligatione aliqua, in his de re prorsus voluntaria sermo esset. vbiq; enim de re planè voluntaria agitur. Sed ad alterius rei distinctionem id factum est, vt scilicet is casus, vbi quis in iudicium vocatur, ab iis, vbi id non contingit, distingueretur, non quidem quò intelligeretur, diuersam vtriusq; esse rationem, & diuersum de vtroq; statuendum esse, vtriusq; enim eadem est ratio, & de vtroque idem statui vult Christus, sed vt eò clariùs, atq; apertiùs vtrũq; casum Christi præceptis comprehensum fuisse, constaret. Quamquam ne in priore quidem ex his duobꝰ prȩceptis monitio de magistratu non adeundo non intelligenda est, vt postea explicabimꝰ. Nam prȩstat priùs videre, ecquid tibi in eo explanãdo magis, quàm in superiore, constiteris. Certè minùs etiam constans fuisti. Primùm enim, vt vidimus, duobus in locis, nempe pag. 144, & 156. dictum quoddam esse affirmas de vi. At alibi, hoc est pag. 159. ad eleemosynam vnà cum aliis duobus pertinere ais. An non hæc planè repugnare videntur, Eleemosynã dare, & Vim sibi ad dãdum adhiberi? Quod si non pugnare contendas, quis tamen præter te eleemosynam illam appellasset, in qua vis aliqua interueniat? Quod quàm absurdum

Palæologi inconstantia.

dum sit, tu ipse intelligens, atq; in eo perseuerans, vt deleremus
syna hîc agatur, in explanatione ipsa verborum illi sententiæ
bis antea repetitæ, quòd dictum esset de vi, penitus deinde re
ciasti, & teipsum planè refellere non dubitauisti. Nam hic
pag. 162. *Angariare: uox hæc sicut multæ aliæ significationes, sum*
prouinciam Romanorum, Hierosolymæ. Est autem & amantis &
ad amantem retraximus uocem. Non examino autem diligenter
ba tua. Illud tantùm abs te scire velim, vnde habeas, verbum
gariare, siue ἀγγαρεύειν & amantis (vt ais) & odientis esse. N
sacris litteris duobus tantùm in locis, vt arbitror, id verbum
gitur, hîc, & in eo loco, vbi & Matthæus, & Marcus de Simo
illo Cyrenço loquũtur, qui ad mox crucifigendi Christi cruc
baiulandam est adactus. Vbi, vt ipse statim post supra scripsi
verba confiteris, sine dubio odii est. Alibi verò extra sacras litteras
ras vel ipsum verbum non legitur, vel si aut apud græcos, aut
pud latinos vspiã legitur, id sine dubio in eadem hac notione
Nam & ipsius origo, & quædam alia coniugata verba, nomina
na, quæ alicubi leguntur, eam perpetuam esse confirmant. Sed
quidquid sit, vides, quàm sis varius, & quàm aperte teipsum re
tes, qui modò de vi hîc agi, modò illud ipsum verbum, ex quo
lo vis illa intelligi poterat, hoc loco amantis esse affirmas. De
de (quod satis mirari non queo) in explanatione pag. 98. a
dicis, (quod & antea attigimus) non posse hîc cum, qui peri
secum eatur vnum milliare, de ea re cum eo, abs quo perit, iudi
contendere, ob eamq; rem partem illam hîc prætermissam fu
nec contentionis in iudicio mentionem factam esse. At ver
Paraphrasi pag. 207. hunc locum ita reddis, *Et si quis te cogere*
ad unum miliare per iudicem, quod tu ad tantundem itineris cum
tare cum uel duo miliaria, potius quam ut uelis cum eo iudicio
quæ (obsecro) inconstantia est, si hæc non est? Potuitne quis
quam ei, quod priùs dixeras magis contrariũ excogitari co
tute ipse deinde scripsisti?

Matth. 27. 32. Mar. 15. 21.

Palæologus seipsum refutat.

Palæologus sibi contrarius.

Sed iam verborũ Christi sententiam nos explanemus, & q
modo hoc cum superioribus cohæreat, dicamus. Agitur, vt
pius dictum est, de iniuriis non retaliandis, aut vindicãdis, n
magistratum quidem. Præcipit igitur Christus, vt, si quis
vim

vim attulerit, & coegerit, seu vim afferre & cogere voluerit, vt secum ad vnũ milliare eamus, potiùs, quàm vt iniuriam hanc vlciscamur, eamus cum illo etiã ad duo milliaria. Vlciſci autem quis eiuſmodi iniuriam vel per ſe, vel per magiſtratum poteſt. Quare de magiſtratu non adeundo hîc quoque tacitè fit mentio, & ad inſtitutum ſermonem Chriſti verba rectiſsimè accommodantur.

At inquies (vt apparet) Quid de ſequente præcepto dices? *Abs te petenti dato, & uolentem abs te mutuari ne auerſeris.* Nam quid hîc de iniuriis non vindicandis, quidue de magiſtratu non adeundo dictum eſſe, comminiſci poteris? Nonne, cum in hoc dicto ne vmbra quidem iſtarum rerum appareat, ſatis conſtat, in ſuperioribus quoq; nullam ipſarum habitam fuiſſe rationem?

Reſpondeo, longè apertius eſſe, quàm vt negari poſsit, ſuperiora iſta omnia ad verba illa, *Audiſtis, quia dictum eſt, Oculum pro oculum, dentem pro dente*, referenda eſſe, in quibus nulli dubium eſſe poteſt de lege talionis agi, & porrò, vt nobis quidem videtur, & ſupra abunde demõſtrauimus, de magiſtratu verba fieri, cui eam legem exequendi cura incumbebat. Qua autem ratione referri debeant, & quæ in ipſis dicta ſint, ex quibus relatio illa appareat, ſatis iam explicatum fuit. Quòd ſi in poſtremo hoc dicto nihil eſt eiuſmodi, quod vel ad legem talionis, vel ad magiſtratum referri poſsit, nemini mirum id videri debet, cum non, perinde ac cætera, ex antecedentibus pendeat, cum illiſue connexum ſit. Non eſt enim hîc coniunctiua ſermonis particula aliqua, quæ in aliis omnibus legitur. Nempe quia non ita cum illis cohæret, nec ita ad illud, quod propoſitum fuerat, referendum eſt, quemadmodum illa inter ſe cohærent, & eò referenda ſunt. Eſt igitur hoc additamentum quoddam, ſiue (vt a te quoq; rectè dictum hac in parte fuit) appendix quædam ad legem de talione a priuato homine in cauſſa propria, ne magiſtratus quidem ope, (vt quidem ego interpretor) exequendam. Atque ad hunc modum, appendicem eſſe, offendo. Præceperat Chriſtus, variis facti ſpeciebus propoſitis, ne vllum iniuriarum genus vlciſci, aut retaliare auderemus. Nunc occaſiones quoq;, ne iniuria aliqua afficiamur, atq; ita in periculum nos aliqua ratione vlciſcendi adducamur, deuitandas eſſe docet. Vultq;, ſi quis aliquid a nobis petat, quod fa-

cere, eiue dare posſimus, potiùs, quàm vt, rem petitam dene
do, illum contra nos irritemus, anſamq; nos iniuria afficiendi, be
ue nos cædendo, ſiue vi id, quod petierat, rapere tentando, ſiue
ad id, quod facere recuſamus, nos adigendo, vt in ante expoſitis
exemplis eueniebat, illi præbeamus, potiùs, inquam, quàm nos
in haſce difficultates coniiciamus, & periculum in quemcunque
vindicandi vllum ſubeamus, vt nihil omnino a nobis petitum da
re, aut facere recuſemus. Nulla igitur hîc indigentiæ, ſiue egeſta
tis eius, qui petit, ratio habetur, vt ſatis indicat Lucas, qui non
Luc. 6. 30. *petenti* ſimpliciter, ſed *omni petenti* ſcripſit. Siue igitur egeat, siue
non egeat is, qui petit, quicumque tandem fuerit, dandum eſt,
potiùs ſcilicet, quàm in ſuperiora illa diſcrimina incurrendum.
Nec verò aliter, ac nos dicamus, Chriſti verba accipienda eſſe,
& indigentiæ, atq; egeſtatis illius, qui petit, eum rationem habe
iſſe (quamuis ita tibi videatur) docent vllo modo verba illa pro
Luc. 6. 31. eumdem Lucam, *Et prout uultis, ut faciant uobis homines, & uos facite*
lis ſimiliter. Non enim, quia hæc verba illico conſequuntur, ideir
co, veluti colophonem, ea addidit Lucas, vt tu arbitraris. Sed he
paratum præceptum continent cum præcedentibus tamen con
ſentiens. cuius præcepti dandi, ſeu commemorandi, quæ Chri
ſto cauſſa, ſiue occaſio fuerit, ex Matthæo cognoſcendum eſt, qu
illius mentionem facit cap. 7. ℣. 12. non autem ex Luca. Quamq
quidem Matthæus, vt palàm eſt, ſermonem illum Chriſti (quem
pe qui præſens, cum eum habuit, fuiſſet) miro ordine euarra
ac diligenter exponit. Quod non facit Lucas, qui confuſe quo
dammodo, & imperfectè Chriſti verba recitat, etiamſi aliqua
commemorat, quæ Matthæus, tamquam non neceſſaria, prætermiſerat. quales ſunt antitheſes illæ beatitatum. Quamobrem
certum eſt, Matthæi narrationi in eliciendis ſenſis verborū Chri
ſti ex antecedentibus, & conſequentibus, ſtandum eſſe potius,
quàm Lucæ, qui ſatis habuit pleraq; eorum, quæ Chriſtus dixit,
recenſere, & præcepta atq; ſententias ipſas exponere, de quarum
ordine, quo a Chriſto dictæ fuerant, non admodum interea ſol
citus. Præterea, vt verum ſit, verba illa, *Et prout uultis*, &c. ad
a Luca, tamquam colophonem, præcedentibus additum, conſtet
tamen ſententia, quam nos præcedentibus ſubeſſe affirmamus, ac

nec necesse est, vllius indigentiæ, aut egestatis rationem habitam fuisse. Siquidem Christus, vt occasiones iniuriarum vitentur, nihil aptius monere potuit, quàm, vt aliis faciamus id, quod nobis fieri velimus. Quod præceptum ibi etiam, vbi nulla egestas abest, vtrauis parte est, modò desiderium, & voluntas adsit, locum inuenire potest. Atq; hæc volumus satis esse pro responsione ad ea etiam, quæ hac eadem de re a te dicuntur pag. 237, & 238.

SVPRA ostensum est a nobis, ni fallor, te, dum priuatis iniurias suas per magistratum vlcisci concedis, seu potiùs quibusdam in locis præcipis, contrarium institutum Christi institutis in Ecclesiam inducere, & meritò eo nomine a Racouiensibus reprehensum fuisse, nec aliquid, vt iis respõderes, quę ipsi ex Matthæi quincto capite deprompserant, in medium attulisse, quod te a Christi hac in parte violatis præceptis vindicare queat. Sequitur ex ordine nobis proposito, vt, quid ad ea respondeas, videamus, quæ iidem aduersarii tui ex eodem loco protulerunt, vt te in bello christiano populo concedendo, vel potiùs præcipiendo, contrarium pariter institutum christi institutis in Ecclesiam inducere demonstrarent.

CAPVT VI.

Quamquam autem, quæ supra examinata sunt, præcepta Christi non vindictam modò per magistratum expetendam, sed belli quoq; nobis interdicere videantur, sunt tamen, quæ sequuntur in eo sermone, ad belli funestam facem in Ecclesia planè extinguendam magis propria, magisq; accommodata. Nam inquit Christus, *Audistis, quia dictum est, Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico uobis, Diligite inimicos uestros, benedicite deuouentibus uos, benefacite iis, qui oderunt uos, & orate pro persequentibus, & calumniantibus uos*, &c. Equidem nescio, an, si bellum Christus disertis verbis interdixisset, haud efficaciùs, quàm his præceptis fecit, tantam pestem a suorum animis auertere curasset. Immo persuasus sum, multò plus, his præceptis dandis, eum significasse, quàm si, ne bellum vlla vmquam ratione a suis gereretur, mandasset. Neq; enim, cum hæc præcepit, ne malum modò pro malo penderetur, aut vis vi repelleretur, cauit, quod & antea fecerat, & tamtumdem valet, ac si bellum quis disertè interdiceret, verùm etiam, vt & amore, & beneficiis quosuis inimicos suos

discipuli sui prosequerentur, atq; afficerent, expresse mandau
Primùm enim generatim inimicos diligendos esse docet. S.
ctum suum Legis dicto opponit, quæ non inimicum, sed pro
mum diligere iubet. Deinde inimicorum species enumerat, &
quid cum omnibus faciendum sit, singulatim præscribit. Sunt
nim inimici, qui imprecationibus tantùm nos impetant, quibus
bene precandum esse statuit. Sunt, qui interiore odio nos pro
quantur, nosq; animo penitus auersentur. his bene fieri a nob
vult. Sunt deniq;, qui ipsis factis nos lædant, & planè insect
tur. Istis omnium pessimis ac nocentissimis summum omnium
beneficiornm nos præstare iubet. quod est Deum pro illis ora
cuius in manu sunt omnia, quiq; nõ solùm innumerabilibus
modis eos afficere potest, quæ nullo pacto in nostra sunt pote
te, sed ipsum etiam eorum cor mutare valet, & ex malis bonos
efficere. His præceptis addit Christus præmium simul, & ratio
nem, cur ita præcipiat. Inquit enim, *Vt sitis filij patris uestri*
cælis est, qui solem suum oriri facit super malos, & bonos, & pluit super iustos
& iniustos. Si enim diligitis eos, qui uos diligunt, quam mercedem habebitis? nonne
& publicani hoc faciunt? Et, si salutaueritis fratres uestros tantùm, quid amplius facitis? nonne & publicani hoc faciunt? Estote ergo uos perfecti, sicut
pater uester, qui est in cælis, perfectus est. Præmium hæc sua præcepta
seruantibus non obscurè Christus proponit, Filios Dei fieri ue
uera, id est æterna vita, atq; immortalitate donari, quemadmo
dum imitatione fuissent, quod pro ratione affert, cur hæc præce
pta a suis seruari debeant, addens alioqui futurum, vt ipsi a cæte
ris hominibus, & ab ipsis in populo peccatoribus, quales publi
cani erant, non distent, & propterea nullam ampliorem, quam
illi, mercedem reportaturi sint. Non futurum igitur, cur ad cer
lestem illam hæreditatem, ad mercedem illam, quam multam &
copiosam repositã esse in cælis ab initio dixerat, aspirare possint.
Quandoquidem noua hæc erat merces a Deo proposita, cuius
in lege Mosis nulla fit aperta mentio. Quare noua etiam vita sa
ctitate, atq; innocentia præter eam, quam Mosis lex præscribit,
ad eam cõsequendam opus erat. Hæc, quę nos breuiter perstrin
ximus latè explicantur a uesano illo, vt tu eum appellas, scripto
re (quo tamen, hac potissimùm in parte, nihil mihi cordatius non

posse videtur) a pag. 66. vsq; ad pag. 70. vbi aduersus te, aq; alios Christi hęc clarissima & diuinissima prçcepta humanis commentis obscurare tentantes, & reuera hominibus potiùs, quàm Deo obediendum esse statuentes, sic tandem meritò exclamat, O *hominum cæcitatem, quæ cum sua quærit, ea quæ sunt Christi, & sua in eo bona non uidet, cum pro carne & terræ pugillo certat. Christi spiritum expellit, & cæsto credere, seq; Christianum & filium Dei esse, cum nihil horum ne per umbram centuplo maius terra non uidet, & tamen se omnia uidere putat, & Christum quidem habeat.* Nihil potuit verius dici, vt infra dicendis clariùs patebit. Quamquam non O *hominum cæcitatem, quæ cum*, &c, vt in tuo libro editum est, sed O *hominis cæcitatem, qui cum*, &c. omnino legendum esse, & ita scriptum ab auctore fuisse, latini sermonis ratio, & res ipsa apertè docet. Nunc videndum est, quid tu contrà scripseris.

Quantum igitur, responsionem tuam accuratè perlegendo, assequi potui, duobus modis hæc Christi præcepta eludere tentas. Primùm asserendo, nihil hîc Christum præcepisse, quod Moses itidem antea non præcepisset, sed tantummodo Mosaicæ legis in hac, vt in reliquis partibus, veram interpretationem a commentis Scribarum, & Pharisęorum vindicasse. Deinde ipsorum præceptorum vim explicando, eaq; ita accipiendo, vt, quibusdam simul belli interpretationibus adhibitis, sententiæ tuæ nihil repugnare videantur.

Quamuis autem aduersarii tui, etiamsi illud primum tibi concederetur, putent nihilominus, ex his Christi præceptis contra sententiam tuam disputari posse, siue enim Christus hîc cum Pharisaicis laruis pugnet, siue sua dicta Mosis dictis opponat, firma, & rata ea esse debere aiunt, quæ ipse tam clarè præcipit, tamen animaduertendum est, haud temerè tibi istud concedendum esse. Nam, vt supra vidimus, tu, eo concesso, ita argumentaris, aut certè argumentari potes. Si Christus hîc nihil præcepit, quod Moses antea non præcepisset, sub Mose verò licuit Dei populo bellare cum hostibus, eosq; delere, idem quoque licebit sub Christo, quidquid hæc eius præcepta aliter præ se ferre videantur. Duplici autem ratione veteris ad propositionem huius argumentationis probandam. Nam & quibusdam argumentis, ac testimoniis

niis allatis, demonstrare quæris, nulla ex parte Mosis legem quæ ad virtutes, & vitia pertinet, a Christo vmquam suppletam, aut immutatam fuisse, & hæc eadem quæ hoc loco Christus præcepit, in Mosis lege contineri, quæq; a Christo pro suarum præceptionum cõfirmatione dicuntur, in Mosaica lege locum habere ostendere conaris. De priore via non est hîc agendi locus. Integer enim de tota re plenius differendum erit, cum rectè ab aduersariis tuis tibi obiectum fuisse docebimus, quòd Mosem cum Christo, & Legem cum Euangelio misceas, atq; confundas. Nunc de altera via agemus, & quæ Christus hic præcipit, a Mose præcepta non fuisse, nec rationes suorum præceptorum a Christo allatas eamdem vim in Mosis lege obtinere, ad ea, quę tu cõtra obijcis, respondendo, planum faciemus. Quo facto, horum præceptorum explicationes, & belli simul interpretationes tuas, quæ ex duobus modis erat, quibus ipsa eludere tentas, refellere aggrediemur.

Primum igitur, vt ostendas, Mosem non minùs, quàm Christum, præcepisse inimicorum dilectionem, in explanatione illa tua ad finem pag. 162. ita scribis, *Proximus autẽ est, quisq; amicus, hostis, consanguineus, Iudæus, Samaritanus, & alius quiuis conditus à Deo (ut nos) ad imaginem suam, qui nostro subsidio indigere cognoscitur*, &c. Itaq;, cum in lege Mosis scriptum sit, *Diliges proximum tuum*, infers deinde, a Mose ipso eo omnia, quę de inimicorum dilectione subiungit Christus, cõprecepto mandata fuisse.

Sed quis tibi credet vmquam, in lege Mosis Proximi nomine quemuis hominem ad imaginem Dei conditum, quantumuis hostem inimicum, significari? Nam ipsum Proximi siue רֵעַ nomen satis docet, propinquitatem aliquam, vel societatem, atq; amicitiam inter eos esse debere, quorum alter alterius sit proximus, eamq; eiusmodi, vt non inter quoslibet homines sit. Ad distinctionem enim aliquorum hominum, qui non essent proximi, id est, inter quos ea coniunctio non reperiretur, nomen Proximi ab initio vsurpatum fuisse, planè necesse est. Cum igitur in populo Israelitico vniuerso alterius cum altero summa esset necessitudo, quippe qui omnes eiusdem Dei cultores, eorumdemq; sacrorum participes essent, omnesq; selecti ab ipso Deo in peculiarem sibi populum

lum, & a cæteris cunctis nationibus circumcisione, & aliis plerisq; ritibus distincti, ac separati fuissent, qui deniq; vna tantùm respublica iisdem omnino institutis, & legibus viuens essent, ipsi inter se proximi in lege Mosis omnes appellati sunt, licèt alioqui priuatæ inimicitiæ inter ipsos intercederent. quæ appellatio retur, & vnus populus esse censebãtur, ipsorum Israelitarum respectu, tribui non poterat. Nam reliqui homines, vt Paulus testatur, ab Israelis republica adeò erant alieni, vt medii parietis septum quoddam inter vtrosq; esset, & alteri alteris inimici esse dici possent. quæ diuisio, atq; inimicitia per Christum sublata fuit, atq; ex duobus vnus tantùm populus factus. Quare Proximi nomen, quod antea ad distinctionem vtriusq; populi in Israele vsurpabatur, commune omnibus postea factum est. Itaq; nunc Proximi nostri nomine, abusu tamen quodam (namq;, vt supra attigimus, nomen ipsum distinctionem quamdam omnino indicat) quemlibet hominem intelligimus, etiamsi alioquin a nobis alienissimus sit. ad significandam nimirum necessitudinem, ac coniunctionem, quam post Christum exhibitum inter homines Deus esse vult. quę tanta est, vt Fratrum quoq; nomine omnes appellari possint, non secus atq; Israelitæ omnes, etiam ante Christum, fratres appellantur. quo tamen nomine nusquam Israelitarum respectu eos, qui ex eo populo non essent, tunc temporis appellatos fuisse inuenies. Quamobrem, cum in lege Mosis dicitur, *Diliges proximum tuum, sicut teipsum*, quamuis hoc idem præceptum a Christo datum, secu confirmatũ Proximi nomine omnes prorsus homines cõplectatur, tamen ibi ad solos Israelitas ea appellatio pertinet. Quod vel ex ipsius Legis verbis valde perspicuum est. Sic enim illic scriptum extat. *Ne ulciscaris, neue sis iniuriarum memor erga filios populi tui, & diliges proximum tuum, sicut teipsum.* Nemo enim non videt, Proximum hic appellari eum, qui ex eodem populo sit, a quo acceptas iniurias ad vlciscendum non meminisse, sed eum, tãquam seipsum amare, quilibet Israelita iubetur. Quocirca meritò a Tigurinis cõiunctiua particula ante verbum Diliges per aduersatiuam Sed reddita est. Eam enim particulam apud hebræos frequenter ad modum eam vim habere, nemo est, qui nesciat. Verùm quid ipsis

Ephes. 2. 14.

Christi

Christi verbis apertius, quibus, siue Legis verba, siue Scribarum & Pharisæorum interpretamenta recitet, planum fit, Proximum Inimico opponi? Neq; enim vel tacitè, vel apertè ait Christus Proximi nomine in ipsa Lege inimicũ quoq; contineri. Quinimo non obscurè fatetur, alium quidem esse proximum, quem Lex intelligebat, ab inimico. non tamen, si se audire vellent, illum negendũ, hunc verò odio habendum, sed inimicum quoq; amandum esse. Quare iam vides, tuã vocis Proximi interpretationem, vt scilicet id nomen ad quemuis hominem pertineat, ad Mosis legem attinet, sustineri non posse.

Sed inquies, Quomodo negare potes, Proximi appellatione in Mosis lege inimicum etiam cõtineri, aut quomodo affirmare Christũ ipsum inter proximũ, & inimicum ex Legis mente distinxisse, tu, qui paullo ante fassus es, Proximũ Israelitis dictum fuisse, quicumq; ex eodem populo esset, quantumuis inimicus fuisset. Animaduertendum est, vt antea indicauimus, duplicem inesse vocis Inimici, cuiusuis Israelitę respectu, significationem. Aliquando enim eum significat, qui verè inimicus erat, & pro inimico haberi poterat, id est aduersus quem minùs amicum animum gerere licebat, & cum eo, tamquam cum inimico, petuò agere. quales inimici sæpissimè in ipsa Lege nominantur, qui scilicet ab Israelis republica alieni, eiq; infensi erant. Aliquando verò eum significat, qui, licèt Israelita esset, cum eo tamen quatæ simultates exercebantur. Hunc quidem dico præcepto Legis proximum diligendi sub Proximi nomine comprehendi fuisse. Illum verò minimè. Nam, vt supra ostendimus, in præcepto pro eodem accipitur Proximus tuus, & Filius populi tui. Atq; de eo inimico, qui Proximi appellatione non contenditur, potissimùm Christum locutum fuisse, præterquam quòd alterum alteri opponi, ipse, vt diximus, verbis suis satis pertè confirmat, illud præterea demonstrat, quod infra ait, *Si salutaueritis fratres uestros tantùm, quid amplius facitis?* Ex quo apparet eum Inimici nomine illum intellexisse, qui fratri opponitur. At qui Fratris nomen, vt antea monuimus, omnibus Israelitis commune erat.

Ex his autem patet responsio tum ad hunc, tum ad alios in Lege locos,

locos, in quibus deinde, etiam citra proximi mentionem, idem præcipi putas, quod hic a Christo præcipitur. Ais enim alibi, id est ad finem pag. 234. de Mose loquens, *Non oderis, inquiens, fratrem tuum in corde tuo, non quæres ultionem, nec memor eris iniuriæ ciuium tuorum, quod est: diligite inimicos uestros, & alibi alia.* Neq; enim animaduertis, hic Mosem de Israelitis inter se tantùm loqui. & tamen eius verba apertissima sunt, cum & fratres, & ciues nominet. quinetiam tu ipse ante scripseras, Mosem de ciuium iniuriis condonandis non pauca mandasse, atq; ad id probãdum modò recitata verba illico subiiceras. Quomodo igitur hoc Mosis præceptum idem est cum Christi illo, *Diligite inimicos uestros*, quod non tantùm ciues inimicos, siue a quibus iniuriam acceperimus, sed quosuis peregrinos, atq; extraneos, licèt nobis infensissimos, complectitur? Nam quòd ais, alibi alia eiusmodi a Mose mandata fuisse, credo, te eos locos intelligere, quorum supra mentionem fecimus, in quibus iubet Moses, vt, si quis asinum, aut bouem inimici sui errantem inuenerit, illi reducendum curet, &, si asinum viderit illius, qui se odio prosequitur, sub onere succumbentem, eum ne deserat, sed illi auxilietur. Verùm quis non videt, in his præceptis de inimicis, siue odio habentibus ex ipso populo tantùm agi? Et sanè ante Christum, quidquid de charitate, aut dilectione, quidquid de iniuriarum obliuione in sacris litteris iussum, aut præceptum fuit, populi ipsius, cui id mandabatur, limites non excedebat, nec ad extraneos inimicos vllo modo pertinebat. Nec verò aliter est accipienda monitio illa Solomonis, *Si esuriat, qui te odit, ciba illum pane, si sitierit, potá eum aqua.* Quin ex ipsis monitionis verbis apparet, de eo nos odio habente loqui Solomonem, qui eiusdem nobiscum regionis, & loci sit, cuius scilicet & cibi, & potionis indigentiam ipsi animaduertere, & statim leuare possimus. Quamquam ista Solomonis monitio non est pro præcepto Dei habenda, quam si quis contempsisset, pœnas daturus esset. Sed, vt reliquę ferè in eo libro sententiæ, ac monitiones, ad hominem perfectiorem reddendum pertinet simul, & cautiorem, atq; ad sui ipsius commodum prudentiorem. quemadmodum etiam docere possunt sequentia verba, *Sic enim prunas tu incendis super caput eius, & Iehoua reddet tibi.* Ac si dixisset. Quamuis hæc in Lege non man-

Palæologus hal lucinatur, & se ipsum refutat.

Exo. 23. 4.

Prouer. 25. 20.

dentur, si tamen ea feceris, præterquam quòd egregium quid
cisse dici poteris, & perfecto homine dignum, de inimico cu
tuo maximè expetendam vltionem sumes, & ab ipso Deo ma
beneficentiæ, atq; clementiæ præmium reportabis.

Cæterùm, antequam vlteriùs progrediamur, illud obiter
prædictis Mosaicæ legis mandatis obseruandum est, non præ
pi in ipsis. ne quis omnino priuato arbitrio vim vi repellat, vt q
sa natura docet, atq; concedit. quod tamen fieri, vt antea vidim
Christus planè vetat. Sed præcipitur tantummodo, ne iniur
antea acceptæ, cum iam non ampliùs præ iracundia propter p
sentem iniuriam animus æstuat, ac feruet sanguis, ob oculos
us, qui eas accepit, obuersentur, & in memoriam redeant ad
eas vlcisci & velit, & curet. Hoc enim ad commune bonum p
tius reipublicæ pertinebat. In qua ægrè, aut potiùs nullo modo
pax, atq; concordia conseruata fuisset, nisi iniuriarum obliuio
ea locum habuisset, præmeditata verò vltio inde exterminata
set. Pace autem, & concordia ex aliqua republica sublata, omn
pessum eunt, & tota respublica tãdem planè cõcidit, atq; delet
Verùm, sicut acceptarum iniuriarum obliuio ab iis, qui in eadem
sunt republica, ipsi reipublicę est vtilissima, ita eas iniurias obliui
sci, nec vindicare, quas ab extraneis quis siue publicè, siue priua
tim acceperit, reipublicę pernicioſissima censenda est. Fit enim
ea ratione, vt ipsa respublica ab exteris contemnatur, & quilibet
facilè eius imperium inuadendi, atq; occupandi & consilium ca
piat, & spem habeat. quę spes plerumq; minimè fallax est. Igna
enim, non vindicandis exterorum in se iniuriis, ciues reddunt
& ad hostium impetum sustinendum, ac propulsandum ineg
tantum abest, vt ipsi suos fines producendi spem aliquam habe
possint. Quapropter, cum Deus per Mosem Israelis reipub
cam constitueret, cuius summa felicitas in terreni imperii co
seruatione, ac propagatione futura erat, nõ modò vt iniuriarum
quas ab exteris hominibus accepissent, obliuiscerentur, non re
sit, sed inter cætera seruatæ legis præmia illud etiam propone
Leuit. 26. 7. Vt, si inimici aduersus ipsos insurrexissent, cæsi corruerent ante
Deut. 28. 7. ipsos. quod certè iniurias inimicorum vindicari iure potuis
aperte docet.

Nu

Non est igitur, vt ad rem redeamus, in lege Mosis inimicorum hominum, id est hostium dilectio mandata, immo, cum, vt ciues inter se ament, atq; iniuriarum mutuò obliuiscantur, in ea præcipiatur, & ex altera parte propter ipsam seruatam Legem inimicorũ proprio gladio facta cædes promittatur, satis cõstat, & idcirco rectè a Christo, non tãquam Scribarum, & Pharisæorum interpretamentum, siue additamentum, sed tamquam ex ipsa Lege manans, antiquis dictum fuisse, affirmari potuit, *Odio habebis inimicum tuum.* quod ipse in republica a se constituenda minimè retineri voluit, quippe quod ei nocentissimum futurum esset, atq; eam funditus deleturum. Nulla enim est Christi respublica, vbi odium aliquod locum habet erga quosuis homines, quauis de caussa. Ea siquidem vniuersa in amore, & charitate erga omnes homines potissimùm fundata est. Habet quidem & ipsa suos hostes, cum quibus continenter bella gerit, sed hi non sunt homines. *Non est enim* (inquit Paulus) *nobis colluctatio aduersus sanguinem, & carnem, sed aduersus principatus, aduersus potestates, aduersus mundi rectores tenebrarũ huius sæculi, aduersus spiritualia nequitiæ in cælestibus.* Hi sunt hostes nostri, cũ quibus alia ratione, aliisq; armis, quàm cum hominibus fieri soleat, nobis pugnãdum est. Idcirco statim subiungit apostolus, *Propterea accipite uniuersam armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo, & omnibus peractis stare. State ergo succincti lumbos uestros in ueritate, & induti loricam iustitiæ, & calceati pedes in præparatione Euangelij pacis. In omnibus sumẽtes scutum fidei, in quo poteritis omnia tela mali ignea extinguere. Et galeam salutis assumite, & gladium spiritus, quod est uerbum Dei.* Perspicuum igitur ex Paulo est, christianæ reipublicæ hostes non homines, sed dæmonas, seu malos spiritus esse, nec illi cum hominibus, sed cum dæmonibus belligerandum esse, non armis carnalibus, sed spiritualibus. Quod contrà in Israelitica & Mosaica republica fuit, in qua cum hominibus, tamquam cum veris hostib⁹, carnalibus armis bellandum erat, aut certè bellari iurè poterat, vt ex historia sacra, in qua admodũ frequentia eiusce rei exempla sunt, apertè constat. Quę autem huius differentię caussa sit, partim ex iis, quæ paullo ante diximus, satis intelligi potest, partim ex iis, quæ infra dicenda sunt, pleniùs intelligetur. Ephes. 6, 12.

Nec verò est, quòd dicas (id enim pag. 249. scribere videris) non minùs in hac, quàm in illa republica, priuata auctoritate bellum cum hominibus gerere interdictum fuisse, sed Dei mandato in vtraque id licere, & licuisse. Nam Pauli verba, iam quid Deus hac in re perpetuò fieri a Christianis velit, ostendunt, & omnino cum hominibus bella gerenda non esse declarant, cum dicerent cant, nobis cum sanguine, & carne pugnam non esse. Præterea cum ais, sub Lege, Dei mandato, bella gesta fuisse, videndum est quid Dei mandati nomine intelligas. Nam si, quandocumque Lege legitimè belligeratum est, expressè id, & nominatim a Deo mandatum fuisse vis, primùm, ex sacra historia id falsum esse ostendam, parebit. deinde sequetur, sub Euangelio quoque non aliter licere bellari posse, quàm si Deus id expressè, ac nominatim mandaverit.

Quòd si sub Lege satis a Deo mandatum fuisse dicas, vt bella gererentur, cum principes populi, & reges cõstituebãt, quorum iussu, atque auctoritate bella aduersus hostes susciperentur. Et propterea sub Euangelio quoq; satis a Deo mandari, vt belligeretur, cum id iubet magistratus, qui a Deo, vt Paulus testatur, constitutus, & ordinatus est. Respondeo, si hac ratione explicandum est, quid sit Dei mandato bella gerere, numquam fortasse (ex tua quidem ipsius sententia) futurum, quin mandato Dei bella cum hostibus gerantur. Nam, cum bella non a singulis, & priuatim, sed a populo vniuerso, & publicè contra hostes suscipiãtur, nec alia (vt quidem iis, qui tecum sentiunt, placere videtur) magistratus, quàm vniuersi populi auctoritas sit (Populus enim, aiunt, magistratui suam auctoritatem concedit) certè, si id, quod magistratus auctoritate fit, Dei mandato fieri dicamus, semper Deo mandante bella suscipientur, nisi, siquando populus diuideretur, & pars vna, cumq; ea magistratus bellum suscipere nollet, altera verò vellet, &, quod vellet, faceret. Quamquam, si ea pars, quę bellũ vult, id inuitâ alterâ, magistratu etiam ipso reclamante, gerere potest, apparet multò maiorem & potentiorem esse. Verùm, quicquid maior & potentior pars populi statuit, id ab vniuerso populo statutum fuisse, censendum est. Quòd si dicas, eam partem populi potiorem iudicandam esse, cum qua magistratus eo,

est, dico, vel necesse esse, vt magistratus solus toti populo opponi possit, & illi merito præualeat (vt nos quidem, præsertim verò in monarchia, censemus) vel nihili æstimandum, quòd cum magistratu minor atq; imbecillior populi pars coniuncta sit. Siquidem ea per se nullo numero habetur, & populi maior ac potentior pars pro vniuerso populo est. Atqui neminem ex vobis esse arbitror, qui, si hostes iniustè in nos impetum faciãt, agros nostros populentur, ac vastent, ad murum etiam vrbis propiùs accedant, eamq; inuadere, & capere tentent, etiamsi magistratus, vt arma capiantur, non iubeat, immo capi vetet, non censeat, a populo vniuerso arma capi iurè posse, & contra hostes bellum geri. Itaq; ex vestra (opinor) ipsorum sententia apparet, magistratum solum toti populo non præualere. Quare nec etiam maiori & potentiori parti præualebit, quæ, vt diximus, pro toto populo est. Quinimmo, vt populus vniuersus, sic maior & potentior pars magistratui præualebit, & auctoritatem magistratui concessam repetet, ac sibi vindicabit. Quid igitur in bello cum hostibus gerendo inter id, quod priuata auctoritate, & id, quod Dei mandato geritur, distinguere oportet, si nullum geri priuata auctoritate potest? vt certè nullum potest, si id, quod ea ipsa auctoritate, quam magistratus habet, geritur, nequaquam priuata auctoritate gestum esse dicetur. omnia enim ea ipsa auctoritate, quam magistratus habet, ex ipsa sententia vestra, geri ostensum est.

Nec verò dixeris, te eam distinctionem in bello, quo lacessimus, non autem, quo repellimus hostem, adhibuisse, me autem, cum ex sententia vestra populum vniuersum soli magistratui prævalere ostendi, exemplo vsum esse hostes bello, atq; armis repellendi. Primùm enim in ipsis verbis tuis prædicta pag. 249. de inimicis vlciscendis aperta fit mentio. quod sanè id bellum completur, quod eos repellendi caussa suscipitur. Deinde non video, cur minùs in bello inferendo, quàm in defendendo, populus magistratui præualere debeat, si modò belli inferendi (humano more loquor) iusta sit caussa. Nam, si nulla fuerit iusta caussa, ne magistratui quidem ipsi, vt bellum inferat, vos concessuros eximauerim. Vnde perspicuum est, in eo te non leuiter errare, qui, nulla distinctione adhibita, idemtidem repetis, magistratũ Deum

Palæologi error.

esse in terra, &, quidquid ille fieri iusserit, Dei mãdato fieri. Quod verò aut magistratus numquam iniustum bellum suscipi iubeat, aut DEVS iniusta bella vmquam geri mandet. Nam, si dixeris, magistratui quidem, si iustam causam non habeat, bellum, quod susceperit, iniustum esse, at populo iustum fore, modò a magistratu mandatum fuerit, vix crediderim, quemquam esse, qui istud tibi concedat, & populo manifestæ magistratus iniustitiæ mandatum iurè esse posse confiteatur. Si enim istud in bello suscipiendo admissum fuerit, nulla causa est, cur in omnibus similiter admitti non debeat. nec vlla erit tanta iniquitas, quam populus magistratu mandante, impune apud ipsum Deum patrare non queat, immo verò non debeat, si quidquid magistratus iubet, pro Dei iussu populo esse debet, nulla iustitiæ, aut iniustitiæ eius, quod iubetur, ratione habita. Ita nulla distinctio, quod ad primum attinet, inter Deum, & magistratum in mandando erit, nec cum de magistratu quæritur, vllum locum habitura est regula illa, &

Act. 4. 19. *bedire oportet Deo magis, quàm hominibus*, quam tamen aduersus ipsum

5. 29. magistratum apostolos vsurpasse, & secutos fuisse palàm est.

Vt igitur ad propositũ reuertamur, Dico, si iusta fuerit causa bello lacessendi, idq; magistratus facere negligat, aut etiã omnino nolit, posse populum, resumpta quodammodo auctoritate sua, bellum illud gerere, si modò eidem populo licet ex iusta causa hostem bello repellere, etiãsi id facere magistratus aut negligat, aut planè nolit. Quãobrem exemplum, quod a me allatum fuit, ad rem omnino pertineret, vt tu non nisi de lacessendo hostem bello locutus fuisses. Nam, si quis aut te, aut certè plerosq; eorum, qui tecum sentiunt, intelligere velit populo permittere, vt iniustum bello hostem lacessentem, etiam magistratu ipso contradicente, repellat, consideret, vestris belli gerendi christiano populo concessionibus factum esse, vt contra ipsum magistratum Christianus mine gaudens populus arma capere non dubitauerit, vobis non modò assentientibus, & approbãtibus, verùm etiam suadentibus atq; impellentibus, & libris præterea editis, id & posse, & debere fieri, publicè contestantibus, ac contendentibus. Testis est hoc corum, quæ dico, orbis ipse terrarum, qui hæc fieri aut vidit, aut certissi. nã famâ accepit, sed testes potissimùm sunt duæ

næ prouinciæ, Gallia, & Germania inferior, quæ ciuili sangui-
ne iam diu madent, atq; redundant, eò quòd persuasum sit, ex cer
tis quibusdam caussis populo, seu populi parti aduersus domi-
num & principem suum bellum gerere licere. Itaq; hac ætate nó
stra ab iis, qui christianos se esse præ cæteris iactant, per speciem
christianæ religionis asserendæ, id fieri vidimus, quòd barbari
atq; efferati homines facere exhorrescunt, vt scilicet contra pro-
prios reges arma ferant. Et tamen (si Deo placet) eos, qui ob
prædictam caussam siue in ipsa acie, siue alibi ceciderunt, & ob-
truncati sunt, in martyrum Christi numerũ referri, publicè audi-
uimus. O sæculum. Hi nimirum sunt, vt dixi, vestrarum belli ge-
rendi concessionum fructus. Egregii vos scilicet magistratuum
defensores estis, qui populos contra magistratum, id est reges su-
os armatis, dum, magistratu iubente, bella iustè geri posse doce-
tis. Rege enim tyranno facto (quod quid sit, quilibet suo modò
interpretatur) non regem ampliùs, sed populum ipsum, siue ali-
quos ex regni proceribus magistratum esse, vulgus hominum, vo
bis ipsis indicantibus, vel certè annuentibus, contendit. quibus
auctoribus, ex vestra disciplina, tyrannum illum, vt ipsi putant,
eiusq; vim armis repellere, cumque eo apertè bellum gerere non
dubitant. Vnde quot ingentia mala necessariò proficiscãtur, plus
satis iam experientia nouimus, quę miserè deplorari magis, quàm
aptè verbis explicari possunt. Quòd si eos, quos tanto opere re-
prehenditis, &, tamquam magistratuum euersores, palàm tradu
citis, imitati fuissetis, nec magistratus auctoritas vlla ex parte vi-
olata fuisset, & nos tanta damna lucrati essemus, & pro innume-
ris sicariis, raptoribus, stupratoribus, sacrilegis, parricidis ali-
quot saltem veros Christi martyres haberemus. Sed ad rem.

Si igitur breuiter concludo, aut falsam atq; ineptam, aut cer
tè tibi inutilem esse assertionem illam, quæ ex tuis verbis colligi-
tur, non minùs sub Lege, quàm sub Euangelio, non priuata au-
ctoritate, sed Dei mãdato, bella gerere licuisse. Nam, si Dei man
datum magistratus iussum, atque auctoritatem in bello gerendo
esse vis, Primùm nihil a veritate magis alienum dici potuit, cum
hîc non de re aliqua indifferente agatur (etenim res indifferentes,
iubente magistratu, tamquam si ipse Deus iussisset, fieri debent)

sed

sed de re, quæ per se mala est, & Christi præceptis contraria. De
inde vel falsò, vel ineptè in gerendis aduersùs hostem bellis iuri Do
mandato priuata auctoritas opponitur, cum certum sit, aut con
tingere non posse, vt priuata auctoritate, quæ diuino iuri mandā
to opponatur, cum hostibus belligeretur, aut, si id, quod pos
lus, non iubente magistratu, facit, priuata auctoritate fieri ius
dum est, nihil esse, cur ex ipsa sententia vestra eiusmodi priua
auctoritate cum hostibus bella geri, si modò alioqui magistratus
auctoritate id fieri potest, summo iure non possit. Sin autem Do
mandati nomine singularem & apertam aliquam Dei mentem
nem intelligis, nihil hoc ad quæstionem nostram. Nemo enim
qui non minùs sub Euangelio, quàm sub Lege, quidquid Deus
fiat, singulariter, & expressè monuerit, faciendum omnino
neget. Sed certè, si christianus populus tunc demum bella gerere
debet, cum a Deo singulariter ea de re monetur, sperare licet,
nullum vmquam bellum a populo christiano gestum iri.

His, quæ iam antea disseruera, vt tota res melius aperiatur,
illud addo, sub Lege non idcirco cum hostibus bellare licuisse,
quia sic magistratus iuberet, quasi alioquin id neutiquam licuerit,
quippe quòd Deus in lege sua homicidia fieri vetuisset, quæ mo
ta comitti in bello necesse est. Neque enim potest magistratus
fieri iubere, quod Deus vetuerit. Quemadmodum nullam (cau
pli caussa) habet auctoritatem magistratus iubendi, vt adulteria
fiant, cum ea expressè in Dei lege interdicta fuerint. Sed ideo
Lege bellare licebat, & bellando hostes interficere, quia præce
ptum illud non occidendi ad hostes non porrigi, multis in
Deus ipse declarauerat, qui inter cætera hostium occisionem
supra monuimus, seruatæ Legis præmium populo suo statuerat.
idq; res ipsa secum omnino ferebat. vt, postquam eis Deus terr
nam hæreditatem, ac possessionem assignauerat, quam etiam
lando adepti fuissent, terrenis quoq; armis eam defenderent.
cuius rei confirmationem vide, quid Iephthes Ammonitarum
gi hac de re dicendum mandauerit Iudic. cap. 11 ℣ 23, & 24. Qu
cũ non de assignata sibi possessione defendenda, sed de aliena
uadenda agebatur, tunc iustissimã aliquam caussam, vt pura
uis iniuriæ vlciscendæ, & bello hostem lacessentem repr
ac domandi,

ac domandi, subesse oportebat, vt ex verbis eiusdem Iephtæ eodem loco satis intelligi potest, dum rationem reddit, cur Israelitę Amorrhæorum terram occupassent, ab inuadendis autem Edomitarum, & Moabitarum regionibus abstinuissent. Quinetiam ipsum Dauidem Dei vnctum, ac regem, supremumq; magistratum, non modò Saule adhuc viuente, sed etiam post mortem eius, plenum scilicet iam regni, atq; imperii ius habentem, cum de tuis finibus, & vrbibus, quas hostis oppugnabat, deq; hostibus insolescentibus, belloque prouocantibus reprimendis ageretur, quid tamen sibi faciendum esset, Deum cõsuluisse legimus, quamuis tu, id vmquam factum fuisse, negare non verearis priore scripto tuo pag. 4. Non igitur ex magistratus auctoritate, sed ex Dei concessu, ac voluntate ius belligerãdi sub Lege pendebat. Quem Dei concessum, ac voluntatem sub Euangelio planè cessasse tum Christi verba, de quibus controuersamur, apertè docent, tum res ipsa satis per se monet. Cum enim hominibus, qui sub Euangelio futuri sunt, hoc est christianis nullam terrenã possessionem Deus assignauerit, sed eos, terrâ prorsus posthabitâ, cælum inquirere iusserit, quid caussæ est, cur contra suum ipsius expressum & antiquissimum humani sanguinis non fundendi mandatum christianis hominibus bella gerere, & homines occidere permittat? Satis (arbitror) probatum est, quæ Christus de inimicorum dilectione præcipit, a Mose præcepta non fuisse, ad eaq; testimonia responsum, quæ tu contra attuleras. Consequens est, vt rationes consideremus, quibus Christus sua hac de re præcepta confirmauit, num, vt tibi videtur, eæ non minùs sub Lege, quàm sub Euangelio locum habeant.

1. Samu. 23. 2, & 4.

2. Sam. 5. 19, & 23.

Palæologi lapsus.

Gene. 9. 6.

Duæ omnino videntur esse rationes, quibus Christus ad omnium inimicorum hominum dilectionem suis præcipiendam se moueri profitetur. Vna, quòd ita deceat Dei filios, cum ipse Deus omnibus suis inimicis bene faciat. Altera, quòd alioqui nulla inter ipsos, & improbos homines hac in re differentia futura esset, cum improbi quoq; homines amicos, & fratres suos beneuolentiã complectantur.

Quod ad priorem attinet, cum Deus non minùs sub Lege, quàm sub Euangelio, omnibus hominibus, quantumuis inimi-

cis suis, & solem suum exoriri faceret, & pluuias daret, quæ
illa Dei beneficia, quæ Christus commemorat, dicendum vi
tur, si hæc sufficiens causa existimanda est, cur inimicos omn
diligere debeamus, sub Lege quoque inimicos diligendos fu
Esa. 1. 2. Nam sub ipsa etiam Lege filii Dei vocabantur ii, quibus Lex da
fuerat.

Verùm animaduertendum est primùm, si Christi hæc
ad Legis tempora accommodãda est, non debere eam popul
sraelitici limites excedere. Quidquid enim in Lege iubetur, q
ad alterum relationem habeat, semper ad alterum ex popu
fertur, non autem vmquam ad extraneum. nisi id aliunde co
vel nominatim extranei mentio facta fuerit. Quare, etiamsi
ge scriptum fuisset, Diligite inimicos vestros, &c. vt filii Pa
tris vestri cælestis, qui solem suum oriri facit super malos, &
nos, &c. hoc nihil aliud sibi voluisset, quàm Diligite ex popu
vestro non amicos tantùm, sed inimicos quoq;. nam & Deus
ter vester, quem imitari debetis, non eos tantùm ex populo
beneficiis afficit, qui boni, & iusti sunt, sed malos quoq;, & iniu
stos. Quæ interpretatio nostra ex eo confirmatur, quod, si quis
rectè animaduertat, bonorum, & malorum, iustorum, & iniu
rum in Lege discrimen ad eos tantùm, qui sub ipsa Lege erãt, pe
tinebat, non autem ad reliquas gentes, quę prorsus immundæ
bebantur, & quarum probitatis, aut malitiæ, iustitiæ, aut in
stitiæ nulla in verbis Legis indefinitè prolatis habebatur ra
Propterea Paulus ostendere volens, ea, quæ de hominum mal
generatim alicubi Dauid disseruisset, ad Iudęos omnino pert
Rom. 3. 19. re, ait, *Scimus autem, quoniam, quæcumque Lex loquitur, iis, qui in Lege
loquitur.* Deinde considerandum est, filios quidem Dei appellatos
fuisse eos quoq;, qui sub Lege erant, non tamen eadem ratione,
neq; ita propriè, vt ii appellantur, qui sunt sub Euangelio. Sique
dem illi his comparati, non filii, sed serui dicuntur. Hinc Paulus
Rom. 8. 15. *Non enim accepistis spiritum seruitutis iterum ad metum, sed accepistis spiritum
adoptionis filiorum.* Qui idem Paulus toto ferè cap. 4. epistolæ ad
Galatas nihil aliud agit, quàm vt ostendat, sub Lege seruos, sub
tamquam seruos fuisse, sub Euangelio verò & filios, & liberos
Legat, qui volet, caput illud ab ipso initio vsq; ad *v.* 10. & iterum

ad ℣ 21. vsq; ad ℣ 2. sequentis cap. & rem ita se habere planè intelliget. Mitto testimonia alia complura, quæ ex noui fœderis scriptis proferri possent, ex quibus apparet, diuinam istam (vt ita dicam) filiationem, quam sub Euangelio habemus, a Christo primùm in Dei populum inuectam fuisse. Cuius rei præterea argumentum est, quòd ipse dominus Iesus frater noster, tamquam inaudito quodam priùs atq; inusitato inter angelos, nedum in populo nomine, filius Dei est appellatus. Vide Luc. 1. 32, & Heb. 1. 5. Atq; huc etiam pertinet vaticinatio illa apud Hoseam cap. 1. ℣ 10. *Et erit in loco, vbi dicebatur eis, Non populus meus uos, dicetur eis, Filij Dei uiuentis.* Et certè, qui rectè veteris, ac noui fœderis discrimen perceperit, hac de re nullo modo dubitare poterit, vt infra aliquanto explicatiùs differemus. Cum igitur non ita verè, ac perfectè filii Dei esse deberent homines sub Lege, vt sub Euangelio, non potuit hæc filiationis diuinæ ratio tantam vim sub Lege, quantam sub Euangelio habere. sed, quemadmodum sub Lege imperfectè filii Dei futuri erant, sic imperfectè quoq; Deum imitari sanctis, quàm inimicis bene faciendi inter ipsius perfectas qualitates, seu proprietates numerari debet. vt ex Christi verbis perspicuum est, quę mox recitabimus. Quare, vt hac in parte filii illi Dei, qui sub Lege viuebant, Deum imitarentur, necesse non erat. At verò sub Euangelio, sub quo perfectè, quatenus mortalis conditio patitur, Dei filii esse debemus, perfectam etiam hanc Dei virtutem vt imitemur, necesse est. Propterea coronidem illam Christus præcepto, ac rationibus hisce suis imposuit, *Estote ergo uos perfecti, sicut pater uester, qui est in cælis, perfectus est.*

Sequitur altera ratio, quia scilicet, si amicos tantùm, & fratres diligeremus, nihilò prestantiores hac in re malis hominibus essemus, qui & ipsi amicos, & fratres diligunt. Quæ ratio nulla caussa esse videtur, cur non idem possit sub Lege, quod sub Euangelio, cum mali homines etiã sub Lege, vt ex ipsis Christi verbis, dum rationem hanc explicat, clarè liquet, amicos, & fratres diligerent.

Verumtamen, vt appareat, rationem istam non eas vires habuisse sub Lege, quas sub Euangelio, id perpendendum est, quod

ex iis, quæ paullo ante diximus, colligi potest, non fuisse sub Lege tantam iustitiæ, ac probitatis perfectionem requisitam, quantam sub Euangelio. Nihil enim, vt inquit scriptor ille diuinus, ad perfectum adduxit Lex. Sed quemadmodum, vt idem ait, vmbram tantùm habuit Lex futurorum bonorum, sic vmbram tantùm futuræ euangelicæ perfectionis habuit. Est autem hæc non dubio iustitiæ, ac probitatis diuina quædam perfectio, vt præ alioquin homines in iis ipsis, quæ rectè faciunt, si fieri potest, superemus. Satis est enim ad humanam iustitiæ, ac probitatis perfectionem, qualem Lex postulabat, malos homines in malis superando nequaquam imitari. Nec verò amicos, & fratres diligere ex iis est, quæ rectè facta dicuntur. Nec, si mali quidam aliquando homines, quales publicani erant, id faciunt, idcirco nemo non malus est, quin idem faciat. Immo complures homines semper & vbiq; inuenti sunt, qui ipsis amicis, & fratribus suis infensi erunt, tantumq; abest, vt eos amauerint, vt etiam pessimè oderint, adeò vt manus quoque, Cainum imitantes, illis afferrent. Nec porrò rationis Christi confirmatio illa, *quam mercedem habebis*, nullam mercedem deberi iis, qui amicos, & fratres amant, indicat, vnde colligi possit, nihil boni eos facere, qui id præstitit. Non enim, omni prorsus mercede istos indignos esse, vult Christus, sed alia maiore, quàm ob eam rem sint digni mali alioquin homines, qui idem faciunt, indignos potissimùm ea mercede, quam copiosam sibi obedientibus in cælis repositam esse, antea testatus erat. Quapropter concludendum est, rationem hanc quoq; petitam a domino Iesu allatam non idem potuisse sub Lege, quod sub Euangelio. Euangelium enim homines cælesti illa mercede dignos planè requirit, cum Lex satis haberet, si terrena mercede digni homines essent. Præterea considerandum est, Christum non de ea mercede loqui, quæ ex pacto, sed de ea, quæ ex ipsius operis dignitate debetur, aut deberi videtur. Quocirca, etiamsi ex eius verbis colligi posset, iis, qui amicos, & fratres amant, mercedem deberi, non tamen inde sequeretur, istos ea in re nihil boni agere. Nõ enim omnia bona opera per se ipsa digna sunt, aut videntur aliqua mercede, sed ea demum, quæ admodum excellentia sunt, & operantis obligationem excedunt. Cætera

Heb. 7. 19. 10. 1.

vel sunt vulgaria, vel eiusmodi, vt ea quilibet præstare omnino debeat, quale est amare fratres, & amicos suos, ea non per se ipsa, sed ex pacto tantùm mercede digna esse possunt. Huc illud accedit, quòd in priore quoq; ratione examinanda diximus. videlicet, etiamsi hęc ratio locum sub Lege habitura fuisset, nõ tamen præceptum de inimicis diligendis Israelitici populi fines egressurum. Quod adeò verum est, vt ne tum quidem, cum Christus locutus est, pro eo tempore eos fines præceptum illud excesserit. Quamuis enim, vt ante diximus, eiusmodi verbis Christus vsus fuerit, quæ omnino, si eorum vim, ac proprietatem spectes, quoscumq; inimicos ab Israelis etiam republica alienissimos complecterentur, de quibus potissimùm præcepta dare Christus volebat, id tamen Christi verbis & hìc, & alibi sæpe contingit, quod prophetarum de ipso prędictionibus euenire solet, vt scilicet duplicem sensum habeant, Vnum primò ad tempus, idq; secundum aliquam ipsorum verborum vsitatam significationem, Alterum verò deinde in perpetuum, qui verborum propriæ significationi magis consentaneus est. Antequã per Iesu Christi apostolos Gentibus fidei hostium apertum fuisset, Christi præcepta, non secus ac præcepta Mosis, intra Israeliticæ reipublicæ fines continebantur, quibuscumq; tandem verbis illa concepta essent, nisi nomina tim Gentium mentio esset facta, aut Gentium quoq; in eius vebis rationem habitam fuisse, aliunde apertè constaret. Itaq; pro eo tempore Inimicorum nostrorum nomine ii quidem intelligebantur, qui inimico animo contra nos essent, non tamen omnes, sed ex populo dumtaxat. Sic enim, vt alibi dictum fuit, ea vox in Lege, cum quid erga inimicum fieri iubetur, accipi solet. eaq; nihilominus tamen voci Proximi opponi potuit. Etsi enim hæc vox Proximus in Lege quemlibet ex populo propriè significat, tamen fieri potest, vt cõmuni vsu loquendi iã factum esset, vt non ampliùs tam latè pateret, sed eum tantummodo significaret, qui nobis vel amicitia, vel cognatione coniunctus esset. Id quod re-uera factum esse, satis apertè indicãt Christi sequentia verba, quę, quis proximus sit, quodammodo declarantia, eos, quos amare præceptum illud, *Diliges proximum tuum*, aut iubebat, aut certè iubere videbatur, in amicos, & fratres partiuntur. Nam Fratrum

nomine, licèt, vt alibi monuimus, in Lege; & in populi etiam fe
mone omnes Israelitæ comprehenderentur, multò frequentius
tamen ex vsu loquendi cognati intelligebantur. Postquam vero
Gentibus quoq; pœnitentia in remissionem peccatorũ per Chri
sti nomen prædicata est, & vna Israelitarum, & Gentium respu
blica facta, tunc Christi præcepta, quæ indefinitis ac generalibus
verbis concepta fuerant, ad omnes peræquè tam Gentes, quàm
Israelitas pertinere, & de omnibus prorsus inimicis, vt verba ip
sa sonant, eum locutum fuisse, intellectum est.

Quare non est, quòd quis dicat, per ea, quæ hoc loco a nobis
dicuntur, ea conuelli, quç supra affirmauimus, atq; contendimus,
Christum scilicet Inimicorum nomine hostes potissimùm intel
lexisse, Fratrum verò, & Proximorum omnes Israelitas. Nam
quç antea diximus, vera sunt secũdum posteriorem & potiorem
sensum, secũdum quem hodie nobis Christi verba sunt interpre
tanda. Qui sensus non ex loquendi vsu aliquo, qui tunc in popu
lo obtineret, sed ex proprietate verborum colligitur. Verbo
rum autem proprietas ex Legis vsu petenda est. Atqui Lex, cum
proximum diligere iubet, Proximi nomine, quemadmodum os
stendimus, quemlibet ex populo intelligit. Verùm post Euange
lii prędicationem Gentibus cõcessam omnes homines, vt dictum
fuit, ex vno eodemq; populo esse censentur. Quod idem in voce
Fratris contingit, cum quid Lex erga fratrem fieri mandat, vt ex
iis prçcipuè apparet, quç scripta sunt Deut. cap. 22. in initio. Vbi
ea, quç alibi erga ipsos inimicos facienda præcepta sunt, erga fra
tres simpliciter fieri iubentur. Ex quo id interea confirmatur,
quod a nobis cõstanter asseritur, quidquid Lex de diligendis ini
micis præcipit, id non ad alios inimicos, quàm fratres, id est ex
populo pertinere. Quæ tamen Lex, si aliquando inimicum pro
ximo opponit, vt hoc loco factum est, tunc Inimici nomine hos
stem intelligi necesse est. Nam etiam sine oppositione ista vox In
nimicus in Lege frequentissimè hostem significat.

At enim (dixerit quispiã) si prior ille sensus Christi verbis ad
tempus suberat, illud euertitur, quod a te antea constitutum fuit,
Christum in his præceptis dandis non Scribarum, & Pharisæo
rum commenta reiicere, sed sua dicta ipsis Legis dictis oppone
re. Nam

re. Nam quomodo Legis dictis sua dicta opponit Christus, si Lex Proximi nomine quemlibet ex populo complectitur, ipse verò, priore illo sensu, quamuis ad tempus, eo nomine amicos tantùm & cognatos intelligebat? An non hinc, te ipso teste, apparet, Christum non Legis ipsius, sed receptarum tunc temporis interpretationum rationem habuisse?

Respondeo, me supra non negasse, quin in hoc de diligendis inimicis præcepto, sicut in duobus aliis, de vxore non dimittenda, deq; iniuriis non vindicandis, seu retaliandis, potuerit Christus, dum Legem absoluere, ac perficere intelligit, eius quoq; falsa interpretamenta reiicere voluisse, & propterea dicta sua non tam Legis dictis, quàm iis, quæ, tamquam Legis præcepta, vulgò iactabantur, his tribus in locis opposuisse. Nam præter eius rei propria indicia, quę in singulis istis præceptis dandis apparere, antea ostendi, id omnibus commune extare monui, quòd, cum Christus præcepta recitat, quibus sua opponit, non ait, vt in reliquis tribus, Dictum est antiquis, sed, Antiquorum mentione omissa, simpliciter inquit, Dictum est. Extat autem in hoc præcepto de diligendo proximo, quod Christus recitat, cuiq; sua dicta opponit, aliud proprium indicium præter id, quod supra commemorauimus, non tam Legis ipsius, quàm peruulgatæ in populo præceptionis rationem habitam fuisse, quòd ea verba Legis omittuntur, *sicut te ipsum*. quę sanè magnum pondus habere videntur. Nec tamen, secundum illum etiam priorem sensum, in postremo hoc præcepto dando non fuerat a Christo aliquid diuinę ipsi legi addirum. Quãdoquidem tantò plus est inimicos ex populo suo ita diligere, vt odio te habentibus bene facias, tibi maledicentibus bene dicas, pro te insectantibus, & calumniantibus Deum ores, quemadmodum præcipit Christus, quàm eosdem inimicos non vlcisci, quemadmodum Lex præcipiebat, quànto plus est, alicui bene facere, quàm non malè facere. Adde, quòd Lex, cum de inimici dilectione aliquid præcipit, Inimici nomine eum quidem intelligere potuit, qui odio habere pergeret, non tamen eum intellexit, qui iniuriis, ac contumeliis alterum etiamnum incesseret, sed qui aliquando incessisset. Non enim, ne præsentes iniuriæ vindicarentur, sed ne præteritarum quisquam memor esset, in Lege mandatum fuerat.

Nec verò

Nec verò est, quòd quis obiiciat, immo in Lege non modò præceptum fuisse, ne quis inimico malè faciat, sed etiam, vt bene faciat, eò quòd scriptum sit, *Diliges proximum tuum, sicut te ipsum.* Proximi nomine quemlibet ex populo significari, iam cõcessum fuerit, quamuis inimicum, id est eiusmodi, qui nos iniuria affecerit. Namq; sciendum est, non ita accipienda esse in Lege verba illa, *sicut te ipsum*, vt omnia complectãtur, quæ quis sibi fieri vellet. Alioqui numquam aliquid mali proximo intentare sub Lege licuisset. Quod tamen contrà est. Hoc enim, vt supra attigimus, proprium est Euangelii. Nam sub Lege vim vi repellere, non solùm magistratus auctoritate, sed etiam priuato arbitrio licebat. Quod cum ex multis aliis, quę in ipsa Lege scripta sunt, perspicuum est, tum ex eo patet, quòd furem perfodientem antè lucis ortum adeò verberare licebat, vt, etiamsi ex verberibus illis mortuus fuisset, tamen percussor reus sanguinis non esset. Exo. 22. 2. igitur verba illa, *sicut te ipsum*, ad id accommodanda, de quo ibi sermo erat, & ad alia, si qua sunt eiusdem generis, & præceptum illud perinde accipiendum, ac si dictum fuisset, Ne vis memor iniuriarum a proximo tuo acceptarum. Sed, quemadmodum optares, ne quis iniurias a te acceptas vlciscererur, sic etiam tu illatas tibi a proximo tuo iniurias ne vlciscitor. Non autem ita interpretandum, vt non modò nihil omnino proximo fiat, quod quis sibi fieri nollet, verùm etiam omnia prorsus fiant, quæ sibi fieri vellet, adeò vt & odio habenti bene facere, & maledicenti benedicere, & pro persequente deniq;, ac calumniante orare Deum quilibet ex Legis præscripto debeat.

Non est item, quòd quis dicat inimicis bene faciendũ ex Lege fuisse, præceptis illis bouem reducendi, & asinum subleuandi, cogi tineri. Ista enim, & siqua eiusmodi sunt alia præcepta, ad iniuriarum obliuionem pertinent. Exo. 23. 4, & 5. Nemo enim ferè est, qui bouem errantem domino reducendum non curet, aut asinum alterius sub onere succumbentem, si potest, non subleuet, nisi bos, aut asinus eius sit, quem odio prosequatur. Quinetiam hęc, & similia beneficia eiusmodi sunt, vt iis ipsis, quibus malè volumus, quorumque iniurias, quas accepimus, aliquando vlcisci in animo est, a nobis facilè præstentur, nisi impotentis omnino ac degeneris animi

mus. Quòd si quis Solomonis dicta huc afferat, iam ostensum est, ea, non tamquam ex Mosis lege manantia, sed tamquam ab ipso Solomone sapienter excogitata, accipienda esse. *Prou. 25. 20.*

Demõstratum est a nobis (vt quidem credimus) neutram ex illis rationibus a Christo allatis sub Lege eam vim habuisse, quam sub Euangelio habet. Nunc videndum est de ipsarum rationum confirmatione quadam tua, quæ tertiæ rationis loco esse potest, quam pag. 163. his verbis explicas, *Si enim dilectio, quam iubet lex duinai ad amicos tantum, non etiam ad hostes pertineret, quod discrimen esset inter legem Dei & legem non Dei sed hominum?*

Hæc ratio nullius momenti existimanda est, triplici de causa. Primùm quia leges, quamuis ab hominibus latæ, non tamen ipsorum hominum censendæ sunt, sed ipsius Dei, quãdo cum Dei voluntate consentiunt, quales sunt pleræque duodecim tabularum leges, ex quibus ius ciuile Romanorum deriuatum est. Tunc enim Deus est, qui per eos homines, etiamsi oculis omnium id minimè apparet, leges dat mundo. Atque hoc idem tu ipse parum ti bi constans contra Racouienses vrges pag. 290. Deinde non simpliciter, nec perpetuò verum est, debere inter hominum, & Dei legem discrimen esse. Quid enim si homines, natura, ac ratione duce, quapiam in re illud idem planè præceperint, quod Deus ip se præcepit, aut præcepturus fuisset? Quod sanè factum persæpe esse, omnes cognoscent, qui Dei legem a Mose latam cum aliis hominum legibus conferre voluerint. Nec enim Dei lex in singulis, quę præscribit, diuinius aliquid & perfectius habere debet, quàm humana ratio præscribendum esse, cognoscere potuerit, præsertim si ad hominem verè diuinum ac perfectum reddendum ea lata non fuerit. vt certè de Mosaica lege affirmari posse, vmbræ, ac ceremoniæ, quibus tota referta est, quarumq; ne ipse quidem Decalogus est expers (nam diei Sabbati obseruationem ad vmbras pertinere Paulus locupletissimus est testis) apertè demõstrant. Nam ne in Lege quidem ipsa euangelica, quæ tota diuina est, & ex hominibus angelos quodammodo efficere quærit, omnia prorsus præcepta eiusmodi sunt, vt nulla vmquam humana lege quodpiam illorum exactè comprehensum fuerit. Postremò, tametsi Dei Lex per Mosem lata non præcipit, vt inimicis quan-

Palæologus parum sibi cõstat

Col. 2. 17.

documque possumus, bene faciamus, non tamen propterea eo, quod erga inimicos fieri debet, nullum inter ipsam, & humanas leges, vt arbitror, discrimen apparet. Quandoquidem vt vidimus, in ea expresse mandatur, ne acceptarum iniuriarum a suis ciuibus quisquam memor esse velit, neue odio quempiam ex illis prosequi. quod hominum communes ac peruulgatæ leges (de his enim loquitur ratio tua) numquam fortasse mandarunt. Atq; hæc, quæ de Dei, hominumq; legis discrimine contra te diximus, satis sunt pro responsione ad ea quoq;, quæ de distinctione inter Dei populum, & Dei non populum deinde subnectis. Nam, quòd Dei populum alios diligere, vt ipse Deus solet, dicas, ad id in priore ex Christi rationibus examinanda abunde responsum fuit.

Cæterùm illud insuper pro responsione ad argumentum ex rationibus ductum, quibus vel Christus ipse sua præcepta confirmat, vel ea confirmare aliquis posset, considerandum est. Nihil impedire, quominus eç rationes sub Lege eamdem vim habere plane debuerint, quam sub Euangelio, nec tamen habuerint, id est contra id, quod ipsæ omnino suadebant, aliquid constitutum, ac prætermissum in Dei præceptis fuerit. Volunt enim Deus non modò rerum omnium perfectionem ad Christi tempora reseruare, &, quidquid sub Mose præcesserit, adũbrationem quandam esse eorum, quæ postea fieri debebant, verùm etiam in ipsa adumbratione, tamquam adumbrationem quam- ea postmodum argumento essent, illam verè adumbrationem non autem rem ipsam fuisse, & meritò aliquando cessasse. Hinc ctum est (idq; ad rem nostram maximè pertinet) vt in ipso Deo logo, qui legem æternam, & ad mores tantùm pertinentem plecti debuerat, vmbratile illud ac ceremoniale præceptum seruationis septimi diei inclusum fuerit, quod pro eo etiam pore vitium existimandum est. vt scilicet aliquando vel hinc tis intelligi posset, non eo consilio datam fuisse a Deo ipsam calogi legem, vt vndiquaque perfecta, & omni ex parte absoluta tissima in perpetuum censeri deberet. Eadem ratio est aliorum Dei operum, quæ vel iam finem habuerunt, vel habitura sunt. Nam & præsens hoc sæculum, quatenus a Deo cõditum est, non

1. Cor. 10. 11.

solùm typus quidam est sæculi futuri, sed etiam in eo, tamquam typo, vitia quædam animaduertere licet, vt vel hinc coniicere possimus, illud non perpetuò duraturum. Nec tamen iure Deum accusare quisquam potest, quòd aliquid fecerit, aut condiderit vitiosum atque imperfectum. Nam cum id non præ negligentia, aut imperitia, siue impotentia ab eo factum fuerit, sed consultò, idque in præstantissimum aliquem finem, ea, quæ vitia in re, atq; imperfectiones (vt ita dicam) alioqui per se sunt, Dei ipsius facientis, aut condentis respectu, rei virtutes, ac perfectiones quædam existimari debent. Atque hæc de Christi præceptorum rationibus satis, superq; esse possunt.

Iam verò cum demonstratum fuerit, te, quin præcepta Christi de inimicis diligendis bellum omnino interdicant, nequaquam ea ratione negare posse, quòd eadem præcepta sub Lege essent, sub qua tamen scilicet bellare licebat, siquidem falsum est, eadem præcepta sub Lege fuisse, an eorumdem præceptorum, & ipsius belli interpretationibus tuis id, quod quæris, efficere possis, deinceps videndum est.

Igitur, vt ex iis quę pag. 250, & 251. scribis, colligere potui, duo in medium affers, quibus probari speras, præcepta Christi de inimicis diligendis non eam vim habere, vt hostes numquam nobis interficere liceat. quæ tamen, vt videbimus, & verba tua præ se ferunt, ad vnum tantummodo redigi possunt. Primùm ais, cum homo malus Dei iussu occiditur, hoc esse amare, bene facere, & ex toto corde diligere. Pro concesso enim hìc sumis, hominem malum, qui magistratus auctoritate, siue belligerando, siue alia ratione occiditur, Dei iussu occidi. Itaq; videris omnino velle concludere, occidendis magistratus auctoritate malis hominibus, quales Dei populi hostes sunt, nihil fieri aduersus id, quod mandauit Christus, vt inimicos diligamus, amemus, eisq; bene faciamus. nempe quia tunc etiam, cum istos occidimus, inimici a nobis diliguntur, amantur, eisq; bene fit. Verùm, quam tui dicti rationem adiungis, ea te aliud dicere voluisse, ostendit. Etenim pro ratione eius, quod dixeras, affers, summum declarari erga Deum amorem, cum in omnibus illi obeditur, in quibus ille nostram requirit obedientiam. Sed quid hoc ad id, de quo quæritur? Præ-

cepta Christi non de amore in Deum, sed in homines, quãtumuis inimicos, loquuntur. Quare tibi probandum est, non Deum, sed ipsos hostes diligi, cum occiduntur, si ad rem loqui velis, & non

Palæologus præstigiator.

præstigiis quibusdam vti, ac rudem lectorem fallere. præterea cum in superiore dicto tuo bene faciendi quoq; mentio facta fuerit, quod ad Deum accommodari nullo modo potest. Neq; enim Deo a nobis vlla vmquam ratione bene fit. Similes præstigiæ latent in iis quoq; verbis, quę hoc loco in margine scripti tui sunt appositа. quę sic habent, *An qui iussu Dei occidit maleficũ, non amet eum.* Quamuis enim hîc de amore in ipsum maleficum dictum fuisse, planè videatur, posset tamen aliquis pronomen Eum ad Deum referre, & ita de amore in Deũ, non autem in maleficum sermonem esse contendere. Quid verò attinet ex Dei in omnibus obedientia amorem in Deum, occidendis malis hominibus, colligere? quasi ubi concedatur, Dei iussu a nobis malos homines occidi, cum id facere magistratus auctoritate fit, sed interim negetur, ea ratione amorem in Deum declarari. quod nisi fiat, non esse cur, quamuis id Deus iubeat, mali homines iurè a nobis occidi possint. Nonne vides, diuini iussus hîc aliquam mentionem te facere non debuisse (nam si Deus iubet, iam vicisti) sed aliunde amorem ipsum in Deum, dum hostes interficiuntur, probare, postquam, eo probato, amorem, beneficia, atq; ex toto corde dilectionem, hostibus interficiendis, præstari simul probatum esse, vel perperam, vel certè extra rem (nescio quo pacto) tibi persuaseras?

Palæologus vatius.

At verò deinde, teipsum ex parte saltem quodammodo corrigens, tuiq; dicti rationem mutans, ostendere conaris, Deum cum vindicat iniurias, summam erga homines demonstrare charitatem. Nam, cum Deus impium diuturnitate vitę ad pœnitentiam concessa abutentem punit, id propterea ab ipso fieri dicis, ne is, qui malus est, & peior fiat, & pergat nocere bonis. & statim,

Matth. 24. 22.

tamquam eius rei testimonium, subiicis, *Decurtabuntur inquit dies illi propter electos.* Ac post modum sic infers, *Si electorum causa decurtatur mala tempora, sublatis impijs de terra, quorum causa mala tempora cogeminantur, debet quoq; electorum causa, ut salui fiant, nec pereant cum impijs, numerus & decurtari numerus & uis hebetari.* Itaque, vt apparet, nos quoq; Dei exemplo, quod pro ratione affers, charitatem hum-

mum

mam erga homines, dum malos interficimus, demonstrare ais. cuius rationis tantam vim esse, existimare videris, vt non tantùm posimus, sed etiam debeamus malos homines interficere, nullo præterea Dei iussu expectato, quemadmodum, vt diximus, hic concludere debueras. nisi, vt quçdam ex subsequentibus tuis verbis ostendunt, verbum Debet in modò recitatis ita intelligendum est, vt non quidem ad nos referatur, tamquam si dictum esset, Debet a nobis, sed simpliciter est accipiendum, & pro Aequum, seu Par est interpretandum. vt scilicet eius, quod ipse Deus facit, exemplo concludas, malorum hominum occisionem nihil contingere, quod veræ charitati, quæ proximo præstari debet, aduersetur, si tamen Dei iussu, ac voluntate fiat, quemadmodum præfatus fueras. Atq; hoc tandem illud erit, quod priore loco a te allatum fuit, vt, si rectè, quid, occidendis hostibus, fiat, &, quid Christus iusserit, intelligatur, bellum eius præceptis de inimicis diligendis non aduersari demonstres.

Atqui hic quoq;, Palçologe, prçstigias facis. Cum enim Christi præcepta de dilectione ipsis inimicis, ac malis hominibus prçstanda agant, ratio tua eam potissimùm dilectionem vrget, quæ amicis, & bonis hominibus prçstatur. Nam quod ais, Deum, dum impios occidi iubet, erga ipsos impios amorem ostendere, dum ea ratione cauet, ne peiores fiant, vnde, si rectè argumentationem tuam concludere velis, inferendum tibi est, nos similiter, cum malos homines occidimus, erga ipsos amorem ostendere, nimirum quia hac ratione prohibemus, ne peiores fiant, hoc, inquam, siue quod ad nos, siue etiam quod ad Deum attinet, risu potiùs, quàm responsione dignum est. Nimis acuta sanè quædam charitas hæc videri debet, malum hominem occidere, ne peior fiat. quasi verò semper occidenti (homini præsertim) constet, illum, si vixerit, peiorem euasurum. immo quasi fieri facilè non possit, vt is vitam emendet, & bonus fiat, & propterea non summum odium homicidis occidentis erga malum hominem (nisi eius occidendi alia quçpiam iusta sit caussa) a se occisum declaretur, dum ei spatium ad pœnitentiam agendam prçripit, &, quantum in se est, salutem plane inuidet, atq; aufert. vt vno eodemq; tempore & corpus, & animam illius interimere, iure dici queat, quo nihil sceleratius excogitari

Palæologus præstigias facit.

Palæologus ridiculus.

cogitari vmquam poterit. Mitto, quòd, si certum omnino erat istum, malum hominem, si vixisset, peiorem euasurum, nihilo prodesse potest, minùs malum fuisse tunc, cum est mortuus, cuius per ipsum nulla ex parte steterit, quin pessimus moreretur.

Sed iã, quid illud alterum sit, quod ex verbis tuis colligi possit, videamus. Sic igitur Christi præcepta interpretanda esse dicis, vt tunc demum locum habeant, nisi Deus aliter interpretanda esse iusserit. Amandos quidem esse inimicos, sed non plus, quàm iubeat Deus. Atque huc redigendum id etiam est, quod priore loco dictum a te fuit, si, vt verba tua præ se ferunt, amorem illum, quem, dum mali homines occiduntur, erga proximum declarari affirmas, à Dei iussu non separas, nec sine Dei iussu tanti momenti esse vis, vt homines malos a nobis citra Christi præceptorum contemptionem interfici posse, demonstret. Illud enim tandem quærendum est, quando Deus, vt homines mali occidantur, iubeat. Quòd si quis neget, vmquam iuberi a Deo, vt christiani homines hostes suos, quamuis pessimos, occidant, quomodo quæso tu id probabis? Nam hoc loco id non explicas. Numquid, vt paullo ante dicentem fecimus, & ipse alibi sæpe disputas, ex magistratus auctoritate id colliges, quasi, quidquid magistratu auctore fiat, Deo ipso iubente fieri, dicendum sit? Atqui primùm, multò aliter rem habere, supra ostendimus. Deinde hîc eiusmodi verbis vtemur, quibus aliud planè requirere videaris, quàm magistratus auctoritatem, si Dei iussus ille adfuturus sit. Ad hunc enim modum loquebis prædicta pag. 251. *Nam quãuis magistratus gladium gestet, magistratum & priuatum ex aequo autem non gestet, attamen lex diuina iubet, omnes (amicos & inimicos) diligere, nisi ubi Deus ut aliter fiat, noua lege data, aliud iubet.* Igitur, te ipso teste, non satis est, magistratum gladium gestare, vt præceptum de inimicis diligendis non conseruetur, & idcirco ex magistratus auctoritate, aduersus id, quod aliis in locis affirmas, Dei iussum non colligitur, sed necesse præterea est, vt Deus, noua lege lata, aliter fieri iubeat. Itaq; ex ipsis tuis verbis contra teipsum concluditur, si mali homines occidendi sunt, non satis esse, magistratum auctorem habere, sed necesse esse, vt Deo noua lex de inimicis non amandis, seu de malis hominibus occidendis feratur. Nam, si malos homines occidere illi Christo præcepto

Palæologus sibi aduersatur.

Palæologus sibi contrarius.

præcepto per se minimè repugnare contendis, cur præterea in vniuersa ratiocinatione tua Dei iussum requiris? Si autem per se repugnare concedis, iam ego rectè ex superiore regula tua, vt id iurè fiat, magistratus auctoritatem non satis esse, aduersus teipsum sum argumentatus. tu verò cur amoris, qui, malis hominibus occidendis, erga proximum declaretur, mentionem facis, atque ea ratione, etiamsi mali homines occidantur, Christi tamen præcepto non contraueniri, ais? Cur denique (si fortasse id nec dicere, nec curare te affirmes) non satis habes Dei iussum vrgere? Sed certè, nisi quidquid a te de bello dicitur, ante recitatis verbis tuis euerti velis, necesse est, cum nulla noua Dei lex fuerit lata, qua vel inimicos non diligere, vel hostes occidere iubeamur, vt, occidendis auctoritate magistratus hostibus nostris, amorem a nobis erga ipsos hostes declarari, non dicas modò, vt quidem facere videris, verùm etiam vrgeas, atque contendas. Quo, si consultò risum audientibus mouere velles, haud scio, an nihil ad id accommodatius inuenire posses.

Atque hęc tandem satis esse volumus, vt hostes bello occidere, quantumuis magistratu auctore, quod a te Christianis non conceditur tātùm, sed etiam pręceptum esse affirmatur, Christi præceptis, quibus inimicos diligere iubemur, planè aduersari intelligatur, quidquid a te (quod huc priuatim pertineat) in responsione tua ad Racouiensium scriptum in contrariam partem disputatum fuerit. Quocirca nos iam id abūde pręstitisse arbitramur, quod ab initio polliciti sumus, atque planum fecisse, ea, quæ ab aduersariis tuis ex Matthęi. 5. cap. cōtra sententiam tuam de vindicandis per magistratum iniuriis, deque bello eius auctoritate gerendo prolata testimonia fuerant, contra quàm ipse aduersus eos scripseris, iure optimo fuisse prolata, ex iisque perspicuum esse, sententiam tuam institutam, quæ Christi institutis contraria sunt, in Ecclesiam inducere. Quod quamquam aliis etiam cum testimoniis, tum rationibus ab iisdem aduersariis tuis confirmatum est, nec rectè a te ad pleraque responsum, ea tamen in præsentia omittemus, satis esse rati de prædictis apud Matthæum testimoniis disseruisse, in quibus tota propemodum vis istius disputationis inesse videtur.

Quoniam

CAPVT. VII. QVONIAM verò aduersarii tui, scripto, quo sententiam tuam de bello complexus fueras, id etiam potissimùm obiecerit, quòd nouum testamentum cum vetere, seu Legem cum Euangelio confunderet, aut potiùs euangeliũ Christi lege Mosis, lucem vmbris, virilitatem pueritia aboleret, id quod & pessimè in re ctum, & rectissimè ab illis reprehensum fuisse mihi videtur, co siderandum est, ecquid tu ad ea respondendo, quæ ipsi ad id co firmandum attulerant, contra afferas. Videntur autem hoc, qu tibi obiiciunt, non propterea obiecisse, quia sententiæ tuę vi la omnino distinctio inter vetus, & nouum testamentum, Lege & Euangelium, Mosem denique, & Christum constituatur, quia in iis, de quibus quæritur, id est in præceptis ad mores p tinentibus, nullum prorsus inter Mosem, & Christum discrim constitui debere, ex tua sententia necessariò colligatur, quod verissimum esse non negas. Itaq; videndum est, quid ipsi ad dirim men istud probandum pertinere sint arbitrati, quidq; tu vicissi ad illud improbandum, tibi respondendum esse censueris.

Primùm igitur aduersarii tui, vt vniuersè, atq; indefinitè p bent, inter Mosis, & Christi præcepta discrimen aliquod esse (q ceptorum autem, quemadmodum & Legis, & mandatorum, cuiusuis rei similis simplici nomine ea tantùm, quæ ad mores p ctãt, in tota hac disputatione intelligo) verba illa Christi afferu non semel repetita, *Audistis quia dictum est antiquis*, &c. *Ego autem uobis*, &c. Ex quibus perspicuum esse contendunt, Christum qua præcepta dedisse diuersa a præceptis, quę Moses antea dede rat. Nam in priore verborum eius parte, cui posteriorem oppo nit, ipsa Mosis præcepta contineri, certissimum esse aiunt. Ob tribus de caussis. Primùm propter vocem Antiquis, quę sine bio priscos illos significat, quibus Lex data fuerat. Deinde, quo non in præsente, Dici, sed in præterito tempore, Dictum fuit affirmatur. Postremò, quia citat ibi Christus expressum exod Mosis. Atq; hæc ab ipsis scripta sunt pag. 60, & 61.

Quod ad primum attinet, in responsione ad secundam, quam ipse facis, aduersariorum obiectionem pag. 220. disertè ais, vocem Antiquis non referre populũ, cui loquebatur Moses, sed plebem, quam instituebant Scribæ, & Pharisæi. & statim addis, Christum

& sequatur: audistis quia dictum est antiquis, nonne etiam cæci uident, sententiam ita esse comprehendendam? Audistis quod dictum sit antiquis dicrum a Scribis & Pharisæis, quibus scilicet tradebant suam iustitiam, & instituta hominum, iustitiam Dei soluentes, & abrogantes & ei nolentes esse subiecti? Ita loqueris, quasi inter omnes constet, vocem Antiquis, siue, vt est in græco, τοῖς ἀρχαίοις plebem aut antiquos dierũ significare posse. quod tamen omnino aliter se habet. Sed priùs animaduertendum est, te in scriptis tuis quatuor modis eam vocem interpretatum fuisse. Primùm enim voce Veteribus eam reddis priore scripto tuo, pagina 34. Posteriore verò, pagina 118. presbyteros & seniores, siue senatum eam significare ais. quod deinde alibi, præsertim verò in paraphrasi illa tua, idemtidem repetis. Atqui hîc duobus aliis modis, vt vidimus, eam interpretaris. nam & plebem, quam instituebant Scribæ, & Pharisæi ab ipsa referri dicis, & mox Antiquis dierum pro ea (nescio quomodo) substituis. quam postremam interpretationem pag. quoq; 119, & 247. commemoras. Sic iis accidere solet, qui contra manifestam veritatem pugnant, vt scilicet nullo loco consistant, inter se ipsi pugnantia loquantur, eaq; dicant non modò, quæ deridendos ipsos omnibus præbeant, verùm etiam id, quod maximè stabilire quærunt, euertant, quod autem euertere conantur, stabiliant. Etenim, si prima illa tua interpretatio admittatur, nonne necessariò sequitur, eam vocem in eum sensum accipiendam esse, in quem ab aduersariis tuis accipitur? quos tamen ante dicta pag. 220. ob voculam vnam non intellectam (nam istam te velle dicere, satis constat) in Christi verbis percipiendis cæcos esse clamas. Quid enim aliud Veterum simplici nomine apud probatos auctores significatum vmquam est, præter Priscos, siue eos, qui superioribus ætatibus fuere? Aut vbi apud eosdem inuenies, Veterum simplici appellatione significari vel senatum, vel plebem, vel deniq; antiquos dierum? Quid porrò de secunda interpretatione dicemus, quam potissimùm sequi videris? Cur vnum saltem, si non ex sacris, ex profanis litteris exemplum non profers, vbi Antiqui, siue οἱ ἀρχαῖοι idem sit, quod Seniores, siue Senatus? Quæ ista tanta tua auctoritas est, vt noua ac fermè inaudita dicenti, nulla etiam ratione allata, credi debeat?

Palæologi multiplex uarietas, eaq; ridicula.

Palæologus, seipsum refellẽs, aduersariorum dictum confirmat.

Palæologi confidentia.

di debeat? Num tu alter es Pythagoras, qui verò tua scripta legunt, omnes tui discipuli? Quòd si senatũ ea vox significat, quomodo plebem significare potest, vt habet tertia interpretatio? Nam, etiamsi Plebis nomine non eam populi partem, quæ tritiis, vel eam, quæ ipsi senatui opponitur, te intelligere dicas, nomen ipsum propriè significat, sed vniuersum populum, vt frequenter a latino vetere interprete, siue vno sit, siue sint plures, in sacris litteris factum est, non tamen, si ea vox senatum significabit, plebem significare poterit, neq; enim senatu vniuerso populus continetur, sed exigua eius pars. Quòd si fortè dixeris, non dixisse Plebem simpliciter, sed Plebem, quam instituebant Scribæ, & Pharisæi, quasi non totam plebem, id est populum, intellexeris, sed exiguam istam partem, quæ a Scribis, & Pharisæis institueretur, Primùm, quàm ista locutio a communi loquendi vsu abhorreat, omnes iudicabunt. Deinde non senatum modo, sed reliquum etiam populum instituebant Scribæ, & Pharisæi, ex iis, quæ postea dicentur, constabit, Immo reliquum populum quàtò reliquus populus rudior erat, & institutionis magis egenus, tantò, quàm senatum, ab ipsis institutum fuisse, verisimilius est, quàm senatus. Sed rursus, quomodo, si ea vox Antiquos senatum significat, antiquos dierum significare potest, vt quarta & postrema tua fert interpretatio? Numquid omnes antiqui dierum, hoc est senes, ex senatu sunt, aut saltem omnes senatores, senes? Quod si velis, quemadmodum, quia a senio senatores sunt dicti, Senatorum nomine senatus intelligi potest, sic Antiquos dierum propter natu dici posse, cur eius rei testimonium aliquod non proferas? Cur ita obscurus, tamquam Apollo aliquis Delphicus, in iis (quasi responsis dandis esse affectas? Iam verò (vt de tertia interpretatione agamus) quis, vel fando, audiuit vmquam, Antiquorum, seu τῶν πρεσβυτέρων nomine plebem, aut populum significari? Certè fieri non potest, quin tibi ea verba imprudenti, & non cogitanti, atque aliud planè agenti exciderint. Cuiusmodi enim veritatem impugnantibus eueniunt, tunc iustum Deinde one sentiendum? Ego sanè non memini, me vel locum legisse, vel ab aliis lectum obseruasse, vbi simplici τῶν πρεσβυτέρων appellatione

Palæologi latsus.

antiqui dicerum, seu grandæui significentur. Illud equidem affirmare ausim, in sacris litteris, id est in nouo testamento, non modò eiusmodi locum nõ extare, sed τὸ ἀρχαῖον nomen semper Priscum, seu quod Latini propriè Antiquum dicunt significare. Qui Latini numquam (quod sciam) antiquos dierum (vt quidem in vulgata editione loquitur Daniel, siquidem poterant ad verbum ii Daniel is loci aliter verti. neq; enim Antiquus apud Latinos idem planè est, quod עתיק apud Chaldæos, quãuis inde fortasse deriuetur) seu grãdæuos simpliciter Antiquos appellãt. nisi veterem veteris testamenti interpretem pro latinitatis bono auctore habeamus, qui id nonnumquam in historia Iobi ausus est facere. aut certè, cum Antiquos ita, vt id nomen substantiui (quod vocant) nominis vim habeat, vt nostro in loco fit, nominant, numquam homines grandæuos intelligunt.

Dani. 7. uer. 9, 13, & 22.

Iob. 12. 12. 15.. 10 32. 6.

Itaque apparet, nullam ex tuis interpretationibus verbo ipsi conuenire præter primam, quę eadem est cum aduersariorum interpretatione, quam inpugnandam suscepisti, vt quę sententię tuę nimis aduersetur, eamq; funditus euertat. Sed, etiamsi aliqua ex reliquis tribus ipsi verbo accommodari posset, non tamen, communi interpretatione reiecta, ea admittenda esset, cum propter id, quòd communis interpretatio magis propriam, ac frequentis, simã vocabuli significationem sequitur, tua verò insolentiorem, minusq; propriam, tum maximè, quia locus ipse nullam ex istis tuis interpretationibus, quamuis vocabuli vis eam alioqui ferret, pati vllo modo potest, nisi fortasse eam, quæ plebem a Scribis, & Pharisæis institutam voce Antiquis referri vult, quæ, vt inceptissima, quæq; tibi incogitanti, vt dixi, atq; adeò, vt arbitror, inuito excíderit, nullo numero est habenda. Quid enim? Namquid senioribus tantùm, siue senatui, aut antiquis dierum ea dicebantur, quę eos, quos alloquebatur, fuisse dicta, audisse ait Christus? Non-ne toti populo ea dicta fuerãt? Nã quę distinctio illa tua est inter seniores, & populum, quòd senioribus quidem ea dicerentur, populus autem interim audiret? Quonã vel argumento, vel testimonio probas, Scribas, & Pharisæos (istos enim eos fuisse, a quibus radicerentur omninovis) tunc, cum Mosis Legem recitabant, & explicabant, non populum, licèt præsentem & audientem, sed se-

niores, seu senatores tantùm allocutos fuisse? Nam tu pag. 114. cum, assidentibus senioribus, Scribæ, & Pharisæi legem interpretarentur, turbam, & populum audiuisse scribis. Sed quid quæro, cum tibi parum constans, pag. 207. ex cathedra, vbi Lex populo audientibus senioribus, legeretur, ea dicta fuisse ais? Nonne tu ipse (si modò eo in loco pluſquã figuratè locutus non es) pag. 220. diserte ais, plebem a Scribis, & Pharisæis institutam fuisse? Sed ne plebi quidem, id est (vt tibi hoc concedamus) populo, ea dicta fuisse, Christum dixisse, verisimile est, cum ipsum populum, seu populi partem, quę præsens erat, vel teipso teste, alloqueretur, vt ex verbis illis tuis apparet prędicta pagina 118. *Audistis, inquit, vos discipuli mei, atque adeo uos omnes quid dictum sit à Scribis, &c. Si enim* ipsi populo ea dicta fuisse, intellixisset Christus, non aliter, quàm Audistis, quòd dictum est vobis, vel simpliciter Audistis, quod dictum est, sine dubio dixisset. Indubitatum igitur esse debet, nullam, siue ipsum verbum, siue sententiam spectes, ex tuis illis tribus interpretationibus vocis Antiquis admitti posse, sed communissima ac receptissimam eius verbi explanationem, quam ipse prima interpretatione tua planè confirmas, omnino admittendam esse, vt scilicet Antiquorum nomine Veteres, seu Prisci intelligantur, vnde planum fiat, Christum de veteribus Legis præceptis reformandis, non autem de recentibus Scribarum, & Pharisæorum interpretamentis reiiciendis agere.

Palæologi inconstantia.

Sequitur altera aduersariorum tuorum ratio, quòd scilicet non in præsente Dici, sed in præterito tempore Dictum fuisse, ait Christus. Ad hoc quid tu respondeas, nõ inuenio. & tamen responsione dignissimum erat. Nam, cum pergerent Scribæ, & Pharisæi populum docere, & subinde statis diebus Legem populo recitarent, atque explanarent, certè, si de recitatione, atque explanatione ista loqui voluisset Christus, non semper, idq; lectum Dictum est, sed dicitur semel saltem, atque iterum dixisset. Hoc dico, quia fortasis prȩter Hebræi sermonis consuetudinem, præteritum pro præsente tempore sæpe vsurpat, valde huic simlem etiam alioqui (vt quidem tibi videtur) locum afferre possis, in quo præterito tempore pro præsente idem Christus vsus fuerit, cum ait, *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi, &c. Vnde*

Matth. 23. 1.

binō videtur dubitandum, quin Sederunt pro Sedent dictum fuerit. vel, quemadmodum ibi, etsi Scribæ, & Pharisæi sedere pergerent, seu mauis idemtidem adhuc sederent in Mosis cathedra, tamen a Christo dictum est Sederunt, non autem Sedent, si hoc loco, etsi pergerent iidem populum docere, & adhuc subinde id facerent, non tamen Dicitur, sed Dictum est, Christus dixerit. Verùm potuit Christus eo in loco semel figura illa sermonis, siue idiotismo vti, nullum enim periculum erat, ne satis mentem suam explicasset, cum statim ea verba adiuncturus esset, *Omnia ergo, quecunque dixerint uobis, seruate, & facite*, &c. ex quibus apparet, eum de re adhuc præsente loqui, & quæ idemtidem fieret, ac facienda esset. At in loco nostro & nimis sæpe eam locutionem vsurpasset, & vbi manifestum erat periculum, ne in alium sensum, quàm ipse voluisset, eius verba acciperentur, vt reipsa comprobatum est. Mitto, quòd illud Sederunt emphasim quamdam habere videtur, & nō pro Sedent dictum, aut alia significatione, quàm ipsius præteriti temporis. Perinde est enim, iudicio meo, ac si Christus dixisset, Occuparunt Scribæ, & Pharisæi Mosis cathedram, sese q; in ea collocarunt. Qui loquendi tamen modus per se, non quidem quia præteritum tempus pro præsente vsurpetur, sed propter ipsius rei naturam, & verborum propriā vim actionis continuationem designat, adeò vt ad præsens quoq; tempus id, quod dicitur, pertineat. qua rei natura, ac propria vi carent illa verba, Dictum est, quæ effectum quidem eius, quod dictum fuit, adhuc permanere, aut perinde esse, acsi adhuc idem diceretur, non negant, Cæterùm actionis ipsius continuationem nullā significant.

Restat tertia ratio. quòd in vna parte Christi verborum, cui alteram opponit, ipsa verba Legis recitantur. Quod tu ipse fateris in responsione ad tertiam, quam facis, aduersariorum obiectionem pa. 222. his verbis, *Citatur quidem in hac iusticiarum collatione a Iesu Christo textus Mosis.* Idq; alibi quoq; cōcedis. Sed ais, citari vnà cum ipsis appendices Scribarum, & Pharisæorum, quibus scilicet sua verba opponere voluit Christus, non autem ipsi Mosis textui. quem ideo citauit, non vt ipsum abrogaret, sed vt, vel sic, suam iusticiam (ita loqueris) vanam Scribæ, & Pharisæi colligerent. Atq; adeò appendices Scribarum, & Pharisæorum vnà cum Mo-

Palæologi audacia.

sis textu a Christo citari, affirmare audes, vt non veritus sis eadem pag. 222. ea verba scribere, *quibus* (verbis Mosis) *ut hic narrat Evangelista Scribæ & Pharisæi suas coniungebant appendices.* quasi verò euangelista id lectorem moneat. qui tamen Christi tãtùm sermonem recitat, ex quo id nequaquam intelligi potest. Nam quas appendices (rogo) Scribarum, & Pharisæorum citat Christus in præceptis Legis recitandis de non occidendo, de non mœchando, de non peierando? immo etiam in illis Legis verbis commemoratis, quæ ad vxoris dimissionem, & ad talionis legem pertinent, quamuis non integrè ea cõmemoret? Qua tota de re explicatum est a nobis supra cap. 4. An non certissimum est, ne somniari quidem posse, illum alibi appendices Scribarum, & Pharisæorum recitare, præterquam in præcepto de proximo diligendo, cuius tu propterea solius hîc exemplum proponis? Quod tamen factum ab ipso fuisse, nullo modo asseuerari potest, cum ea pars, *Et odio habebis inimicum tuum*, non appendix Scribarum, & Pharisæorum, sed vel pronunciatum ipsius Legis, quod hodie non extet, vel certe Legis ipsissima mens censeri possit, vt ante dictum fuit. Atq; hoc posterius inter ea, quæ alibi a nobis disputata sunt, vel ex eo satis constat, quòd Lex, ne a filiis populi sui acceptas iniurias Israelitæ recordarentur, prçcipiebat. Vnde intelligi poterat, eorum, qui ex eodem populo non erãt, quosq; sub Inimici nomine potissimùm in verbis illis, *Et odio habebis inimicũ tuum*, vt supra demonstrauimus, intelligere oportet, istorum, inquam, iniurias recordari, & porrò eos odio habere, Israelitis a Lege permissum fuisse. Quamobrem futilis planè est ista tua ad hanc aduersariorum tertiam rationem responsio. Et idcirco, cum ne vnam quidem ex tribus illis eorum rationibus labefactare potueris, nedum vt omnes, quemadmodum necesse habebas, euerteris, certum esse potest, id verissimum esse, quod illi earum vi concluserant. in priore scilicet parte verborum Christi ipsa Mosis præcepta contineri, quibus in posteriore sua dicta opponit. Nam, quæ tu ad contrarium probandum in medium affers, nullius momenti existimari debent, vt paulo post videbimus. Priùs enim tuorum aduersariorum sententiatribus præterea rationibus a nobis est confirmanda, siue tua conuellenda. quarum duas ipsa Christi verba, de quibus agitur, *non prius*,

nùs, quàm tres illas ab ipsis Racouiensibus allatas, suppeditant. tertia verò aliunde petenda est.

Duarum igitur priorum vna erit, quòd, si Christus non de ipsis tantùm Mosis prçceptis, sed de interpretamentis simul Scribarum, & Pharisæorum agere voluisset, ipsorum Scribarum, & Pharisæorum nomen non reticuisset. nec simpliciter, idq; perpetuò, vt fecit, dixisset Dictũ est, sed semel saltem Dictum est a Scribis, & Pharisæis. Nec enim reuerentia, aut timore aliquo fortasse ductum eorum nominibus Christum parcere voluisse, credendum est, quos nominatim cum paullo ante iustitiæ ad intrandum in regnum cælorum minùs aptæ damnauerat, tum verò postea aperiter sçpe increpuit, atq; obiurgauit, & cum de lege Dei suis mandatis ab ipsis irrita facta disseruit, tunc in os quòq; eos reprehendere, ac vituperare non dubitauit. Nec verò satis eos nominasse, satisq; indicasse, ipsos eos esse, a quibus ea dicerentur, quæ dicta essent, auditum fuisse ait, propterea existimari potest, quòd ipsorum antea mentionem fecisset in illis verbis, *Nisi abundauerit iustitia uestra plus, quàm Scribarum, & Phariſæorum, &c.* Nam, vt cætera omittam, ea verba, vt supra disputatum est, non ad sequentia, sed ad antecedentia referri debent. *Matth. 15. 23. Mar. 7.*

Altera ratio est, quòd si Christus, vt tibi videtur, ea, quç antiquis dicta fuisse affirmat, ab iis, quibus loquebatur, dum dicerentur, audita esse dicere voluisset, non ἠκούσατε, ὅτι ἐῤῥέθη, siue Audistis, quòd dictum est, sed ἠκούσατε, ὅτε ἐῤῥέθη, siue audistis, cum dictum est, sine dubio apud Matthæum scriptum legeremus. Hçc enim verba, Audistis, quòd dictum est, numquam aliud significare poterunt, quàm Ad aures vestras peruênit, id est Accepistis, dictum fuisse, nec vllo modo, nisi pessimè loqui velimus, hac loquendi ratione vti poterimus, cum quempiam aliquid tunc, cum diceretur, audiuisse, significare volumus.

Tertia, quæ restat ratio, omnino suadet, Christum hoc loco mala Scribarum, & Pharisæorum Legis interpretamenta aliqua, cum ipsam Legem in synagoga exponerent (nam huc a te Christi verba trahuntur) minimè reiicere voluisse. Etsi enim Christus, vt modò dicebamus, illos grauiter alibi accusat, quòd mandatis suis Dei mandata irrita fecissent. (Quare & ingredi volentibus *Matth. 23. 14. 16. 12. 23. 18.*

tibus eos claudere regnum cælorum, & cauendum esse a Pharisæorum doctrina dixit) ac præterea alicubi eorum theologiam videt, vt cum dicebãt, nihil esse, si quis per templum, aut per altare, sed multum, si per aurum templi, aut per donum, quod super altare esset, iurasset, tamen nusquam eos eo nomine reprehendit, quòd ipsam legem Mosis populum docentes, aut docere se profitentes, Mosis verba suis siue interpretamentis, siue additamentis peruerterent, atque corrumperent. Quin potiùs aperte & turbam, & discipulos suos monet, vt ea faciant omnia, quæ Scribæ & Pharisæi in cathedra Mosis sedentes docerent, secundum tamen opera eorum facere nolint. Ex quo satis constat, eos, cum ipsam Mosis legem populo in synagoga exponerent, eam, vt par erat, tractasse, atque ob eam rem statim addit Christus, *Dicunt enim, & non faciunt.* Quod quanam ratione dicere potuisset, si, vt ex tua mentis ipsius Christi hoc loco, de quo disputamus, interpretatione sequitur, & ipse constanter affirmas, illi tot præcipua legis Mosaicę præcepta suis appendicibus, dum eam publicè docerent, aut recitarent, deprauare, & tantùm non funditus euertere conati sueuissent? Nam, quam tu ad hunc nodum soluendum eorum Christi verborum explanationem alicubi attulisti, eam nos inferiùs alio loco, Deo volente, planè ineptam esse demõstrabimus.

Sed iam videamus, ecquid tu contrà afferas, id est quibus rationibus ostendere coneris, Christum hoc loco nequaquam Mosis præceptis sua opposuisse, vel cum Mosis iustitia (vt tu loqueris) suam contulisse. Primùm ad vtrumq; probandum ea ratione vteris, quòd iam satis præfatus fuisset, se de iustitia hoc est, vt tu alibi interpretaris, de iustitia recitationis Legis Scribarum, & Pharisæorum disputaturum, eamq; correcturum in illis verbis, *Nisi abundauerit iustitia uestra plus, quàm Scribarum, & Pharisæorum, non introibitis in regnum cælorum.* Atque hanc rationem tamquam eam, cui plurimum confidas, idemtidem in tuis scriptis repetis, atq; inculcas, huc dicens esse referendũ vniuersum Christi sermonem. Sed nos ad eam penitus conuellendam satis esse credimus ea, quæ initio cap. 4. disseruimus. ad quem locum lectorem reijcimus.

At deinde, vt separatim probes, Christum sua dicta dictis non sis non opposuisse, quæ hîc Christus præcipit, Mosis præceptis contraria

contraria non esse, demonstrare aggrederis. Tunc enim (inquis) opponerentur dicta dictis, si, cum Moses priuatis dicat, Non occides, Non mœchaberis, &c. Christus (iisdem priuatis scilicet) diceret, Occide, Mœchare, &c. vel, cum Moses magistratui dicat, Oculum pro oculo, &c. Christus (nempe eidem magistratui) diceret, Non oculum pro oculo, &c. Quod cum Christus non faciat, omnino perperam dici ais, eum sua dicta Mosis dictis opponere.

Hæc tua ratio, quæ scripta est pag. 221. non modò tuam causam nō iuuat, sed etiam, vt postea videbimus, alias rationes tuas, & proinde ipsam causam insigniter labefactat. Non iuuat certè causam tuam, quia, quidquid eius vi concludas, nihil de re ipsa, sed de verbis tantùm egeris, & aduersarios tuos non quidem male sensisse, sed non bene, quod sentiebant, verbis expressisse, obtinebis. Atqui non de verbis, aut locutionibus, sed de re ipsa, & de sententia inter vos quæstio est. Sentiunt autem aduersarii tui, Christum dedisse præcepta non quidem contraria præceptis Mosis, sed ab illis diuersa. diuersa, inquam, quatenus iis perfectiora, & absolutiora sunt. Perfectiorem enim multò atque absolutiorem charitatem, patientiam, dilectionem præscribunt, atq; proponunt, quàm illa præscripserint. Hæcque ex ipsorum aduersariorum verbis apertissimè constant pag. 61, & 78. Nam, hoc evicto, id habent, quod quærunt. Nolunt enim, te ex eo, quod sub Mose facere licuerit, argumentari posse, idem sub Christo licere, quasi illa prorsus inter vtriusque moralia præcepta intersit, & Christi præcepta nihil ampliùs iubeant, quàm Mosis præcepta iusserint. Nec tamen interea verbis vtuntur, quibus aliud dicant, quàm sentiunt. Neque enim ex eo, quòd affirmant, Christum sua dicta Mosis dictis opponere, colligi rectè potest, eos asserere, Christi præcepta Mosis præceptis esse contraria. Nam quis est, qui nesciat multiplicem vsum, & significationem verbi Opponendi? Opponitur rei alicui nō id tantùm, quod cum ea pugnat, sed illud etiam, quod cum ea confertur, atque ea ratione (vt ipsum verbum propriè notat) ex altera parte ponitur, præsertim si id, quod confertur, tamquam præstantius aliquid, atque eius rei, cum qua confertur, loco reponendum, cōferatur. Quoniam igi-

tur sentiunt, vt dictum est, aduersarii tui, Christum sua præcepta cum Mosis præceptis conferre, eaq; tamquam illis perfectiora, illorum loco populo seruanda proponere, idcirco sua dicta Mosis dictis cum opponere, propriè loquendo, dicere potuerit.

At enim dices, aduersarios præterea addidisse, Christum Mosis legem corrigere. Quid ni, quamuis contraria præcepta non dederit? Satis est enim, vt Christus Mosis legem correxisse iurè dici possit, eum perfectiora mandata dedisse, & legi illi aliquid deesse, docuisse. Cui enim aliquid deest, id rectum nondum appellari potest, donec id, quod deest, ei addatur, atque ita rectum fiat, & porrò corrigatur. præsertim si, antequam illud, quod adhuc deerat, adderetur, iam pro re vndique absoluta ac perfecta habebatur, idq; ipsum prę se ferebat. Eiusmodi autem erat lex Mosis ante Christum. qua nihil absolutius, aut perfectius fieri posse credebatur, quæq; tãquam talis data fuisse videri poterat. Quod cum contrà se habere Christum docuisse, & aliquid multò perfectius atq; absolutius attulisse, tui aduersarii sentiant, certè ad id significandum eam legem, tamquam non id habentem, quod polliceri videbatur, ea ratione a Christo correctam fuisse, meritò dixerunt. Adde quòd Christus planè Legem corrigit, si non paucа, quæ vel tacitè, vel apertè a Lege permittebantur, ipse apertissimè vetat, nec vlla ratione sub Euangelio permittenda esse, perspicuè docet. Atqui id omnino sentiunt, atque contendunt aduersarii tui. Quare iam vides, tametsi verum est, quod dicis, Christi præcepta Mosis præceptis contraria non esse, neque aliter sentiunt aduersarii tui, tamen ipsos neque contra veritatem, neque contra suam ipsorũ sententiam locutos fuisse, cum Christum sua dicta Mosis dictis opponere, Legemq; corrigere affirmarit. Quo circa aliud ipsis obiicere debes, si eos malè locutos fuisse ostendere velis, quàm id, quod hoc loco de Christi præceptis, quòd Mosis legi non aduersentur, disputasti.

Nam, si id obiicias, quod deinde in hac tua ratione explicanda subiungis, Christum, cum, exempli caussa, ne fratri conuicior, mur, præcipit, id dicere, quod fieri necesse est, si legem de non occidendo (a Mose scilicet latam) obseruare cupimus, & ita nihil non modò contrarium legi Mosis, sed ne diuersum quidem, aut exactius

exactius Christum attulisse dicas, quàm Moses attulerit, sed tantummodo eius mentem interpretatum fuisse, Respondeo, te hîc principium (vt loquuntur) petere. Nam de hoc potissimùm disputatur, vtrùm Christi præcepta interpretamenta, an verò additamenta sint ad Mosis legem. Tui autem aduersarii additamenta esse affirmant, atq; eiusmodi additamenta, vt & sua dicta dictis Mosis opposuisse, & Legem correxisse Christus iurè dici possit, quemadmodum, quę Mosis dictis subiungit, & suis præfatur vbique, verba illa, *Ego autem dico vobis*, manifestè ostendunt.

Sed addis, Christum numquam leges Mosis correxisse, vel ex eo constare, quòd eas vbiq; coluit, & obseruandas esse mandauit. Hæc tua ratio rectè concluſa fuisset, si Christus nihil aliud, quàm Mosis leges seruandas prȩcepisset. Sed cum, etsi eas seruandas docuit, non tamen solas dixerit, verùm multa prȩterea prȩcepta dederit, negare non potes, quin eas correxerit, quatenus, vt ante diximus, eas perfecit, & multa, quæ illæ, aut tacitè, aut apertè permittebant, fieri vetuit. Neq; enim, cum quis leges aliquas seruandas dicit, eorum, quæ permittuntur, sed eorum, quæ iubentur, rationem habet. Itaq; potuit Christus prȩcipere, vt Mosis leges seruarentur, & simul tamen cauere præceptis suis, ne aliqua fierent, quæ illæ fieri permitterent, modò id, quod ipsæ iuberent, ratum, firmumq; perpetuò maneret.

Ex prædictis patet responsio ad id, quod ab initio dixeras, Christum hîc professum fuisse, se Legem soluere non venisse, & ne iota quidem vnum, aut apicem Legis solutum iri. Etsi enim Christus multa Legi addidit, non tamen Legem soluit, id est, vt ipse ex Paulo eã locutionem interpretaris, Legem abrogauit, sed, quemadmodum alibi supra a nobis dictum est, eam perfecit, & quodammodo pleniorem reddidit, quod & se facturum eodem loco professus fuerat, inquiens, non venisse se, vt solueret Legem, sed vt impleret, hoc est perficeret, idq;, quod illi adhuc deerat, adderet. Nec sanè aliis hîc verbis vti opus est, quàm iis ipsis, quę tu imprudens aduersus teipsum in superiore ratione afferenda vteris, tunc scilicet Christum ex sententia aduersariorum tuorum legem Mosis soluturum fuisse, si, cum Moses dicat, Non occides, Non mœchaberis, ipsi sentirent, Christum e contrario dixisse, Occidito,

Rom. 3. 31.

Palæologi imprudentia.

Mœchator, siue, Occidere, ac mœchari tibi permittitur. Nunc cum hoc ipsi minimè sentiant, immo (quod verum esse ex ipsis Christi verbis valde perspicuum est) eum hisce in rebus multo minùs suis permisisse, quàm Moses Israelitis permisisset, planè contendant, quid est, cur illis, quòd Christum Legem soluisse dicant, aut dicere velint, tribuas, atq; affingas?

Sed adhuc habes, vnde ostendere te posse speres, Christum dicta sua Mosis dictis non opposuisse. Nam pag. 122. inquis, *illi, qui petebat, quid faciendum sibi esset, ut uitam æternam adipisceretur, non aliud proposuit quam uerba Mosis.* Si ad hanc tuam rationem refellendam ea omnia hic congerere velim, quæ possem, lõgior multò sim, quàm præsens institutum requirat. Pauca igitur quędam respondebo, eaq; ad duo capita reuocabo.

Primùm igitur dico, Christum, cum petenti, quid sibi faciendum esset, vt vitam æternam possideret, Mosis verba proposuit, id non ob eam caussam fecisse, quòd scilicet nihil prætereà abiis, qui vitã æternam adepturi essent, planè requireret, quàm vt Mosis legem seruarent, sed ea ratione viam ad alia quædam perfectiora tradenda sibi sternere voluisse. Patet hoc ex eo ipso loco, qui verbis tuis in margine adscriptus est, Mat. 19. cap. Ibi enim, quamuis Christus ab initio dixisset, *Si uis ad uitam ingredi, serua mandata*, tamen deinde, cum adolescens ille affirmasset, se mandata illa, quæ Christus ipse, quænam essent, ab eo rogatus exposuerat, atq; ex Mosis lege recitauerat, a iuuentute sua seruasse, addidit Christus, *Si uis perfectus esse, uade, uende quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo, & ueni sequere me.* Atq; hinc apparet, te non leuiter lapsum esse, cum dixisti, Christum isti nihil aliud proposuisse, quàm verba Mosis. Non initium Christi verborum dumtaxat, & medium, sed finis quoq; spectandus tibi erat. Debuerasq; adolescentem istum imitari, qui, quamuis audiuisset a Christo, si vellet ad vitam ingredi, debere ipsum ea mandata seruare, quæ seruata a se fuisse putabat, tamen hoc non contentus, denuo rogauit, num aliquid adhuc sibi deesset, omnino sentiens non nihil prætereà additurum Christum, quippe qui nondum rem totam aperuisset. Et certè id, quod Christus addidit, cum ad interrogationem magis, quàm id, quod ante dixerat, accommodatum fuit, propter The-

Palæologi lapsus.

sauri in cælo mentionem, qui vitam ęternã apertè declarat, quod in priore respõsione Vitæ mentio non perinde faciebat, cum Vitæ nomine in sacris litteris, etiam tamquam præmii, vita longa, & feliciter inter mortales transacta sępissime significetur, tum verò eiusmodi est, vt nec de eo in lege Mosis aliquid dicatur (nam vbi, quæso, Moses, vt omnia bona vendantur, & pauperibus dentur, præcipit) nec, si rectè intelligatur, singulare præceptum sit isti adolescenti a Christo datum, sed omnibus Christianis commune. Nam alibi dixit ipse Christus, *Omnis ex uobis* (turbæ autem loquebatur) *qui non renunciat omnibus, quæ possidet, non potest esse meus discipulus.* Et hæc volumus satis esse pro respõsionis nostræ ad rationem tuam priore capite. Luc. 14. 33.

Deinde, vt non modò isti loco apud Matthæum, sed illi etiam, qui est apud Lucã cap. 10. a nobis sati sfiat, & aliis simul, siqui præterea sunt similes, Dico, quamuis verisimum sit, Christum ipsi Decalogo, qui Mosis legem, de qua loquimur, continet, multa addidisse, si verba ipsa Decalogi, & sensum, in quem in Mosis disciplina accipiebantur, spectemus, tamen, si spiritualem quemdam sensum, quem ex Christi disciplina præceptis illis Mosaicis accommodare possumus, attendamus, quidquid Christus prȩcepit, ad Decalogi prȩcepta, vt passim hodie in Catechismis (quos vocant) fieri videmus, reuocari posse. Nam & Christus ipse ad præceptum de non adulterando, mandatum illud, ne mulierem, aut certè ne alterius vxorem concupiscamus, reuocauit, & eiusmodi cupiditatem adulterium esse, statuit, quamuis in Mosis disciplina multò aliter esset, quippe qui vel id ipsum, quod Christus præcepit, nusquam præcepisset, vel inter cupiditatem istam, & adulterium manifestè distinxisset. Cum igitur Christus vitam speraré iubet eum, qui Decalogi præcepta seruauerit, si vitam æternam intelligit, & nihil aliud reuera ampliùs requirit, tunc intelligendum est, ipsum sentire, vt ea præcepta ita accipiantur, vt etiam ipsius præcepta, quemadmodum sanè possunt, complectantur. Quamquam eo in loco apud Lucam non ipsa singularia prȩcepta enumerantur, vt fit apud Matthæum, vbi ad alterum hoc caput respõsionis nostræ confugere, vt vidimus, non est opus, sed duo illa generalia præcepta cõmemorantur, dilectionis Dei.

& proximi. ad quæ, omnia singularia præcepta, quę etiam extra Mosem a Christo tradita fuerint, reuocari posse, nemo negare audebit. Multò plura, vt ante monuimus, pro responione ad rationem tuam nos afferre potuisse scimus. Sed hæc pauca in præsentia satis erunt.

At deniq; ad idem probandum, dum ad tertiam aduersariorum obiectionem, quam ipse facis, respondes, eadem pag. 222. ais, Christum nihil feciſſe, aut dixiſſe vmquam, quod non videret patrem facientem, & non audiret patrem dicentem. quasi verò pater nihil aliud, Christo audiente, diceret, nisi id, quod in lege Mosis scriptum extabat, vel aduersarii tui velint, Christum non aptre habuisse, sed ex proprio capite finxisse ea præcepta, quæ Mosis præceptis eum opposuisse contendunt. Nam, quod adiungis, decipi scriptorem responsionis Racouiensium, dum Legis vocem vnius significati esse vbique in sacris litteris existimat, Ego iam, quamobrem id a te dictum fuerit, non video. Non enim de interpretatione verbi Legis hìc vllo modo agitur. sed, omni de verborum significatione controuersia remota, asseritur a scriptore isto, Christum in illis suis præceptis dandis aliud & dixisse, & dicere voluisse, quàm Moses in suis, quæ ibi ipse Christus recitat, aut dixerit, aut dicere voluerit. Debueras autem tu ad probandum, quòd Christus nihil dixerit vmquam, nisi, quod patrem dicentem audiuisset, alium locum citare præter eum, qui in margine adscriptus est Iohan. 5. 19. Ibi enim non de dicendo, sed de faciendo tantùm est sermo. Quòd si idem de dictis, quod de factis Christi censendum esse dixeris, non negauerim. sed eodem prorsus sensu. Quemadmodum igitur, quòd Christus nihil faceret, nisi quod videret patrem facientem, nihil aliud significat, nisi Christum nihil feciſſe, cuius faciendi mandatum, & potestatem a patre non accepisset, non autem (vt tu interpretari videris) quod pater alia ratione, quàm per ipsum non faceret, aut fecisset, sic quòd Christus nihil diceret, nisi quod patrem dicentem audiret, non id significat scilicet, eum nihil dixisse, quod pater alia ratione, quàm per ipsum non diceret, aut dixisset, (vt quidem necesse est te sentire, nisi extra rem locutus esse velis) sed cuius dicendi mandatum, & potestatem a patre non habuisset. Mę autem Christi mandatum

stimentem in illis verbis apud Iohannem rectissimè exposuisse, præter omnes loci circumstantias, quæ id manifestè confirmant, demonstrant apertè, quæ illico subiungit, *Pater enim diligit filium, & omnia demonstrat ei, quæ ipse facit. & maiora his demonstrabit ei opera, ut uos miremini.* Iohn. 5. 20. Nam Videre patrem facientem, & Sibi a patre demonstrari opera, pro eodem Christum dixisse, ex eo, quòd in his superiorum verborum ratio quædã redditur, manifestum est. Demonstrari autem sibi opera a patre, idem planè esse, ac Patrem sibi mandare, & concedere, vt opera faciat, docent verba illa, Et *maiora his demonstrabit ei opera, ut uos miremini.*

Hæc erant, quę hoc loco aduersus sententiam Racouiensium, quòd Christus in eo sermone apud Matth, cap. 5. sua dicta Mosis dictis opposuerit, Legemq; correxerit, a te allata fuerant. Cætera, quæ alibi ad idem ferè, quod hìc dicis, confirmandum affers, supra cap. 4. satis diligenter a me confutata sunt. Quòd siqua adhuc supersunt, ea nõ incommodè aliis in locis infra excutientur. Hic tamen, antequam aliud agamus, id omnino examinandum videtur, quod priore scripto pag. 17. scribis, Christũ videlicet nusquam vocari, aut dici legislatorem. Nam vel ex hoc fortasse probari posse credis, eum nulla præcepta a præceptis Mosis diuersa dedisse. quippe qui (vt pag. 21. repetis) vt appellatus non est, sic neq; etiam legislator fuerit, sed legis Dei vindex, & obscuriorum locorum per manifestiora interpres. Quæ tamen argumentatio fallacissima esse deprehenditur. cum ex eo, quod potius in ipso est, vnumquodq; nominari soleat, nec necesse sit, vt ex omnibus, quæ quis potissimùm facit, nomen inueniat. Christus, quamuis legislator verè fuerit, quia tamen non ad leges ferendas, sed ad seruandum præcipuè venerat, non Legislatoris, sed Seruatoris nomine vocatus fuit, præsertim cum iam aliqua moralis lex a Mose lata fuisset, quam ipse reuera non refixit, aut abrogauit præceptis suis, immo eam confirmauit, sed simul tamen compleuit, atq; perfecit. Quapropter meritò dictum est, Legem quidem per Mosem datam fuisse, gratiam autem, & veritatem per Christum extitisse. Iohn. 1. 17. Quinetiam ne ipse quidem Moses fortasse vsquam disertè legislator est appellatus. Quòd si, cum negas, Christum legislatorem vocatum, aut dictum fuisse, non de ipsissimo nomine tantùm Legislatoris

gistatoris agis, sed (vt quidem debes, & verisimile est) verba alia idem significantia, vnum, aut plura tuo sermone complecteris, atque idem intelligis, quod antea pag. 11. scripseras, non legi Christum vmquã ad populum aliquas leges tulisse, Primùm hoc quoque admodum fallax est argumentum. Satis enim est ad hoc, vt iurè affirmari possit, Christum quædam precepisse, quæ Moses non præceperat, id ita se habere aliis testimoniis comprobare, etiamsi nusquam scriptum extaret (verbi gratia) Christum legem tulisse, aut simile aliud quidpiam. Deinde dico, te memoriâ lapsum non recordatum fuisse, cum ista scriberes, eorum Pauli verborum, licèt vulgatissimorum, *Alter alterius onera portate, & sic adimplete legem Christi*. nec item illorum, *Iis, qui sine lege erant, tamquam sine lege essem, cum sine lege Deo non essem, sed in lege essem Christi*. Sic enim habent in postremis verbis omnes latini vetusti codices, atq; eamdem lectionem planè agnoscit Syriacus interpres. quamquã ne ipsa quidem græcorum codicum vulgata lectio ab hac interpretatione abhorret. Nam & Erasmus, & Tigurini, & quidam alii ea verba, ἀλλ' ἔννομος χριστοῦ, ad hunc modum verterunt, *sed obnoxius legi Christi*. Quid quòd tu ipse in hac responsione tua quinquies minimùm, vt aliud agens obseruaui, aut apertè dicis, aut non obscurè innuis, Christum legem, seu leges tulisse? Primùm enim in initio pag. 98. sic scriptum est. *Atqui si postremo illo tempore priuatus erit, vlcisci suas iniurias non poterit sine culpa trangressarum, à se latarum, legum, &c.* Ex quibus verbis apparet, te sentire, Christum, de quo erat sermo, non solùm aliquas leges tulisse, sed eas tulisse leges, quę priuatam omnem vindictam interdicunt. quo nihil verius dici potuit, cum ante Christum non omnis priuata vindicta interdicta esset, vt ex iis, quę ibidem pra disputata sunt, apertum esse potest. Iã verò de iisdem legibus a Christo latis, pag. 152. ad hunc modum legitur, *Istene est factus Christus, qui leges quas ipse priuatis dedit primus obseruauit, & factus à Deo Magistratus, non obseruat, quoniam Magistratibus has ipse leges non tulit?* Ar deinde in extrema pag. 252. ea verba habentur, *Et hæc est lex charitatis, lata à Christo omnibus Christianis.* Nihil rectiùs dici poterat, quàm charitatis legem aliquam a Christo fuisse latam. Quãdoquidem charitas est nouum illud mandatum Christi, quod tantopere, tamquam verè nouum, eoq; sensu, quo Christus ipsum dabat, Mo incognitum

Palæologi lapsus.

Gal. 6. 2.

1. Cor. 9. 21.

Palæolo. quinquies eadem in re sibi aduersatur.

incognitum, vrgent aduersarii tui, & (quidquid tu alibi contrà dicas) solum potest quæstionem, seu quæstiones vestras decidere, & aduersum te sententiam ferre. Sed deinde iterum ad finem pag. 253. sic scribis, *Quid enim hic prætexes? Christum? cum ille nullas leges tulerit ne accedas ad magistratum, nisi cum pœnitet facinorosum facinoris.* Tria in his tuis verbis notãda sunt. Et priora quidem duo ad id ipsum pertinent, ad quod probandum ipsa verba attuli. Postremum verò ad controuersiam, vtrùm Christus aliquid noui præceperit, omnino spectat. Vnum igitur est, quòd satis innuis, Christum aliquas leges tulisse, cum ais, illum nullas tulisse leges, ne accedamus ad magistratum, nisi &c. Alterum, quòd apertè confiteris, eum tulisse legem quamdam, ne scilicet accedamus ad magistratum, cum facinorosum pœnitet facinoris. Tertium est, quòd, hoc confitendo, confiteris simul, Christum aliquid præcepisse, quod Moses nusquam præcepit. Nam vbi (quæso) istud præceptum apud Mosem inuenies, ne iniuriâ læsus, si lædentem pœnituerit, ad magistratum accedat? Quare, etiamsi nullam latæ a Christo legis mentionem fecisses, tamen ad te in ipsa controuersia, cuius occasione hæc omnia dicuntur, reuincendum satis esset, te fateri, præceptum illud a Christo fuisse datum. Puto autem, te veritate victum ideo & hìc, & superiore loco, vbi reipsa eamdem sententiam scripseras, Ferendi legem verbo vsum fuisse, quòd videres, præceptum istud nouum planè esse, & eiusmodi, vt Christus, cum illud dabat, legem ferre meritò dici posset. Postremò pag. 275. in ipso initio hæc tua verba leguntur. *Quare nos, ut sciatis, à nobis, quãuis in una Dei Ecclesia sumus, differimus: quod nos mandata Christi legimus & exosculamur secundum literam, sed obseruare conamur secundum voluntatem & mentem Christi, diligentissimè cõsiderato & ductu orationis Christi, & exemplo, quod exhibuit Christus in obseruatione legum, à se latarum & collatione aliorum dictorum & factorum Christi, & Apostolorum.* Quid tibi videtur? Numquid contra teipsum adhuc, Christum legislatorem fuisse, negare perseuerabis, qui ita disertè pluribus in locis scribas, eum leges tulisse? Certè, si de simplici aliquo eoque confesso propheta, & Legis interprete locutus fuisses, numquam, quòd leges aliquas tulisset, ei tribuisses. Sed tãta vis veritatis est, vt de Christo loquens, quamuis eum, quod ad hanc partem attinet, pro

Palæologus seipsum refellit.

net, pro simplici propheta, & Mosaicæ legis interprete habeas, tamen ei hunc honorem deferre, quòd leges tulerit, imprudens coactus fueris. Nunc ad reliqua pergamus.

CAPVT IIX.

POSTQVAM aduersarii tui satis se vniuersè atq; indefinitè probasse sperabant, inter Christi, & Mosis præcepta aliquod discrimen esse, ad certa & singularia deinde ipsa vtriusq; præcepta descendunt, &, exemplis prolatis, in compluribus altera ab alteris differre, demonstrare aggrediuntur. Quorum exemplorum iam potiorem aliquam partem supra, dum aliud agimus, satis diligenter examinauimus, atq; eorum præcipuas reprehensiones tuas refutauimus. Quare hic de duobus tantùm videbimus, &, quid tu contra afferas, perpendemus, atq; vbi opus fuerit, tua dicta refellemus. Nam etsi de vtroq; etiam istorum, præsertim verò de priore, de quo mox acturi sumus, non nihil ante disputatum fuit, tamen multis partibus plura, quàm, quę fuere dicta, sunt ea, quæ dicenda adhuc supersunt.

Prius igitur exemplum erit, quòd Moses ob leues causas propter duritiem cordis illorũ populo diuortium permittebat, Christus autem non nisi propter adulterium, illud permittit. Hæc ab aduersariis tuis scripta leguntur pag. 61. a te autem inclusa sunt in obiectione ipsorum sexta, pag. 225. Vbi in responsione negas, Mosem ob leues culpas, aut propter aliam causam, quàm illam vnam a Christo allatam diuortium, siue vxoris repudium permisisse.

Quoniam verò videbas, quàm apertè tibi aduersarentur verba illa Christi, *Moyses ad duritiem cordis uestri permisit uobis dimittere uxores uestras*, ais necesse esse, vt Christus aliud dicere voluerit, quàm verba ipsa præ se ferant. cum nusquam extet apud Mosem licentia dimittendi vxores quamuis ob causam.

Matth. 19. 8.

Hoc, Palæologe, nihil est. Nam, etiamsi verba accipiantur, vt sonant, non tamen, necessariò sequetur, Christum dixisse, a Mose permissum fuisse, vt vxores dimitterentur quãuis ob causam, sed tantummodo sequetur, Mosem, teste Christo, permisisse, vt ob multas causas vxores dimittere liceret. Hanc enim vim omnino habent indefinitæ eiusmodi enunciationes. quamuis ita etiam accipi possint, vt perinde sit, ac si vniuersalibus verbis concepte forent, & idem cuipiam videri queat, si quis simpliciter dicat. Licet

Licet dimittere vxorem, ac si addat, Ob quamuis causſam. quemadmodum supra cap. 4. dictum fuit. Verùm, vt diximus, modò ob multas causſas vxorem dimittere liceat, veriſsima nihilominus erit, & propriis verbis concepta enunciatio iſta, etiamſi non ob quamuis causſam id facere liceat. Nam ſi (exempli causſa) aliquis diceret, te ſentire, populo chriſtiano licere bella gerere, vereaque propriè loqueretur, quãuis nõ ſemper, neq; ob quamcumq; causſam id ei licere ſentias, ſed tunc demum, cum causſa iuſta fuerit. quod cum (vt tibi quidem videtur) multis modis contingere poſsit, rectè indefinitis verbis enunciationem ſuam ille concepiſſet. Igitur, ſi probatum fuerit (vt poſtmodũ fiet) a Moſe ob multas causſas permiſſum fuiſſe vxorem dimittere, iam apparebit, nihil eſſe, cur dubitari poſsit, quin Chriſtus verè, ac propriè locutus fuerit, cum dixit, Moſem Iudæis permiſiſſe, vt vxores ſuas dimitterent, aut aliter, quàm præ ſe ferant, verba eius accipienda ſint, etiamſi vel non appareat, ob quamuis causſam id Moſem permiſiſſe, vel etiam, ob aliquas causſas non permiſiſſe, conſtet. Nec verò Phariſæi ipſi, cum ea verba dixerunt, *Quid ergo Moyſes mandauit dari libellum repudij, & dimittere?* (quod ita ſe habere Chriſtus confirmare videtur) ob quamuis causſam vxorem dimittere, a Moſe permiſſum fuiſſe, dicere voluerũt, quemadmodum tu in fine pag. 211. ſcribis, ſed ob aliquas. Hoc enim nõ ad id ipſum confirmãdum, de quo planè ſe dubitare Chriſtum interrogantes oſtenderant, ex Lege attulerũt, nimis enim ineptos, aut inſidioſos ſe prodidiſſent, ſed Chriſti reſponſioni obiecerunt. qui ſimpliciter negauerat, vxorem dimittere licere, & quod Deus coniunxerat, ab homine ſeparari non debere, affirmauerat. Ac ſi dicerent, Quomodo ergo locum habebit præceptum Moſis, qui repudii libellum vxori dimittendæ dari mandauit, ſi verum eſt, quod ais, vxorem dimittere non licere? Cum enim ob vnam tantùm ſtupri causſam id licere, vt deinde explicuit, ſentiret Chriſtus, rectè, non licere, ſimpliciter dicere potuit. Hinc apud Marcum, & Lucam, nulla nec ante, nec poſt exceptione addita, negat præcisè Chriſtus, licere vxorem dimittere, & aliam ducere. Vnde illorum errori occaſio data eſt, qui, ne propter adulterium quidem, id licere volunt. Non ſunt igitur (niſi aliud afferas) Chriſti verba aliter, ac ſonant,

Matth. 19. 7.

Mar. 10. 11.
Luc. 16. 18.

accipienda. &, cum dicat, Mosem permisisse Iudæis, vt vxores dimitterent, id ob multas causas licuisse, est intelligendum. Immo, si nihil præterea quærendum est, quàm, vt Christus Pharisæorum dictum confirmauerit, satis est, eum voluisse dicere, a Mose ob nonnullas causas repudia permissa fuisse. qua de re cum ab ipso aliter statuatur, quin inter ipsius, & Mosis præcepta euidens discrimen appareat, nullo pacto negari potest.

Sed operæpretium est videre, quomodo tu Christi verba interpretanda esse sentias, & quomodo, a Mose ipso ob solam illam causam repudia permissa fuisse, demonstrare tentes. Igitur in extrema pag. 134. sic scribis, *Ad hunc autem modum ordino textum: Moses etiamsi ob duritiam cordis uestri permisisset uobis repudiare uxores uestras, quamuis ob causam, attamen ab initio non ita erat*, &c. Subiungis deinde quatuor causas, quare ita ordines textum. quarum primam, & tertiam supra refutauimus. Quamquam quid attinet primam refellere, cum ea verba, *Nisi abundauerit*, &c. 5. Matthæi capite scripta sint, ea verò, de quorum hîc interpretatione quærimus, capite 19? illa Christus discipulis suis, hęc verò Pharisæis dixerit, Agnoscis, vt arbitror, turpem lapsum tuum, cum verba ipsa per se, neque eodem tempore, neque iisdem dicta vtraque fuisse, aut dici potuisse, satis apertè doceāt. Quod verò ad tertiam caussam pertinet, ea, vt ante monuimus, interpretationem istam tuam planè destruit. Nam, si ob eam caussam, quòd Christus non Maioribus vestris dixit, sed Vobis, eum non de eo, quod Moses dixisset, qui maioribus eorum, non autem iis ipsis, quibuscum loquebatur, leges tulerat, sed de eo, quod Scribæ, & Pharisæi tunc dicerent, verba facere necesse est, certè non Etiamsi permisisset, quod ad Mosem ipsum omnino referendum esset, sed Permisit, vt ipsa verba habent, legendum est, vt scilicet ad Scribas, & Pharisæos referatur, qui reipsa vxores dimittere permittebant. Quod quia, tamquam a Mose traditum, populo (vt tibi videtur) obtrudebant, propterea ipsum Mosem id fecisse Christus dicere potuerit, interpretibus scilicet (vt ipse loqueris) Scribis, & Pharisæis. Itaque vides, quàm nō modò tuo more parum tibi constes, sed quàm etiam a teipso quodammodo abalienatus videare, qui duorum, quæ inuicem repugnant, alterum ad alterius confirmationem af-

Palæologi lapsus.

Palæologi inconstantia.

Palæologi lapsus.

Sed

Sed de secunda,& quarta causſa videamus. In quibus illud primùm a te peccatum est,quòd vnicam causſam in duas ineptè dissecuisti. Sic enim dicere debueras. Cum & Deus ab initio, ipso Christo teste, & Christus postea ob stupri causſam repudium permiserit,atq; ob hanc solam causſam Moses repudiũ permittat,necesse est fateri,Mosem in repudio permittendo nihil feciſſe,quod Christus vlla ratione improbare posſit, siue Dei ordinationem, siue id, quod ipse constituit, considerare velimus. Sed Christus improbat id, quod de Mose repudium permittente præ se ferunt ipsius verba illa, *Moses ad duritiam cordis uestri permisit uobis dimittere uxores uestras*. Igitur hęc verba aliter,ac sonant,sunt accipienda,nec intelligendum est,Mosem permisiſſe,&c. sed, Etiamsi Moses permisiſſet,&c. Ad hunc modum, inquam,te vnicam hanc causſam explicare oportebat, non autem ex ea duas facere, Vnam, quòd Christus ob stuprum repudium permittat,& hanc solam causſam Moses benè intellectus in legibus datis adferat,Alteram,quòd Deus, teste hîc ipso Christo, ab initio ob stupri causſam matrimonium dissolui posſe voluerit,& hanc solam causſam Moses inter leges apposuerit. Nec enim satis est,alterutrũ, sed vtrumq; verum esſe oportet. Nam, si vel Deus ab initio, vel Christus postea ob ipsum stuprum repudium nõ permisiſſet, satis habuiſſet Christus ad Mosis permisſionem istã improbandam. Deinde in eo errasti, quòd vtrobiq; id planè retices,sine quo argumentationis tuę nulla vis est, &, quo non explicato, quid tibi velis, vix quisquam intelliget. Retices autem, Christum id improbare, quod Mosi tribuere videtur. Iam verò ista tua siue vnica,siue duplex causſa eo solo fundamento nititur, quòd Moses ob stuprum dumtaxat diuortium permiserit. Quod sanè ineptè factum censeri debet,cum hoc illud ipsum sit, de quo potisſimùm controuertitur, cuiusque contrarium ne ex Christi verbis illis probari posſit,idcirco inauditam istam eorum interpretationem commentus es. Verumtamen, si, quidquid, vt id probes, a te dictum fuerit, falsum esſe fundamentum istud demonstrabitur, corruet illico vniuersum hoc ędificium tuum, & simul totâ causſâ cades, ac fateri necesse habebis,Mosem non consentire cum Christo, qui manifestè ob solum stuprum diuortium permisit.

Palæologi peccatum.

Palæologi errata.

Sed, antequam id demonstrare aggredior, ea perpendere libet, quæ in explicanda quarta tuæ verborum Christi interpretationis caussa scripsisti. Ais igitur, Et *illud [in causa est, ut ita ordinem textum] quod cum Iesus Christus narret, quanam ratione ordinatum fuerit ab initio matrimonium, stupri causam inter illa quæ Deus ordinauit ad matrimonij dissolutionem recitet, quam solam Mosem, apposuisse inter leges nidemus.* Hæc tua verba eam sententiam continent, quæ & id, quod ipsis probare quæris, insigniter labefactat, & falsa est, & demiq; cum eo, quod paullo ante dixeras, euidenter pugnat.

Quid enim tuæ ipsius interpretationi, quam his verbis confirmare studes, magis contrarium videri potest, quàm Deum ab initio non stupri causſam tãtùm, sed alias quoq; causſas ad matrimonium dissoluendum cõstituisse, vt tu hìc satis apertè dicis? An non eam interpretationem, quamuis eiusmodi, quæ risum legenti mouere possit, idcirco commentus es, ne Christus fateri videatur, a Mose ob alias præter stupri causſam vxores dimittere permissum fuisse? Atqui, si Deus ipse id fecerat, quid causſæ est, cur Moses facere non potuerit? Hìc sanè, mi Palæologe, tam fœdè es lapsus, vt dubitari non possit, quin aliud ageres, cum hæc scriberes. At dices fortasse, verbum *ordinauit* in verbis tuis cum iis, quę statim sequuntur, *ad matrimonii dissolutionem*, coniungendum non esse, sed cum ipsis priora illa, *stupri causam*, vel posterius illud, *recitet*, coniungi debere. Certè, si ita res se habet, excusandus tamen ego sum, etiamsi te acriter reprehenderim, nulla enim distinctio inter id verbum, & sequentia apposita est. Tu verò accusandus, non dicam, quòd non appoſueris, nam id typographi operarum vitium esse potest, sed quòd ita sine causſa verborum ordinem in oratione inuerteris, & tibi soli imputandum est, si sensus, tãquam tuo multò ipsis accommodatior, ex verbis tuis eliciatur non solùm a tuo sensu diuersus, sed tibi ipsi maximè aduersarius. Debueras enim sic verba tua ordinare, *inter illa, quæ Deus ordinauit, stupri causam ad matrimonij dißolutionem recitet*, &c. Quamquam nimis durè ea verba, *ad matrimonij dissolutionem*, cum cęteris cohærere videntur, nisi ea cum verbo *ordinauit* coniugantur. Nolui tamen, præsertim cum alias durissimas verborum structuras in tuis scriptis obseruauerim, hanc dissimulare, si fortè ea ex sensu tuo in verbis tuis esset,

Palæologi lapsus.

Verum-

Verumtamen dic, te obsecro, qua ratione probas, Christum stupri causſam inter illa, quæ Deus ordinauit ad matrimonii dissolutionem recitasse? Legat, quisquis sit, locum ipsum, nemo erit, qui, te falsa dicere, planè non agnoscat. Nam ne vestigium quidem eiusce rei in Christi verbis apparet. Quod enim pag. 132. ais, non constare Christi rationem, nisi (quæ sequuntur sunt ipsa verba tua) *sicut quæ Deus coniunxit homo diſſuere non debet: Ita quæ Deus stupri causſa diſiunxit, homo copulare non tentet.* Istud, inquam, primùm non satis est. Hìc enim non solùm, stupri causſam ad matrimonii dissolutionem a Deo ordinatam fuisse, Christum dicentem facis, sed (vt quidem verba tua præ se ferunt) inter alia, quæ Deus ad matrimonii dissolutionem ordinauit, eam causſam ipsum recitare affirmas. & sic, alias etiam causſas prçter causſam stupri Deum ad matrimonium dissoluendum constituisse, a Christo affirmari ais. Deinde falsum est id, quod in ratiocinatione ista tacitè sumitur, Debuisse scilicet Christum, quemadmodum diuino testimonio dictum suum de non dimittenda vxore confirmauit, sic etiam vnam illam causſam vxorem dimittendi confirmare, quam ipse probaturus esset. In illo enim propterea diuino testimonio est vsus, quia alioquin ostendere non potuisset, Mosem ad duritiem cordis illorum populo vxores dimittere permisisse, non autem, quia sic ab initio esset. In hoc autem ipse, tamquam auctoritatem habens, loquitur, nec alio præterea Dei testimonio indiget. cum satis, superq; a Deo eius verbis testimonium veritatis & iam datum fuisset, & idemtidem daretur. Postremò, dum ita, vt vidimus, ratiocinaris, in eo vehementer erras, quòd hæc duo, Vxorem non dimittere, & Vxorem propter stuprum dimittere, quod attinet ad Dei institutionem, & voluntatem, paria esse vis. cum tamen illud præceptum sit, hoc autem permissum. Quare perperam a te dictum est, hominem copulare non debere, quę Deus stupri causſa disiunxit. Nihil enim propter stuprum disiunxit Deus, sed, disiungi posse, tantummodo concesit. Sed tu, scilicet, vxoris repudium propter stuprum ipsi viro manifestum in Mosaica lege mandatum esse existimasti, quemadmodum ex iis constat, quæ scribis pag. 221. Verùm vt diximus, id non mandatum, sed permissum tantummodo fuit.

Palæologi error.

Restat

Reſtat vltimum, quod verbis, quibus hãc tuam quartam cauſſam explicas, obiiciebamus. Nam paullo ante eis prorſus repugnantia dixiſti, cum ais, *Ab initio ordinati à Deo matrimonii, nulla fit mentio de repudio uxoris, uerum dura & ferrea ætate emergente, Moſes libelli repudii intulit mentionem ob unam cauſam, ſtuprum ſcilicet.* Moſes igitur, vt ibi affirmas, is fuit, qui de repudianda vxore ob vnam ſtupri cauſſam mentionem fecit, cum antea, præſertim ab initio ordinati a Deo matrimonii, nulla eius rei mentio facta eſſet. Atqui hoc ex diametro (quod aiunt) cum eo pugnat, quod in hac quarta cauſſa ſcribis, Chriſtum cum narraret, quanam ratione ordinatum fuiſſet ab initio matrimonium, ſtupri cauſſam inter illa, quæ repugnantia ex iis verbis euidentiùs apparet, quæ ſtatim ſubiicis, *quam ſolam Moſem apposuiſſe inter leges uidemus.* Ex quibus ſolis ſatis conſtat, te hìc ſentire, etiã ante Moſem eam cauſſam dimittendi vxorem extitiſſe, & eam ſolam ex aliis nonnullis Moſem in ſuis legibus retinuiſſe. id quod cum eo cõſentit, quod pag. 132. ſcripſiſti, dum Chriſtum ſic loquentem facis. *Ante Moſis tamen tempora hoc non erat, cum Deus coniugium diſſoluendum non permitteret niſi ſtupri tantum cauſſa, & non quamuis ob cauſam.* niſi quòd tecum ipſe iterum pugnans, ibi apertiſſimè, ante Moſem Deũ nõ niſi ob ſtuprum, hìc verò non obſcurè ob alias etiã cauſſas matrimonium dirimi poſſe, permiſiſſe affirmas.

Palæologus inuicem repugnãtia ſcriblt.

Palæologus ſecum pugnat.

Sed iam, quomodo probes, Moſem ob ſtupri tantùm cauſſam diuortium permiſiſſe, diſpiciamus. Permittit Moſes, vt ex initio cap. 24. Deut. apparet, vxorem propter aliquam fœditatem in ea inuentã dimittere. Tu Alicuius fœditatis nomine ſtuprum clam cularium intelligi debere affirmas. idq; ad hunc modum probare inſtituis. Moſes ait, ſi quis dimiſerit propter aliquam fœditatem in ea inuentam vxorem ſuam, eam pollutam, & abominabilem factam eſſe coram Deo, id quod (inquis) apud Hieremiam quoque extat, vbi ait Deus, eiuſmodi mulierem pollutam, & contaminatam eſſe. Sed pollutam eſſe, abominabilem eſſe, contaminatam eſſe, nihil aliud eſt, quàm ſuſpectã, & infamem eſſe apud maritum de ſtupro. Igitur fœditatem aliquã in vxore inuenire, nihil aliud eſſe poteſt, quàm aliquas & non inanes ſtupri admiſſi cõiecturas habere. Sic enim ex iis apertè colligitur, quę pag. 132, & 133. ſcribis.

Hier. 3. 1, &c.

Iam

Iam attende, obsecro, & quàm grauiter, ac multipliciter in hac tua argumentatione erres, agnosce. Primùm nō omnis repudiata vxor siue apud Mosem, siue apud Hieremiā polluta esse dicitur, sed ea demum, quę alteri viro nupserit. alioquin alteri cā ducere non licuisset. Verùm tu in Mosis verbis recitādis eam partem, in qua de secundis nuptiis fit mentio, astutè omittis, quamuis deinde in- *Palæologi inepta astutia.*
eptè verba illa, *prior maritus*, retineas. quæ sine parte illa cum præcedentibus non cohærent. Erat autem ciusmodi mulier polluta non simpliciter & per se, sed priori viro. Neque enim scribit Moses, eam abominabilem factam esse coram Deo, vt tu, veterem interpretem secutus, eum scribentem facis, sed ait, rem abominabilem corā Iehoua esse, si prior maritus eam iterum ad se recipiat, & pro vxore habeat. vt cuilibet hebræum codicem consulenti constare poterit. Deinde, si pollutio ista ex ipsa fœditate in ea muliere inuenta profecta esset, sequeretur, ciusmodi fœditate a viro reperta, illico, etiam ante repudium, eam mulierem illi pollutam fuisse, & propterea ab ipso eam pro vxore ampliùs haberi non potuisse. quod tamen falsum est. Nemo enim propter quamlibet fœditatem in vxore inuentam eam repudiare necesse habebat. Præterea quid caussæ est, cur affirmes, si polluta ciusmodi mulier erat, necesse esse, vt ea suspecta, & infamis apud virum de stupro fuerit, & fœditas, quam in ea vir reperiisset, aliquæ & non inanes coniecturæ essent stupri admissi? Quis enim tibi concesserit, nulla alia ratione mulierem pollutam sub lege Mosis esse potuisse, quàm propter stupri non inanem suspicionem? Nec enim, si Mosis verba cum iis, quæ apud Hieremiam leguntur, conungas, aliud de muliere ista dictum reperies, quàm, eam pollutam esse, non autem, vt tu affirmas, pollutam esse, abominabilem & caussam tui erroris ostendimus. De Abominabili paullo ante vidimus, De Contaminata idem dicimus, nam eadem ratione hìc quoque es lapsus. legisti enim apud Hieremiam in vetere translatione, *Numquid non polluta, & contaminata erit mulier illa?* Atqui hebræa verba (vt Franciscus Vatablus ea interpretatur) sic habent, *An non polluendo polluetur terra illa?* Itaque vides, & vnicum verbum Polluendi ibi scriptum esse, & illud nō ad mulierem, sed ad terram referri, nihilque præterea vel ex Mo *Palæologi lapsus.*

se, vel ex Hieremia elici posse, quàm, eiusmodi mulierem pollutam esse, & propterea rem abominalem esse coram Deo, si prior vir eam iterum ad se recipiat, terramq; pollutum iri, in quaid fieri contingat. Nec tamen prædictis tuis in argumentatione ista nectenda peccatis contentus fuisti, sed illud etiam addidisti, vt verba, quę apud Hieremiam leguntur, ausus ipse fis fœdè corrumpere, ea verba scilicet de tuo addendo, *& ob id a me repudiata*, nempe vt mulierem quoque illam propter fornicationes suas repudiatam fuisse, incauto lectori appareret. Nec interim considerasti, quàm ineptè similitudo illa explicata fuisset, si ea verba addita essent. Cum enim sine vllo dubio pro eo, quod in eius similitudinis priore parte est Virum alium ducere (vt tu, veterem interpretem imitatus, imperitè loquentem Hieremiam facis) id est Viro alteri nubere, in altera parte sit Fornicatam esse cum amatoribus multis (non autem Tuis, vt ipse scribis) quis non videt, vt similitudo constet, quemadmodum non idcirco mulier illa repudiata fuerat, quòd alteri viro nupsisset, quippe quæ post repudium nupsisset, sic necesse esse, vt nequaquam eo in loco respublica Israelis idcirco a Domino repudiata fuisse dicatur, quòd fornicata esset cum amatoribus multis? Præterea, si ea verba, *& ob id a me repudiata*, apud Hieremiã legerentur, quid tibi opus fuisset, vt mulierem illam propter stupri non inanes coniecturas a priore viro repudiatam fuisse probares, ad id confugere, quòd ea mulier polluta, & cõtaminata inibi esse diceretur? Nonne ex altera similitudinis parte perspicuum fuisset, eam ob stuprum repudiatam fuisse a priore viro, quemadmodum Israelis respublica a Domino, propterea quia cum amatoribus multis fornicata esset, repudiata fuerat?

Palæologi ineptia audacia.

Palæologi lapsus.

Certissimum igitur esse potest, non solùm argumentatione ista tua id non effici, quod opinaris, Mosem videlicet, non nisi ob stupri vnam caussam diuortium permisisse, verùm etiam, vti prædiximus, te in ea explicanda grauiter admodum, ac multipliciter lapsum fuisse. Et sanè, quod ad ipsam totius argumentationis vim attinet, Fœditatis alicuius nomine apud Mosem, admissi stupri tantùm aliquas, easq; non inanes coniecturas intelligere, ridiculum censeri debet, quandoquidem alia multa, quæ fœda sunt, in

mulierc

mulierē inueniri possunt, quæ hîc commemorare non est necesse. præsertim cum satis fuerit, vt ex ipsius Mosis verbis apparet, eiusmodi fuisse fœditatem illam, vt ea mulier in viri sui oculis gratiam non inuenisset. Nec præterea aliam dimissionis caussam fuisse, significare ibi fortasse voluit Moses, nisi quòd, postquam conueniissent, viro vxor non placuisset. Vt, quæ de fœditate aliqua deinde commemorat, exempli caussa commemoret, non autem quia vel dimittendi caussam, vel rationem, cur vxor viro minùs placuisset, ad fœditatem aliquam in ea repertam restringere velit. Certè Tigurini eum locum ita verterunt, *vt si inueniat in ea rem aliquam fœdam*. Nam, si fœditatis tātùm alicuius rationem habere Moses voluisset, verisimile admodum est, eum nullam prorsus mentionem facturum fuisse de non inuenta gratia in oculis viri, & ad hunc modum dicturum, Si vir vxorem acceperit, eamq; habuerit, &, quia fœditatem aliquam in ea inuenerit, scripserit ei, &c. (neq; enim, vt Vatablus monet, est hîc sententia absoluta, sed debet hic versus coniungi cum sequentibus verbis, *non poterit prior*, &c.) Sed quia, quasi aliud agens (vt quidem ego sentio) permittere populo voluit vxores, quæ iusta quauis de caussa minùs gratæ essent, dimittere, propterea non ita locutus est, sed, quòd vxor in viri oculis gratiam non inuenisset, disertè commemorauit, addens pro caussę exemplo fœditatis in ipsa inuentę mentionem, vt, caussam iustam esse debere, ostenderet. Quod quia non ita apertum erat, idcirco haud stultè ambigebant Pharisæi, vel se ambigere simulabant, vtrùm quamuis ob caussam vxorem dimittere liceret. Stulti autem planè fuissent, si ex ipsius Mosis verbis ob stupri tantùm indicia id licuisse constitisset, aut cōstare potuisset. & ineptus ipse Christus videri posset, qui quęstionis eorum vanitatem, & in Mosis verbis intelligendis ipsorum ruditatem apertè non redarguisset. Vt igitur concludamus, cum Fœditatis alicuius nomine non stupri tantùm aliquæ, eæq; haud inanes coniecturæ apud Mosem intelligantur, sed alia non pauca, quemadmodum nomen ipsum declarat, quinetiam non ad solam aliquam fœditatem ipsius verba restringenda sint, satis constare potest, non propter stupri solam caussam, sed propter alias multas Mosem vxores dimittere permisisse, Christique verba, dum ait, *Moses permisit*

misit uobis dimittere uxores uestras, vt sonant, accipienda esse, nec vlla ratione posse, nedum (vt tibi videtur) debere intelligi, perinde ac si dictum fuisset, Etiamsi Moses vobis permisisset, &c. Quod si quis mirabilem istam tuã verborum Christi interpretationem planè ineptam, ac ridiculam esse agnoscere velit, eumdem locum apud Marcum legat in initio cap. 10. Cum enim ibi in Pharisæorum interrogatione non habeantur illa verba, Quamuis ob cauſam, nec Christus in responsione aliquid dicat, vnde colligi possit, eum Pharisæos reprehendere voluisse, quòd permissionem illam Mosis ad quamuis cauſſam pertraherent, sed simpliciter negaret, vxorem dimittere licere, cum tamen ex Mose propter vnam aliquam saltem cauſſam id licuisse constaret, nullum ibi locum inuenire potest interpretatio ista tua. Itaque non opus est, quàm alioquin ea insolens, & fortasse sine vllo exemplo sit, ostendere, & exempla, quæ affers, loco nostro similia non esse, demonstrare. Id tantummodo addidisse satis fuerit, teipsum paullo ante, id est eadem pag. 134. in cuius fine interpretationem istam tuam explicare instituis, nec vllam vel mutatæ sententiæ, vel nouæ Christi verborum explanationis significationem das, longè aliter ea verba explanasse, &, vt sonant, ea accepisse, nisi quòd ineptè eam Mosis permisionem ad casum suspicionis violati thori restringis. Sic enim παραφρασικῶς ea interpretaris, *Ad uitandam duritiam aduersi cordis, seu ad significandã cordis uestri implacabilitatem, indulsit uobis (Moses) dãdi libelli repudij facultatem, cum uiolati thori uobis obrepsisset suspicio.* Quo facto, quædam subiicis, quæ ad huius interpretationis confirmationem, & explicationem pertinent. Deinde addis ea verba, *Ad hunc autem modum ordino textum: Moses etiamsi ob duritiam*, &c. Certè tantam tuam inconstantiam satis mirari non possum, qui eodem orationis filo, tamquam vnicam interpretationem, duas complectaris tãtopere inter se diuersas. Iam verò prior illa tua interpretatio cum restrictione illa nullo pacto sustineri potest. Persicuum enim est, Christum, si eius verba, vt sonant, accipienda sunt, Mosis permisionem non approbare, idque tu, vt supra disputatum fuit, in posteriore interpretatione confirmanda tacitè reprehensa contendis, vt ea ratione euincas, Christi verba aliter, ac prae se ferre videantur, accipienda esse, cum scilicet (vt quidem tibi persuadeas,

Palæologi mira inconstantia.

suasum est)in hac dimittendæ vxoris caussa nihil prorsus Christi præceptum a Mosis permisione discrepet. Quod quàm longè a veritate abhorreat, abunde me demonstrasse confido, & ob eam rem planum fecisse, summâ iniuriâ a te Racouienses fuisse reprehensos, quòd exemplum hoc ad te falsitatis conuincendum attulissent, qui inter Mosis legem, & Christi præcepta in eiusmodi rebus nullum discrimen constituas. Quare iam de altero exemplo videamus.

ALTERVM exemplum diuersitatis inter Christum, & Mosem in moralibus præceptis, quod inter ea, quæ a Racouiensibus allata fuerunt, a tuis reprehensionibus defendendum apertè, ac nominatim susceptmus, illud est, Quòd Moses peierationes tantùm vetat, Christus verò etiam iuramenta omnia, vt ex ipsius verbis patet, in quibus Est est, Non non tantùm dicere iubemur, & quidquid præterea addatur, a Malo esse affirmatur, & propterea piis illicitum. id quod a Iacobo quoq; eiusdem Christi apostolo traditur. Hæc ab ipsis dicta sunt pag. 62. Quę tu in responsione ad septimam, quam facis, eorum obiectionem, pag. 227. refellere instituis. Obiectionem autem breuiter ex eorum sententia his verbis explicas, *Iuramenta permittit lex Mosis, Christus non permittit.* Iam quę pro resp̃sione affers, ad duo referri possunt. Vnum est, quòd nusquam Moses iurare iubeat. Alterum, quòd Moses de iuramento, magistratu deferente, præstando, Christus verò de iurando loquatur, quod sua sponte priuatus iurare velit. Nam, quid hic præterea dicis, id, tamquam vel obiter a te dictum, vel cum reliqua oratione non consentiens, & alibi latiùs, atq; apertiùs a te expositum, multò commodiùs seperatim postmodum excutietur. De priore igitur responsione, seu responsionis parte videamus. CAPVT IX. *Matth. 5. 37.* *Iac. 5. 12.*

Dicis, Mosem nusquam iussisse, vt iuraretur. Sed quid hoc ad rem? Aduersarii tui non dicunt, Mosem iussisse, sed permisisse iuramenta, vel te ipso teste, vt vidimus, in eorum obiectione formanda. Vide igitur, quàm fœdè sis lapsus, & quàm tibi aduerseris. Et ne quis me calumniari suspicetur, cum dico, te pro responsione ad aduersariorum obiectionem afferre, nusquam Mosem iussisse, vt iuraretur, hęc sunt ipsa verba tua pag. 228. post recitationem *Palæologus labitur, & sibi aduersatur.*

quorumdam verborum Legis ad iuramenta pertinentium, Quibus *in uerbis nusquam iubetur iurari*, &c. Et rursus infra, *De iuramento autem lege* Exod. 22, Leuit. 5, Deut. 6, 10, *ubi nusquam iubetur iurari*, &c. Et paullo post ita cõcludis, *Falsum igitur est, quod lex Mosis iubeat iurari*, &c. Prętea quomodo audes affirmare, nusquam legem Mosis iubere, vt iuretur, idq; ex a te prolatis locis concludere, cum, vt infra apparebit, non omnes locos, in quibus de iureiurando apud Moſen agitur, protuleris? Immo verò cum in aliquo ipsorum, quę protulisti, vt iuretur, præcipiatur? Sic enim habetur Exo. cap. 22. 9. *Si dederit quis proximo suo asinum, aut bouem, aut pecudem, & quamuis bestiam ad custodiendum, & [ipsa] moriatur, aut debilitetur, aut abigatur, nemine uidente, iusiurandum Iehouæ erit inter istos duos*, &c. Vbi nemo non videt, ad inueniendam veritatem, & lites cõponendas iuberi a Moſe, vt iuretur.

Palæologi audacia.

Palæologi lapsus.

Quod ad alteram responsionem, seu responsionis partem attinet, quomodo (quæso te) probabis vnquam, Moſis verba de iureiurando tantùm a magistratu delato accipi debere. Certè ad id probandũ nihil prorsus a te affertur, nisi quòd auctoritate quadam tua, de qua ante non semel diximus, planè confisus, hæc verba scribis ad finem pag. prædictæ 227. *Ita autem dicit lex: Non assumes, proponẽte scilicet magistratu, nomẽ domini Dei tui in uanum*, &c. Vide, quomodo verba Legis, quæ nullam prorsus magistratus mentionem faciunt, ex tuo capite supplere, & de magistratu loquentia facere audeas, ne minima quidem ratiuncula allata, cur id a te fiat. Præterea pag. seq. ea verba scribis, *De iuramento autem lege Exod. 22, Leuit. 5, Deut. 6, 10, ubi nusquam iubetur iurari, sed cum iurandum est rerum præteritarum causa, ad inueniendam ueritatem coram magistratu, per quid sit iurandum demonstratur.* In quibus verbis te non audacem modò, vt in superioribus, verùm etiam planè falsum prodis. In eo enim audax fanè es, quòd cum in nullo ex a te citatis locis magistratus iusiurãdum deferentis mentio fiat, nec porrò, nisi in primo, vlla extent indicia, quòd ea iuramenta a magistratu deferenda essent, tamen audes affirmare, ibi de iurando coram magistratu agi. Idem dico de eo, quod consequenter ais, in prædictis locis de iureiurando præteritarum rerum causſa adhibendo verba fieri. Nusquam enim id, nisi in primo eorum locorum, apparet. Iam verò in eo ipso es falsus, quòd

Palæologi audacia.

Palæologi audacia.

fis, quòd asseris, de iuramento rerum præteritarum causſa coram magistratu præstando in illis locis verba fieri, cum in secundo, id est, Leuit. cap. 5. de alio genere iuramenti manifestè agatur. Scriptum est enim ibi ℣. 4, si ipsa hebræa verba attenderis, ad hũc modum, *Aut anima, si iurauerit proferendo labiis, ut malè faciat, uel ut bene faciat, secundum omnia, quæ proferet homo iurando, & absconditum fuerit ab ipso, atque [postea] scierit, & peccauit in unum ex istis, confitebitur, quòd peccauerit ea in re.* Et *adducet sacrificium pro delicto suo Iehouæ*, &c. Nemo tam cæcus esse potest, qui in his verbis de iuramentis super re futura ideoque a magistratu non delatis, agi non videat. Nam magistratus, vt ipse pag. 227. fateris, non super rebus futuris, sed super præteritis iuramenta deferre solet. vt alia manifesta indicia omittam, ex quibus, ibi de iuramentis planè voluntariis priuatorum verba fieri, apertè colligitur. Video enim, quid responsurus sis, vel potiùs, qua ratione id, quod tibi hoc loco a me obiicitur, non diluendum, sed risu excipiendum, sis arbitraturus. Dices enim, me, qui te falsum esse dixerim, verè falsum esse, qui crediderim, locum a te Leuit. cap. 5. citatum eum esse, quem protuli ℣ 4. cum is sit in ipso capitis initio. vbi ex antiqui interpretis translatione scriptum est, *Si peccauerit anima, & audierit uocem iurantis*, siue *adiurantis*, &c. Vnde etiam constare dices, non in primo tantùm, vt ego affirmabam, sed in secundo quoque loco magistratus iusiurandum super re præterita deferentis aperta indicia esse.

Palæologus falsus.

Ad hæc duo, Palæologe, sigillatim responsum accipe. Primùm dico, si istum, non autem, quem ego protuleram, locum eo 5. Leuit. cap. citare voluisti, non me falsum fuisse, qui, vt iam cognoscere potuisti, & mox meliùs cognosces, de te id, quod verum est, hac in parte sum opinatus, &, si verum confitendum mihi est, pro certo habui, sed te non leuiter errasse, & mihi errandi, id est mentem tuam non percipiendi, quantum in te fuit, iustissimam causſam dedisse. Nam quis vmquam, nisi de tua mente aliunde constaret, diuinare posset, te, cum caput illud 5. Leuit. citas, tamquam in quo iurisiurandi priuatorum fiat mentio, eam capitis partem intelligere, vbi eiusmodi iusiurandum nõ nominatur, non autem eam, vbi eius fit aperta commemoratio? Nulla enim de iuramento alicuius priuati hominis in primis istis eius cap.

verbis

verbis fit mentio, sed tantummodo iudicis, seu magistratus (vt ferè sentiunt interpretes) adiurantis priuatum hominem, vt dicat, quid de aliqua re viderit, aut cognitum habuerit.

At enim tu & hîc pag. 229, & supra pag. 141, & 142. affirmas idem esse adiurari, quod sibi iusiurādum deferri, & idem esse (vebi gratia) cum Caiaphas (non autem Annas, vt tu scribis) dixit Christo, *Adiuro te per Deum viuum, ut dicas nobis, si tu es Christus filius Dei,* ac si dixisset (sunt ipsa verba tua) *Iura per Deum viuum, si tu sis Christus, aut non sis.* Et similiter, cum Paulus ad Thessalonicenses scribens, ait, *Adiuro uos per Dominum, ut legatur epistola hæc omnibus sanctis fratribus,* illud, *Adiuro uos*, nihil aliud esse, quàm *Iuramento uos adigo, Et addis, Et si præsens esset, dixisset: Iurate mihi per dominum, quod hanc Epistolam legatis aliis.* Igitur, si hęc doctrina tua vera est, cum dæmoniacus ille Christo dicebat, *Adiuro te per Deum, ne me torqueas*, idem erat, ac si dixisset, Iura mihi per Deum, quòd me non torquebis. Et cum Ephesi Iudæi illi exorcistæ, tentantes nomen domini Iesu super eos nominare, qui malos spiritus habebāt, dicebant, *Adiuramus uos per Iesum, quem Paulus prædicat*, nihil aliud dicere volebant, quàm Iurate nobis per Iesum, quem Paulus prædicat. Quid (obsecro) inlitius, aut ineptius excogitari potest? Nam quis non videt, in his locis Adiurare per Deum, Adiurare per Iesum, siue ὁρκίζειν τὸν θεὸν, ὁρκίζειν τὸν Ἰησοῦν, nihil aliud esse, quàm Obtestari per Deum, Obtestari per Iesum? Quod tu ipse agnoscis in verbis illis pag. 229. *Cum obtestatio per nomen Dei species sit iuramenti, &c.* Nam quod ais, obtestationem per nomen Dei esse speciem iuramenti, nec quidquam ad rem faceret. Non enim hîc quæritur, an is iuret, qui obtestatur, sed is, quem ille obtestatur. Quamquam apparet, te in verbis illis scribendis, lapsum esse, & Iuramenti, pro Delati, aut Deferendi iuramenti, scripsisse. Verùm ne delati quidem, aut deferendi iuramenti speciem obtestationem per Dei nomen esse, ab vllo tibi facilè cōcedetur. Significat quidem aliquādo verbum ὁρκίζω, siue ὁρκίζω iusiurandū exigere, seu curare, aut petere, vt quis iuret, præsertim in græca testamenti veteris interpretatione, quod Adiuro re latinus interpres dixit. Verùm id non est perpetuum. & in duobus locis a te citatis ea significatio neutiquā admittenda est, cum nullo

Palæologi lapsus.

Matt. 26. 63.

1. Thes. 5. 27.

Mar. 5. 7.

Acto. 19. 13.

Palæologi lapsus.

nullo modo, quod ad priorem attinet, verisimile sit, Caiapham voluisse, vt Christus iuraret, sed tantummodo vt, quoniam nihil respondebat, ad respondendum obtestatione illa per Deum viuentem adigeretur. quod etiam euentus comprobauit. Neque enim iurauit Christus, sed simpliciter respondit, *Tu dixisti.* Ex quo etiam intelligi par est, Caiaphæ verba non id esse, quod tu ais, *Iura per Deum viuum, si tu sis Christus aut non sis.* namque ad hęc verba non potuisset Christus respondere, *Tu dixisti.* Sed tu nimirum ea verba ita concepisti, vt ad iusiurandi exactionem meliùs accommodari possent. Nam ipsa quoque verba Caiaphæ recitans, addidisti de tuo ad finem duo illa verba, *aut minimè.* Et sanè, si Caiaphas iusiurandum a Christo exegisset, planè verisimile est, illum aliter, ac fecit, locuturum fuisse, & non modò, vt tu fecisti, postrema sua verba concepturum, verùm etiam dicturum, Adiuro te, vt nobis dicas per Deũ viuum, an tu sis Christus Dei filius, nec ne. Quod perinde fuisset, ac si dixisset, Dic nobis, iureiurando per Deum viuum interposito, an tu sis, &c. non autem, vt fecit, *Adiuro te per Deum viuentem, ut dicas nobis, si tu es Christus filius Dei.* Quòd si tamen ad iuramenti delationem referri posset, nihil aliud, vt ipse ex parte confirmas, esset, quàm Iura per Deum viuentem, te nobis dicturum, an tu sis Christus filius Dei. cuius iurisiurandi petitio, siue exactio prorsus inepta fuisset. Quid enim attinet, cum id quæritur, vt quispiam in præsentia aliquid, nec ne sit, dicat, ab eo petere, siue exigere, vt id se dicturum iuret, cum exigi ab eo possit, vt iam, interposito iuramento, dicat? præsertim si, vt verum dicat, quæritur. Nam, qui iurauerit, se aliquid, nec ne sit, dicturum, periurus quidem erit, nisi dixerit. sed non erit periurus, etiamsi falsum dixerit, non enim, se veritatem dicturum iurauit, sed tantummodo aliquid affirmaturum, aut negaturum. Hæc tu ipse for tasse cum sentires, aut certè aliquam ineptitudinem eius exacti iurisiurandi animaduerteres, astutè verbum Dicendi in tua interpretatione omisisti, ne scilicet videretur Caiaphas exigere a Christo, vt iuret se dicturum, an sit, &c. quod, vt demonstratum fuit, planè ineptum esset, sed vt iuret, an sit, &c. Quãquam haud scio, an apud probatum nullum scriptorem locutio ista inueniatur, & Iurare, an aliquid sit, pro Iureiurando interposito dicere, an ali-

Palæologi technu.

Palæologi astutia.

quid sit, accipiatur. Illud certum est, cum verbum ὁρκίζω, siue ἐξορκίζω iurisiurandi petitionem significat, non solere requiri iusiurandum illud super præsentibus, aut præteritis rebus, quæ in iuraturi potestate non sunt, idque sine determinatione, vtra pars negatiua, an affirmatiua (vt loquuntur) eo iureiurando comprehendi debeat, vt Caiaphæ verba interpretari necesse est, si verbum ἐξορκίζω ibi ad iurisiurādi petitionem aut exactionem referri debet, sed super rebus futuris, quæ ex iuraturi voluntate pendeant, idq; cum determinatione certa alicuius rei, quam is, qui iusiurandum exigit, sibi, iureiurando interposito, promitti velit, quemadmodum græcæ testamenti veteris interpretationis exempla docere possunt. vt Gen. cap. 24. ℣ 3, & ℣ 37. & cap. 50. ℣ 5. & 6. Esdr. 10. ℣ 5. & aliis in locis. Et hæc quidem, quod attinet ad priorem ex duobus illis locis.

Quod verò attinet ad posteriorem, nullo modo admittendum est, Paulum iuramento adigere voluisse Thessalonicenses, præsertim absentes, id est ab illis exegisse, vt iurarent, se lecturos esse epistolam illam omnibus fratribus, cum a præsentibus, non autem absentibus, iuramenta exigi soleant. Nam quòd ais, Paulum, si præsens fuisset, dicturum, Iurate mihi per Dominum, quòd hanc epistolam legetis aliis, multis modis in eo ridiculum te prodis. Primùm, quòd tamquam vates, aut diuinus aliquis id pro certo affirmas, de quo humana ratione nihil cõstitui potest. Deinde, quia minimè credendum est, præsentem quoque simplici per Dominum obtestatione Paulum contentum futurum non fuisse, & temere iusiurandum super re futura, id est vbi, vel ipso teste, ingens periurii periculum est, a christianis hominibus, quibus ne incidant in periurium (vt tibi placet) eiusmodi iuramenta potissimùm interdicta fuerunt, exacturum fuisse. Postremò, quia, etiamsi verum esset, Paulum, si præsens fuisset, iusiurandum a Thessalonicensibus fuisse exacturum, tamen id nihil ad rem faceret. Non enim quæritur, quid Paulus præsens facturus fuisset, sed quid absens fecerit, & vtrùm verba illa, *Adiuro uos per Dominum*, &c, species quædam iurisiurandi exigendi sit, quemadmodum tu affirmas. Nam, si dixeris (vt omnino velle videris) si concedatur, Paulum præsentem a Thessalonicensibus iusiurandum fuisse exactu-

Palæologus multipliciter ridiculus.

rum,

rum, neceſſariò ſequi, vt abſens id, quod tantumdem valeat, exe-
gerit, hic te rurſus nõ vno modo ridiculum prodideris. Primùm,
quia multa præſentes facere poſſumus, quæ abſentes non modò
ipſa, ſed ne eorum quidem paria poſſumus præſtare, aut, ſi poſſu
mus, non ſolemus. Cuiuſmodi profectò eſt iuriſiurandi exactio,
quæ neque ipſa, neque id, quod tantumdem valeat, a nobis, dum
abſumus, fieri poteſt, aut certè non ſolet. Deinde, ſi rectè con-
cluſa eſſet ratio iſta tua, ſequeretur, modum iuramenti exigendi
inter preſentes quidem eſſe, vt apertè, ac diſertis verbis iuſiuran-
dum ipſum exigeretur, inter abſentes verò per eiuſmodi obteſta-
tionem, qua vſus eſt Paulus. Cur igitur Caiaphas, cum præſens
eſſet, a Chriſto apertis verbis iuſiurandum non exegit, ſi (vt tu
quidem affirmas) iuramentum quoddam Chriſto deferre voluit,
ſed ſimplici illa obteſtatione eius, qua Paulus cum Theſſalonicen
ſibus vſus eſt, perſimili contentus fuit?

Sed iam nimis diu in hoc priore ad exceptiones tuas reſpon-
ſionis meę capite immoror, quaſi in initio quincti Leuit. cap. ver-
bum aliquod ſcriptũ ſit, quod verbo græco ὁρκίζω, ſiue ἐξορκίζω pla
nè reſpondeat. cum tamen ibi ſit nomen hebræum אָלָה, quod iu-
ramentũ, vel execrationem ſignificat, ſeu maledictionem. Cumq;
iuramenti ſignificatio ibi locum habere non poſsit, &, ſi poſſet, ad
propoſitum non faceret, cum non de iuramento aliquo iudicis,
aut magiſtratus, ſed priuati quęratur (niſi fortaſſe Moſes, quem tu
ſcilicet, vt ſupra vidimus, imitari volueris, lapſus eſt, & Iuramen-
ti, pro Iuramenti delati, ſcripſit) maledictionis etiam ſimplicis ſi-
gnificatio ad rem non faciat, nam aliquid quærimus, quod (vt ti-
bi quidem videri poſsit) iuriſiurandi exigendi vim habeat, re-
ſtat, vt velimus, ibi execrationis fieri mentionem. Sed execratio,
quamuis propiùs ad obteſtationem accedat. quę tibi vim iuriſiu-
randi deferendi, vel exigendi habere videtur, tamen multò minùs
etiam, quàm obteſtatio, eam vim habere dicenda eſt. Non igitur,
vt tu putaſti, agitur eo in loco de iureiurando, quod homini pri-
uato a magiſtratu deferatur, ſed de execratione, quæ a iudice, vel
coră iudice alicui priuato homini vel nominatim, vel generalib⁹
verbis (vt ita dicam) impingatur, niſi dixerit, quidquid quapi-
am de re aut viderit ipſe, aut alia ratione cognouerit. & ait Mo-

ses, eum, qui execrationem istam audiuerit, nec tamen, quidquid ea de re viderit, aut cognouerit, testatus fuerit, portaturum iniquitatem suam, nisi videlicet delictum suum ea ratione, quam iubi postmodum præscribit, expiauerit. Quis hîc iuramento delato locus esse potest, cum manifestè de dissimulatione tãtùm, aut simplici reticentia agatur? Inquit enim, *Nisi indicauerit*, &c. Idem habes apud Solomonem Prouer. cap. 29. ℣. 24. vbi idem nomen אלה legitur. Nam scriptum est ibi ad verbum, *Partiens cum fure animam suam, execrationem audiet, & non indicabit.* Si in eo Leuit. loco iusiurandum a magistratu delatum fuisse intelligeretur, delictum illius priuati aut in eo esset, quòd iurare noluisset, aut in eo, quòd iuratus veritatem non dixisset, & sic periurus fuisset. Si iurare noluisset, nec Moses simpliciter dixisset, *Nisi indicauerit*, & manifestum eius delictum fuisset, ac contumacia, quæ non sacrificio aliquo, sed pœna quapiam a magistratu inflicta fuisset expianda. Sin periurus fuisset, nec verisimile est, eiusmodi publico periurio sit per re præterita, ac planè comperta, & idcirco prorsus voluntario, quodq; aut cum proximi damno coniunctum, aut certè iurandicendo impedimento est, expiationem aliquam per sola sacrificia constitutam fuisse, nec, si fuisset constituta, eadem esset cum ea, quę periurio priuato, inuoluntario, & per obliuionem admisso, & ex quo nec ius publicum vmquam læditur, & aliquãdo proximo consulitur, constituta fuit. Atqui istius, de quo agimus, delicto, & huic, de quo modò diximus, periurio vna eademq; expiatio constituta est, vt paullo infra eodem capite apparet.

Ex iis, quæ hactenus dicta sunt, facilè intelligi potest, quàm rectè à me tibi obiectum fuerit, quòd falso dixeris, in eo Leuitici quinto capite de iureiurando agi rerum pręteritarum causa coram magistratu præstando, eò quia ibi omnino de alio iusiurandi genere agatur, etiamsi caput illud citando, eius initium intellexeris, cum non nisi in eo initio tacitè magistratus mentio fiat, vbi nullum prorsus nec pręstãdum, nec pręstitum iuramentum cõmemorari, demõstratum fuit. vbi verò iurisiurãdi fit aperta mentio, ibi magistratus (vel te ipso iudice) non commemoretur, & de rebus futuris, non autem præteritis agatur. Intelligi proinde potest, me minimè falsum fuisse in percipiendo, quamnam eius capitis partem

partem citare intellexisses, sed, vt tantò magis error tuus patefieret, cum eius rei iustam caussam haberem, in eo a principio quodammodo conniuere voluisse. Et hæc satis sint pro responsione ad priorem exceptionem tuam, quam ego scilicet pro te aduersus meas ipsius obiectiones attuleram. Altera exceptio a me pro te allata erat, quòd, cum tu non quartum, sed primum eius. 5. Leuit. cap. versum citare volueris, non est, cur tibi obiiciã, quòd in primo tantùm locorum, quos in testimonium adduxisti, iurisiurandi indicia appareant rerum præteritarum caussa coram magistratu præstandi, cum in hoc quoq; loco, qui ex quatuor a te citatis secundus erat, magistratus præteritæ rei gratia iuramentum deferentis satis aperta indicia extent.

Isti exceptioni iam abunde in responsione ad priorem satisfactum est. Nam, etiamsi nõ quartum, sed primum eius capitis versum citare volueris, tamen non minùs errasti, quàm si quartum citasses, cum, vt demonstratum est, tametsi & magistratus, & præteritæ rei ibi mentio fiat, tamen de iureiurando coram magistratu præstãdo nullum prorsus eo in loco indicium extet, immo manifesta appareant indicia, de eiusmodi iureiurãdo nullo modo potuisse ibi a Mose verba fieri. Atq; ita, vt spero, perspicuum est, ea, quæ tibi in posterioribus locis illis in testimonium pro sententia tua adducendis obieceram, optimo iure a me obiecta fuisse. Sed fac, me iniuriâ tibi in testimoniis istis, & superioribus proferendis & nimiam audaciam, & falsitatem obiecisse, in illisq; omnibus de iureiurando agi a magistratu deferendo, num propterea ex illis efficietur, iuramenta, de quibus Moses loquitur, omnia a magistratu deferri? quasi verò in istis solis locis Moses de iureiurando loquatur. qui tamen præterea & cap. 6. Leuit. & toto ferè cap. 30. Num. de iuramento agit. quibus adde ℣. 4. cap. 5. Leuit. si quidem tu non eum locum, sed initium cap. afferre voluisti. Sed & alibi fortasse de eo loquitur. In tribus autem istis locis non modò nulla magistratus iusiurandum deferentis fit mentio, sed in secundo, & tertio de iureiurando, quod quis non quidem coram magistratu, sed alibi sua sponte iurauerit, manifestè agitur, vt iam de tertio ostensum est, & paullo post de secundo ostendetur. Præterea finge, Mosem nusquam de alio iuramento locutum fuisse, nisi de

eo, quod a magistratu deferatur, num continuò verum erit, Mo-
sem inter priuatos in priuatis caussis iuramenta non permisisse?
sic enim, cum te id satis probasse sperares, tãdem concludis in ex-
trema pag. 228. *Falsum igitur est, quod lex Mosis iubeat iurari & quod in pri-
uatis causis inter priuatos permittat iuramenta.* Numquid, vt aliquid per-
missum esse dicatur, necesse est, vt id expressum fuerit, & non satis
est, non fuisse interdictum? Num fortassis aduersarii tui, quos
hîc falsitatis damnas, dixerant, eam permissionem in lege Mosis
expressam fuisse? Atqui illi, eam ob caussam iuramenta sub Lege
permissa fuisse, dixerant, quòd non fuerant interdicta. Cæterum
permissionis, immo ne commemorationis quidem ipsorum iura-
mentorum in lege Mosis disertè nullam mentionem fecerant, sed
ad hunc modum, vt supra dicta pag. 62. apparet, locuti fuerant,
*Sic omnia iuramenta Christus ipse suis uetat, ne omnino iurent. Peierationem enim
tantum uetabantur sub lege, non iuramenta.* Quòd si tu ex eo solo, quod
Racouienses affirmauerint, iuramenta sub Lege vetita non fuisse,
Mosem iuramenta permisisse (& quidem rectè) eos dicentes fa-
cis, cur eadem ratione, vt Lex iuramenta priuata permisisse dica-
tur, non satis habes, quòd ea iuramenta ab ipsa nusquam sunt ve-
tita? Cur præterea, vt disertè eius permissionis mentio fiat, aut
certè, vt ipsa priuata iuramenta apertè a Mose commemorentur,
tibi ipsi contrarius omnino requirere videris? Certè, etiamsi ti-
bi concederetur, Mosem nusquam priuata iuramenta, id est, quæ
a magistratu delata non fuerint, commemorasse, tamen satis in-
gens discrimen, quod ad priuata iuramenta attinet, inter ipsum,
& Christum appareret, quòd hic ea expressè vetuisset, ille verò
minimè. Quamquam non modò non vetuit Moses priuata iura-
menta, sed eorum etiam (quod tu planè negare videris) expressè
meminit, eaq; se permittere eodem tempore apertè docuit. Vidi-
mus supra, quid scripserit Leuit. cap. 5. ℣. 4. vbi non solùm pri-
uati iurisiurãdi mentionem fecit, verùm etiam seruari debere edi-
cuit, cum vel per obliuionem non seruati, tamquam admissi deli-
cti, expiationem constituit. Iam verò Num. cap. 30. de nulla alia
re agit, quàm de votis, & iuramentis, quæ quispiam siue vir, siue
mulier vouerit, & quibus sese ad aliquid faciendum obstrinxerit.
Quæ iuramenta sanè priuata sunt, superq; re futura ad arbitrium

Palæol. sibi contrarius.

iuranti

iurantis facta, non autem a magistratu super re præterita delata, & ad formam ab ipso traditam concepta. de quibus tantùm Mosem locutũ fuisse ais. Nec verò eiusmodi priuata iuramenta præ-dicto loco commemorare satis habuit Moses, sed etiam, a quibus, & quando seruari debeant, disertè docuit, & porrò ea apertissimè permisit. Verùm hæc ipsa iuramenta ea sunt, quæ nominatim vetuit Christus. Sed tu scilicet credebas, dictum illud, *Reddes autem Domino iuramenta tua*, cui præcepta sua de iureiurando Christus opponit, additamentum esse Scribarum, & Pharisæorum, cum tamen, vt supra docuimus, totidem ferè verbis, sed efficacius, & apertiùs id ab ipso Mose dictum fuerit eodem cap. 30. Numer. ¥3. Atque ex his tandem perspicuum est, neutram ex illis rationibus, quibus hoc loco inter Mosem, & Christum in iuramentis interdicendis, aut permittendis nullum discrimen esse, aduersus Racouienses probare te posse sperabas, alicuius momenti esse, & nihil aliud, iis adducendis, te effeciisse, nisi quòd tuorum aduersariorum sententiam non mediocriter confirmasti.

Sed duo præterea, vt ab initio innueram, obiter quodammodo hic dicere videris, quibus aduersariorum obiectionem, quam tu appellas, quamque indoctam esse affirmas, dilui posse fortasse credidisti. Vnum, quòd Moses in suis legibus, vbi de iuramento loquitur, periurium vetet. Alterum, quòd ibidem seriò caueatur, ne super re vana iuretur. Nam, postquam ea, quæ de iureiurãdo Exod. 20, Leuit. 19, & Deut. 5. scripta sunt, recitasti, & nusquam iuberi, vt iuraretur, dixisti, illico addis, *ubique autem periurium prohibetur & cauetur serio ne super re uana iuretur*, pag. 228. Vbi paullo ante manifesta indicia apparent, te in hisce duobus (si tamen, vt postea dicemus, pro duobus ea accipis) nõ minimum momentum ad respondendum aduersariis ponere. Nam, loco Exo. 20. recitato, statim subiicis, *clarius*: *Non peierabis in nomine meo, nec pollues nomen Dei tui* Leuit: 19. *apertius*, *Non usurpabis nomen Dei tui frustra, quia non erit impunitus, qui super re uana nomen eius assumpserit.*

Quod ad prius dictum attinet, non video, quid illud ad rem faciat, cum aduersarii tui non solùm, ne per somnium quidem videri queãt aut dixisse, aut cogitasse, Mosem periuria permittere, quasi hinc discrimen apparere velint inter ipsum, & Christum, qui

qui periuria vetet, sed disertis verbis, vt vidimus, peierationes sub Lege vetitas fuisse, affirment. in eo demum inter Mosem, & Christum discrimen apertissimè statuentes, quòd ille peierationes tantùm vetuerit, non autem iuramenta, hic verò non peierationes modò, sed iuramenta quoque suis omnino interdixerit, vt ante dicta pag. 62. liquidò apparet. Quamquam, quòd Christus periuria vetet, id non ex ipsius verbis colligitur, sed ex sententia, & ex eo, quòd Mosis legem periuria vetantem ab se recitatam non mutat, sed tantummodo iuramentorum interdictum illi adiungit. tantum abest, vt quisquam suspicari possit, in eo Christum a Mose differre, quòd periuria vetuerit, quæ ille permiserit.

Quod verò ad alterum dictũ pertinet, si modò a te, tamquam a priore diuersum, prolatum fuit, propterea id dixisse videris, vt inde intelligi posset, priuata iuramenta, maiore saltem ex parte, a Mose quoque interdicta fuisse. quippe quæ (vt tibi videri potest) plerumq; fiant super re vana, id est (quemadmodum ipse fortasse interpretaris) non necessaria, siue non eiusmodi, quæ iureiurando confirmari debeat. Nam hoc te sentire, cum per se verisimile est, ne planè οὐδ' ἐμ πρὸς ἕπος (quod dicitur) locutus fuisse videare, tum illud vehementer suadet, quòd pag. 137. hæc tua verba leguntur, *Malum enim est & periculi plenum, id quod ita est, ita esse dicere & iuramentum quod ita sit, vana opera apponere, &c.* Vbi apparet, apud te Vana opera iurare, idem esse, ac Sine necessitate iurare. Iam verò, si id sentis, falleris sine dubio, cum hebræa vox שָׁוְא, quam iidem cis a te allatis vetus interpres modò In vanum, modò Frustra, modò Super re vana reddidit, numquam (nisi vehementer fallor) significet Sine necessitate, sed semper falsitatem aliquam, aut quam latini propriè Vanitatem vocant, declaret. Vt, quemadmodum vetus interpres, vti diximus, interdum fecit, commodè Frustra, perpetuò verti possit. Quandoquidem hæc vox Frustra, vt ex doceis linguæ latinæ auctoribus constat, non Incassum modò, sed Falsò etiã, seu Fallaciter significat, non autem vmquam, (quod credam) Sine necessitate. Vocem autem שָׁוְא idem, quod Falsò significare posse, ex eo percipi facile potest, quòd verbum שָׁוְא mendacium, seu falsitatem significare deprehenditur, vt Exo. 23. 1. *Nõ suscipies rumorem* שָׁוְא (pro quo vetus interpres rectè habet non dices)

lacij) id est, vt Vatablus explanat, *Ne sis author falsi rumoris contra proximum tuum: aut fingas in corde tuo, unde illius fama lædi possit, uel, Ne admiseris rumorem falsum.* Et Deut. 5. 20. *Nec respondebis contra proximum tuum testimonium* שׁוְא. vbi שׁוְא pro falsitate, seu mendacio positum fuisse, inter omnes constat, & vetitum ibi esse, ne aduersus proximum quispiam falsum, aut mendax testimonium dicat. Est igitur in locis a te prolatis Legis præceptum, atq; sententia, ne quis per Domini nomen falsò, aut incassum iuret. sed, si super re præterita, aut præsente eiusmodi iusiurandum adhibeatur, sit ea res vera, & iuranti comperta. Sin super re futura, quam scilicet iurans se facturum promittat, fiat omnino id, quod promissum est. non autem, ne quis sine necessitate iuret. Sed tu ipse fortasse non aliter sentis, & pro eodem ferè habes apud Mosem Peierare, & Super re vana iurare. Libuit tamen, vt pleniùs tibi responderem, hæc pauca dixisse, præsertim cum sciam, olim non defuisse, nec fortasse hodie deesse viros eruditos, qui In vanum iurare, apud Mosem pro eo acceperint, quod est Sine necessitate iurare. Inter quos est Sanctes Pagninus, vir in hebræa lingua doctissimus vulgò existimatus.

Itaq; vides, te nihil hoc loco attulisse, vnde concludi possit, malè locutos fuisse Racouienses, qui nihil aliud affirmant, atque contendunt, nisi hanc inter Mosem, & Christum differentiam esse, quòd ille iuramenta non vetuerit, sed tantùm periuria, hic verò vetuerit. Quod sanè maximi momenti est. Nam hinc necessariò sequitur, sub Lege omne iusiurandum, modò sine periurio, iurare licuisse, sub Euangelio verò, etiã citra periurium, iurare non licere, sua sponte scilicet, & sine aliqua necessitate, vt verba ipsius Christi indicant, qui prçceptum suum de non iurando voluntariis iuramentis in Lege permissis manifestè opponit. Quare nulla causa erat, cur tu & hîc, & alibi tantopere vrgeres, sub Euangelio, vel magistratu ipso iubente, vel ob aliquam aliam necessitatem iurare licere, quasi aduersarii tui vel id negent, vel negare necesse habeant. Quòd negare necesse non habeant, satis, vt arbitror, a nobis demonstratum est. Quòd verò non negauerint, id quia ad præsentem disputationem propriè non pertinet, alio loco infra, Deo volente, planum faciemus. Nunc ea examinanda

sunt, quæ tu alibi, hoc est in explanatione illa tua in concionem Christi apud Matthæum, vbi pluribus de iureiurando disputas, nec non in tua paraphrasi, atq; alio quodam in loco & vberius, & aliquantò clariùs, quàm hîc feceris, iam diserueras, vt inter Mosem, & Christum hac in re planè conuenire ostenderes.

Quantum igitur, ea, quæ de hac iurisiurandi materia, deque sententia verborum Christi iuramenta vetantis a pag 137. vsq; ad pag. 144. itemq; pag. 205, & 206. scripsisti, sæpius, ac diligenter legendo, cumq; iis, quæ & alibi priùs, & hîc postea dicis, conferendo, ac coniungendo, assequi potui (non enim admodum prochue est rectè percipere, quid tibi velis) tribus modis præter eos, de quibus hactenus egimus, ostendere conaris, inter Mosem, & Christum in præceptis ad iusiurandum pertinentibus nihil discrepare. Primùm, quia in illis Christi verbis, *Nolite iurare*, &c. eius mens sit, quædam iuramenta, quæ a Scribis, & Pharisæis nihili fiebant, magni æstimanda esse, docere, & periurii reum futurum monere, si quis in eiusmodi iuramentis mentiretur. Deinde, quia Christus non simpliciter dicat, non iurandum esse, sed non iurandum, ne peieretur. Postremò, quia Christus non super re certa, sed super incerta iusiurandum adhibere vetet. Atque hæc tria ex ipsis verbis tuis ad vnum caput reuocari possunt. quod est, Christum in sua illa concione, quod ad iuramenta attinet, nihil aliud agere, quàm vt periuria, periuriiq; pericula vitentur, non autem vt iuramenta tollantur, præsertim ea, quæ permittebantur in Lege. Iamq; de his omnibus singulatim, atq; ordine videamus.

Ais, Christum, cum præcipit dicens, *Nolite iurare*, &c. docere voluisse, perperam a Scribis, & Pharisæis affirmari, si quis per cælum, per terram, per Hierosolymam, per caput suum iurasset, nihil istud esse, adeò vt, si quis ita iurando, peierasset, periurii tamen reus non esset futurus. Et, ne quis me tibi aliquid affingere arbitretur, tua ipsius verba hîc describere libet. Nam pag. 143. sic ais, *Hinc intelligi potest. Quid sit. Nolite iurare neq; per cælũ, neq; per terram, neq; per Hierosolyma, ueluti scilicet si per hæc iuratum fuerit, & peieretur non iurari & peierari in nomen Dei.* Et pag. 227. *cætera iuramenta nihil esse dicebãtur per cælum, per terrã, per Hierosolymã, per caput propriũ, etiãsi peieraretur.* Eadem sententia colligitur ex iis, quæ scripseras in initio hu-

ius

ius tractationis, pag. 137. iunctis præsertim iis, quæ ante scripta leguntur pag. 120. Atque idem ferme scripsisti ad finem pag. 142. & pagina 205, & 206. Sed primùm dic, quæso te, vndenam appareat, eiusmodi iuramenta, Per cælũ, Per terrã, &c. nihili apud Scribas, & Pharisæos fuisse? Nonne, vt ex iis constat, quę pluribus in locis scripsisti, præsertim verò pag. 142, istud inde apertè colligi existimas, quòd Christus apud Matthęũ alibi Scribas, & Pharisęos reprehendit, qui dicebant, si quis iurasset per templum, nihil esse, si verò quis per aurum templi iurasset, istum debere. &, si iurasset per altare, nihil esse, si verò per donũ, quod esset super altare, similiter debere? Atqui hîc nihil audio eorum, de quibus quęritis proprii vlla fit mentio. Immo dices. Nam eodem loco iurisiurandi per cælum fit aperta mentio. & docet Christus, eum, qui per cælum iurat, per thronum Dei iurare, & per eum, qui sedet super illum. Vnde factum est, vt huc manifestè respiciens, prędicta pag. 142. dixeris, Scribas, & Pharisæos affirmasse, iurare per cælum, per templum, per altare nihil esse. id quod etiam repetis pag. 205. quasi ex Christi verbis ibidem perspicuum sit, Scribas, & Pharisæos docuisse, iusiurandum per cælum nihil esse. At ego dico, multò verisimilius esse, non propterea iurisiurandi per cælum a Christo eo loco mentionem fieri, quòd Scribæ, & Pharisæi tale iusiurandum nihili facerent (obiecisset enim illis hoc quoque disertè, vt de iureiurãdo per templum, & per altare obiecit) sed vt exemplo satis manifesto reprehensionem suam confirmaret. Ac si diceret. Quemadmodum is, qui per cælum iurat, per eum iurat, cuius cælum est solium, quique in cælo sedet, id est per Deum, sic, qui per templum iurat, per eum iurat, qui in eo habitat, &, qui per aram iurat, per ea iurat, quæ in ea sunt. Et quoniam exempla, rerum apud auditores aut certarum, aut non planè incertarum, iisque, quarum causa afferuntur, minùs obscurarum afferri & solent, & debent, necesse est, apud Scribas, & Pharisæos aut certum, aut non planè incertum fuisse, eum, qui per cælum iurasset, per ipsum Deum iurare, tantum abest, vt iusiurandum istud nihil esse affirmarent. Itaque, quantus sit error tuus, animad uertere potes, qui prædicto loco id scriptum esse putasti, vnde potius contrarium intelligi par est.

Matth. 23. 18.

Palæologi error.

Quòd si non ex ipsis Christi verbis eò loco, sed argumento A simili (quod vocant) colligere velis, Scribas, & Pharisæos iurandum per cælum nihili æstimasse, quemadmodum iusiurandum per templum nihili æstimabant, vt alia, quæ respondere possem, omittam, dico, argumentum istud non rectè concludi posse, inde apparere, Primùm, quòd illi hac in re, vt ipse Christus ait, verè stulti, ac cæci erant, qui iuramenta per aurum templi, & per donum, quod in ara fuisset, pluris faciebant, quàm ea, quæ per ipsum templum, per ipsam aram facta essent. Deinde, quod eiusmodi iuramenta seruari omnino debere, docebant, quæ iuramento per cælum facto multò inferiora erant. Quare ne a maiore quidem, nedum a simili, ducto argumento, quidquam ex iis, quæ perspicuum est Scribas, & Pharisæos docuisse, quod ad iuramenta attinet, de ipsorum non aperta sententia concludi, aut constitui potest. Nam quòd tu rationem quamdam excogitasse videris, qua id, quod Scribæ, & Pharisæi in iis etiam, quæ expressa in sacra historia non sunt, de vnoquoq; iurisiurandi genere sentirent, inuestigari possit, nempe quòd, vbi nec Dei nomen adiectè appositum fuisset, nec ipsorum lucrum esset, ea iuramenta omnia pro nihilo ducerent. de hac, inquam, ratione tua alibi commodiùs agemus, &, Deo adiutore, ridiculum istud commentum tuum retegemus.

Iam verò, etiamsi indubitatum esset, apud Scribas, & Pharisæos iuramenta illa, Per cælum, Per terram, nihili fuisse, non tamen continuò sequeretur, Christo errorem istum redarguere, cum de iureiurando agit, vel solùm, vel etiam præcipuè propositum fuisse, quia scilicet vetet, ne quis ea ratione iuret. Nonne id potissimùm agens, id interim eâdem operâ monere potuit Christus? Certè potuit. idque sine dubio fecit, si modò ea re opus erat. Nam, aliud ipsi propositum fuisse, ex ipsius verbis adeò manifestum est, vt talpa cæcior is dici meritò possit, qui hoc non videat. Etenim, cum antea dixisset, *Audistis, quia dictum est antiquis, Non periurabis. reddes autem Domino iuramenta tua*, quis non videt, cum postea illico addit, *Ego autẽ dico uobis, Nõ iurare omnino*, quis, inquam, non perspicuè cernit, id omnino Christo propositum esse, vt a iurando suos vel planè absterreat, vel saltem dehortetur, non autem

tem, vt iuramentorum quorumdam vim, atque præstantiam in-
cognitam declaret? quis item non planè perspicit, verbum *omnino*
non cum sequentibus coniungendum esse, sed absolutè accipien-
dum, vt quibuscumque verbis conceptum iusiurandum in iis re-
bus, de quibus Christus agebat, complectatur, quæ verò sequun
tur, *neque per cælum*, &c. *neque per terram*, &c. exempla esse? Quæ
exempla fateor admodum verisimile esse, immo satis apertè con-
stare, eorum iuramentorum fuisse, quæ vulgaria, & in frequente
populi vsu essent (adeò vt, quemadmodum fieri solet, quamuis
nullo pacto spernenda forent, vulgò tamen pro nihilo ducieren-
tur, atque adeò pro iurantis minimè haberentur, conniuen-
tibus simul (si ita placet) vel etiam idipsum docentibus Scribis,
& Pharisæis) vt scilicet tantò magis a cæteris grauioribus & pla
nè confessis iurantis abstinendum esse, auditores intelligerent.
Atque exempla tantummodo esse, & tu ipse fateris, qui Chri-
stum hoc loco eorum etiam iurantorum, Per templum, Per
aram, rationem habuisse vis, & sequentia verba apertè docent, in
quibus monet Christus, vt sit sermo noster Est est, Non nō. Quæ
verba profectò, præter priora illa, apertissimè demonstrāt, Chri
stum non quidem monere voluisse, omnino iurandū non esse neq;
per cœlum, neque per terram, nec per alia eiusmodi, hac spe, quòd
iurando, si peieras, non committas periurium lege vindicandum,
vt tu pag. 206. scribis, sed ab omnibus iurantis, id est quibus-
cumque verbis conceptis (vt quidem nos sentimus) de iis tamen
rebus, de quibus loquebatur, suos abstinere iussisse. Sed non ad-
modum laborandum nobis est in hac prima tua Christū cum Mo-
se prorsus cōciliandi ratione refellenda, cum non modò ea ipsis
verbis, vt satis demonstratum est, nullo pacto conueniat, sed eti-
am reliquis duabus aduersetur, vt deinceps ostendemus. cum ta-
men tu non tamquam diuersas, sed tamquam planè cōsentientes,
immo, tamquam rationem vnam, omnes tres simul attuleris.

Ad alteram igitur pertrāsiens, dico, te affirmare, idcirco, Chri-
stum a Mose non dissentire, quòd Christus non simpliciter vetet
iurāmenta, sed, ne peieretur, iurandum non esse dicat. quod, vt
tibi videtur, Mosis dicto non aduersatur, qui iurandum quidem
esse, sed a periurio cauendum dixit. Sic enim habent verba tua

pag. 139. Lex dicit: iurabis per nomen Dei tui, sed non peierabis, nam si peieraueris puniam te per magistratum meum, quem in Ecclesia esse volo. Christus dicit: ut non peieres ne iures omnino. Hæc autem duo non aduersantur sibi. Iurato, sed caueto ne peieres. Et, ut non peieres ne iurato.

Hîc primùm vides, ex tui ipsius verbis ea, quæ in prima tua ratione dixisti, falsitatis conuinci, Christiq; mentem in verbis illis, *Non iurare omnino*, &c. non quidem fuisse, docere, ne quis per cœlum, per terram, & per alia eiusmodi iuraret sub hac spe, quòd etiamsi peierasset, tamen in periurium lege puniendum non incurrisset, sed, vt periurium caueretur, prȩcipere, ne omnino quis iuraret. Sunt autem hæc duo non solùm inter se diuersa, verùm etiam repugnantia existimãda, quatenus scilicet prius illud, modò periurii rationem habeas, & caueas, ne peieres, iurare planè permittere videtur, posterius autem hoc, ne in periurium forte aliquando incidas, omnino, ne iures, vetat. Atq; hinc deinde apparet, quàm, ridiculene potiùs, an confidenter? dictum a te fuerit, hæc duo non sibi aduersari, Iurato, sed caue ne peieres, & Vt non peieres, ne iurato. Quid enim magis verbo illi, Iurato, aduersari potest, quàm Ne iurato? An non ista duo prorsus contraria sunt? Nec verò caussa, cur dictum fuerit Ne iurato, cuius etiam rationem eum habuisse apparet, qui dixit Iurato, repugnantiam istam tollit, sed tantùm minuit. Quæcumque enim eius rei caussa fuerit, certissimum est, eum, qui dixit Ne iurato, iuramenta ipsa vetuisse, qui verò dixit Iurato, etiamsi addiderit, Sed, ne peieres, caueto, tamen ipsa iuramenta disertè permisisse. Quòd si fortasis ad id nunc cõfugere velis, vt dicas, Christum non præceptum, sed consilium dedisse, præterquam quòd id nusquam apertè scripsisti, non desunt etiam loci manifesti, vbi, Christum hîc non consilium dedisse, sed prȩcepisse, ipse confiteris, qualis est ille

pag. 229. *uerum est, priuatis in caussa priuata, & uana & incerta Iesum Christum prohibere iuramenta de futuris euentibus, ne labantur in periurium.*

Tertia tua ratio Christum cum Mose planè conciliandi ea est videbatur, quòd Moses tantummodo in rebus certis iuramenta permiserit, Christus autem in incertis dũtaxat vetuerit. Nam Christum in rebus planè certis iuramenta nõ vetuisse, non solùm apertè scribis, sed rationibus etiam euincere summopere conen-

Palæologus, dũ uariat, aduersatur sibi.

Palæologi ridicula confidentia.

dis.

dis. Loci, vbi id affirmas, vnà cum examinatione rationum tuarum proferentur. Nunc multa priùs consideranda sunt, quæ isti tuæ assertioni obiici possunt.

Primo loco considerandum est, etiamsi assertio ista tua vera esset, tamen adhuc insigne discrimen inter Mosem, & Christum extiturum. cum Moses, vt supra demonstratum fuit, manifestè permittat iuramenta super rebus futuris, ob eamque caussam increpatis, Christus autem, vt in hac ipsa tua assertione dicitur, ea vetuerit. Atq; eadem ipsa iuramenta de rebus futuris Christum interdixisse, quæ per Mosem concedebantur, ex eo, vt dictum fuit, apertissimum est, quòd Christus præcepta sua de non iurando isti concesioni opponit. id quod tu ipse non negas, quippe qui, vt vidimus, concesionem istam additamentum Scribarum, & Pharisæorum ad Mosis legem esse credideras, vel potiùs somniaueras.

Te autem non negare, quin Christus ea ipsa iuramenta vetet, quę in ea concesione commemorantur, id est de rebus futuris, & quibus (vt putasti) vota concipiebãtur, cum ex multis aliis verbis tuis, tum ex illis perspicuum est, quæ leguntur pag. 227. *Quæ quis non uidet priuatorum fuisse, & de futuris euentibus in quibus includebantur uota concepta?* His enim verbis ea iuramenta exponere voluisti, quæ a Scribis, & Pharisæis, non autem ab ipso Mose permissa fuisse existimabas, a Christo autem interdicta, quemadmodum ex antecedentibus, & consequentibus verbis patet. atque e regione istorum verborum in margine adscriptum est, *Christus quæ iuramenta uetat.* Quamquam, vt hoc obiter dicam, in eo te lapsum esse plane credideris, quòd putaueris, vota iureiurando addito concepta fuisse, cum disertè Moses inter votum, & iusiurandum illud distinguat, quo quispiam seipsum ad aliquid faciendum obstringebat. Quinetiam suspicor, ea, quæ, iureiurando interposito, se facturum quis pollicebatur, de quibus eo loco agit Moses, ipsi Deo promissa non fuisse, Video enim, cum vota cõmemorantur, bis Domini, seu Iehouæ in ipso initio mentionem factam esse, cui votum nuncupatum fuerit, cum autem altera illa obstrictio, quę cum iureiurando fiebat, commemoratur, nunquam Domini, seu Iehouæ Mosem meminisse. Nec verò huic nostræ sententiæ obstat, quòd Christus, legis illius summam quamdam explicans, dixerit,

Palæologi lapsus.

xerit, *Reddes autem Domino iuramenta tua*, quasi hinc apertè consetet, iuramenta illa iis, quę Deo promittebantur, adhibita fuisse. Nam- que considerandum est, cum in quolibet iureiurando Dei mentio fieret, per quem iurabatur, ipsi etiam Domino persoluta fuisse iu- ramenta, rectè dici potuisse, cum id, quod quis, iureiurando ad- hibito, pollicitus fuerat, præstabatur, quamuis id per se ad ipsum Deum non pertineret. Iam enim, postquam iusiurandum fuerat interpositum, Dei (vt sic loquar) intererat, vt pollicitatio illa vana non redderetur. alioquin ipsius gloria, & maiestas, qui & testis, & vindex eius rei appellatus fuisset, quodammodo obsc- rata, atq; imminuta foret. Sed hæc ὁλῶς παράεργον, vt prædixi, & idcirco de ipsis nihil planè statuo, nisi quòd omnino credo, apud Mosem eo in loco aliud esse votum, aliud obligationem cum iu- ramento. Nunc ad alia transeamus.

Nam secundo loco animaduertendum est, assertionem istam tuam, quòd Christus iuramenta de rebus certis non interdixerit, pugnare cum eo, quod non vno in loco ais, Christum, vt periurii periculum vitetur, nulla ratione iurandum, siue, omnino non iu- randum esse, dixisse. Sunt enim, vt vidimus, hæc verba tua pag. 139. *Christus dicit: ut non peieres ne iures omnino.* item q; hæc, *quamuis Chri- stus & Iacobus dicant cauendum esse ab omni iuramenti genere*, pag. 140. in ipso initio. & mox, *cuius periculi* (incidendi in periurium) *nullam causa, illi iudicant omnino iurandum non esse.* Et infra eâdem pagina. *Christus ob id dicat nulla ratione esse iurandum ne peieretur.* Nam, quòd vi- deo te dicere, Immo cum Christus ob id iuramenta vetet, ne in- cidatur in periurium, satis constare posse, eum ea iuramenta non vetare, vbi nullum periurii est periculum, Primùm dico, si Chri- stus omnia iuramenta vetuit, siue, vt ipse fateris, omne iuramen- ti genus, etiamsi idcirco id fecerit, ne in periurium quis labatur, tamen nostrum esse, non quidem statuere, quando nullum eius rei sit periculum, sed Christi pręcepto parère, & ita nullum iusiuran- di genus iurare, quamcumque tandem ob caussam ipse id præce- perit, præsertim, cum vix vlla res nobis sit adeò certa, vt in ea affirmanda labi nulla ratione possimus. Nam sæpenumero con- tingere videmus, vt in rebus ipsis præteritis, aut præsentibus mi- rificè decipiamur, & pro certissimis, tamquam ii, qui *testes fue-* *rimus,*

Palæologus se- cum pugnat.

rimus, aut simus, multa habeamus, quæ tamen non sunt, memoria nos, aut sensibus ipsis planè fallētibus, nobisque imponētibus. Deinde dico, te tibi ipsi responsionem istam eripuisse, cum explicans, qua ratione ex Christi mente in iurando periurii periculum sit, multò aliter loqueris, & ais, periurii periculum in iureiurando esse, non quidem tunc demum, cum res est incerta, sed tunc etiam, cum res est certa, quia nimirum potest lingua assuescere ad iurandum, & ita prolabi, vt iuret etiam super re incerta, vt apparet ex illis verbis tuis pag. 138. *Est igitur malum & incommodum id quod est, aut non est, iurare esse, aut non esse. Non quod malum sit iusiurandum sed quoniam periculum est ne ad iurandum assuescat lingua & prolabatur ut iuret, esse aut non esse id quod incertum est sit necne, & incidat nolens in periurium. Hoc autem periculum, ne casu incidas in legis de sacramento uiolationem, Iesus Christus uocat malum.*

Palæologus uarias seipsum refellit.

Itaque tertio loco dico, assertionem tuam a te ipso manifestè refutari, cum, vt modò ostendimus, etiam super re certa ne iurare tur, Christum vetuisse affirmas. quamuis enim id a te disertis verbis expressum non fuerit, tamen ex ipsa sententia apertè colligitur, quę sine dubio ea est, quam nos paullo ante exposuimus. Idq; cum ex tota oratione constat, tum ex primis illis verbis cuidenter apparet, *Est igitur malum & incommodum id quod est, aut non est, iurare esse, aut non esse.* Nam verba illa, *id quod est, aut non est*, nullo modo simpliciter, vt sonant, accipi possunt, quasi aliquid excogitari queat, quod nec sit, nec non sit. Sed nimirum idem sibi volunt ea verba, ac si dixisses, Id quod scitur (a iurante scilicet) esse, aut scitur non esse. Atq; te hoc omnino sentire, præter rationem manifestam, demonstrant superiora alia verba tua, in quibus tuam istam assertionem, quòd Christus in rebus certis iurare non vetuerit, adhuc apertiùs refellis. Ais enim pag. 137. *Vt igitur periurium uitetur & nullus sit qui periurij agatur coram magistratu reus, in loquendo, agendo, tractando priuatus cum priuato negotia, illud examinetur si res, de qua sermo est, ita sit, aut aliter. Et si quidem ita sit, ita esse dicatur, si ita non est, ita non esse dicatur. Malum enim est & periculi plenum, id quod ita est, ita esse dicere & iuramentum quod ita sit, uana opera apponere, & id quod ita non est, ita non esse dicere & quod ita non sit, iuramento confirmare.* Vides, te hìc apertè christi præceptum de non iurando ita interpretari, vt eum quoq; ca-

Palæologus seipsum refutat.

Palæologus seipsum refellit.

sum comprehendat, cum quis examinans, vtrùm res, de qua ser-
mo est, sit, nec ne, reperit esse, aut reperit non esse, & ita ad iura-
menta etiam super rebus certis pertineat. Vides item, apud te
hæc verba, Id, quod ita est, idem significare atq; Id, quod, exami-
nando, repertum est ita esse. & rursus hæc, Id, quod ita non est,
idem valere, quod, Id, quod, examinando, repertum est ita non es-
se. quemadmodũ diximus, in aliis ante recitatis verbis tuis idem
esse, *id quod est, aut non est*, ac si dictum foret, Id, quod scitur esse, aut
scitur non esse.

Quarto loco considerandum censeo, te, cum affirmas, Chri-
stum in rebus certis iuramenta non prohibere, & idcirco ea per-
mittere, aut tibi ipsi alia ratione planè aduersari, aut, quod ad iu-
ramẽta attinet, minus permisisse Mosem velle, quàm Christum. id
quod sanè cum per se ridiculum est, tum idipsum conuellit pror-
sus, quod tu totis viribus constabilire niteris, nullum videlicet
discrimen inter præcepta Mosis, & Christi de iureiurando esse.
Si quis enim ea animaduerterit, quæ scribis pag. 227, 228, & 229. vi-
debit, te planè negare, Mosem priuata iuramenta permittere, mul-
la certarum, aut incertarum rerum, super quibus iuramenta fi-
ant, distinctione adhibita. Quid enim attinebat verba Legis, vbi
magistratus nulla fit mentio, de iuramentis magistratu deferen-
te præstandis accipere, eóque tuis additamentis omnino referre,
si, per Mosem, etiam non deferente magistratu, super rebus certis
iurare licuisse, existimasses? Quid item ad hunc modum conclu-
dere? *Falsum igitur est, quod lex Mosis iubeat iurari & quod in priuatis cau-
sis inter priuatos permittat iuramenta.* An non hîc apertè negas, Mosem
id permittere, quod Christum alibi permittentem facis? Nullum
enim hîc discrimen appositum esse vides inter res certas, & incer-
tas, sed simpliciter, falsum esse dici, a Mose priuata iuramenta
permitti. Quocirca, cum statim addas ea verba, *Cui parti consonat
Iesus Christus, dicens priuatis non esse iurandum suis uerbis*, hinc quoq; per-
spicuum est, te superiore, quam dicebamus, ratione tibi planè ad-
uersari, quippe qui hoc loco, Christum ipsum priuata iuramenta
indistinctè interdicere, atq; ita etiam super re certa, non deferen-
te magistratu, ne quis iuret, prohibere affirmes. Nec sanè suspi-
cari possum, quomodo inconstantias hasce tuas, atq; ineptias ex-
cusare

Palæologus aut sibi aduersatur, aut ridiculus est, simulque id ipsum refellit, quod probare quærit.

Palæologus sibi aduersatur.

cusare audeas, nedũ posis, nisi fortè dicas, te, vbicumq; ais, Christum non vetare, quin in rebus certis iusiurandum adhibeatur, de iureiurando a magistratu deferendo loqui, Verùm, te huc confugere non posse, tunc planum fiet, cum rationes, quibus sententiam tuam confirmas, expendemus.

Palæologi dicta inuicem dissidẽtia.

Quincto loco illud omittendum non est, cum asseris, Christum apud Matthæum iuramenta super rebus incertis interdicere, hoc non conuenire cum eo, quod alibi dicis, & nos pro prima ex posterioribus rationibus recensuimus, quibus, Christum a Mose in præceptis de iureiurando nihil differre, persuadere conaris. Nam, si, cum Christus dixit, *Non iurare omnino*, &c. id ei propositum fuit, vt moneret, non esse iurandum per cœlum, neq; per terram, neq; per alia similia sub spe, quòd, etiam si peieraretur, non incideretur in periurii pœnam, non modò non id egit Christus, vt iuramenta super incertis rebus vetaret, sed neq; id vllo modo suis verbis complexus est. nec porrò aliud ex eius verbis elici potest, quàm, quomodocumq; peieretur, in periurii pœnam incidi. fieri neq; id etiam planè colligitur, nisi ea, per quæ iuretur, cœlo, terræ, & aliis, quæ ibi enumerantur, sint similia, in quibus scilicet tacitè, si non expressè, Dei mentio fiat.

Sed iam videndum est, quibus rationibus adductus fueris, vt affirmare non dubitaueris, Christum non vetare, quin in re certa inter priuatos iuretur, atque eodem tempore loci proferendi, vbi id omnino affirmas. Duæ autem videntur esse rationes, quę te adhoc impulerunt, quamuis tu eas non explices, & tamquam vnam afferas. de quibus separatim deinceps agemus.

Vna ratio est, quòd, cum Christus nullam aliam ob caussam iuramenta vetet, nisi, ne in periuriũ incidatur, sequitur, eum tunc iurare non prohibere, cum nullum periurii periculum est, quemadmodum in rebus certissimis euenire cõstat. Nam hæc sunt verba tua in fine pag. 139. & seq. initio, *Cum certißimus es rem esse aut non esse, iurare poteris. Rem aut esse si est, aut non esse si non est, quamuis Christus & Iacobus dicant cauendum esse ab omni iuramenti genere. Non enim periculum est ut incidas in periurium, cuius periculi uitandi causa, illi iudicant omnino iurandum non esse.* Et aliquantò inferiùs, *uiolator uerborum Christi existimabitur is, qui certißimus de re qua de loquitur, iurat sine periculo periurij*.

Cùm Christus ob id dicat nulla ratione esse iurandum ne peieretur.

Hæc tua ratio iam a nobis tui ipsius verbis refutata est, cum ostendimus, quomodo istud periurii periculum, quod a iurando non absit, & propter quod iuramenta Christũ vetuisse affirmas, ipse alibi interpreteris. quę interpretatio ciusmodi est, vt a iuramentis, etiam super rebus quantumuis certis, abstinendum esse, Christum præcepisse demonstret. Ex eo etiam iam satis constat, tam certum reperiri posse, in quo affirmando nullo modo erraremus. Vide, quæ assertioni tuæ secundo, & tertio loco ante obiecimus. nam ad ea & te, & alios lectores reiicimus. Sed aliam pręterea ob caussam nihili pendenda est ratio ista tua, quod videlicet in ea pro cõcesso sumas id, quod nec vllo modo verum esse cõstat, nec a te alibi probatum fuit, immo falsum esse, nõ obscurè deprehendi potest, Christum scilicet non alia de caussa iuramenta vetuisse, nisi, vt periurii periculum vitaretur. qua de re postmodum videndum erit.

Altera ratio tua, quam tu tamen, vt diximus, cum superiore confundis, vel certè pro qua confirmanda superiorem affers, eiusmodi est, vt in ea formanda, atq; explicanda ingenii laudem prorsus quęsiuisse videare, Quod quàm feliciter, & ex animi sententia tibi successerit, mox videbimus. Ais igitur, cum Christus præcipit, vt sit sermo noster Est est, Non non, hìc relationem haberi ad aliquem, qui interrogat de re quapiam, sit, nec ne. Cui respondere debemus id, quod res est, esse videlicet, aut non esse, prout res, de qua quæritur, est, aut non est. Nunc fac, (inquis) nemnem esse, qui quærat. certè nihil coget, vt dicas rem esse, aut non esse. Fac rursus, cum ille quærit, te incertum esse, sit ne res, an minimè. quis dubitat, quin tibi neutrum respondendum sit, cum viro bono, ne mendacium dicat, summopere sit cauendum? Et tamen Christus dicit, vt respondeas rem esse, aut non esse, quod idem Iacobus facit. Sicut igitur, cum aut abs te de re non quæritur, aut tu de ea incertus es, tacere potes, & nec rem esse, nec rem non esse, dicere cogeris, etiamsi & Christus, & Iacobus, vt alterutrum dicas, moneant, ita etiam, cum certissimus es de re, sit, an non sit, poteris iurare rem esse, si est, & non esse, si non est, etiamsi & Christus,

& Christus, & Iacobus, ab omni iuramenti genere cauendum esse, dicant, cum hoc ab illis non nisi ob periurii periculum vitandum dicatur, hîc autem nullum sit peierandi periculum. Hæc est admirãda, scilicet, illa ratio tua, vt ex iis perspicuum est, quę scripsisti pag. 139, & 140. Nam, epilogo quodammodo vtens, sic ais, *Quid enim? Nulla fraus admittitur, si minus facias quam Christus dicat, taceasque cum aut non quæreris aut incerta tibi res rest, quæ abs te quæritur. Cùm Christus dicat ut aias aut neges, & uiolator uerborum Christi existimabitur is, qui certissimus de re qua de loquitur, iurat sine periculo periurij? Cùm Christus ob id dicat nulla ratione esse iurandum ne peieretur.* Et statim, alio quodam pacto eamdem rationem explicans, eamque simul confirmãs, adiungis. *Sicut enim fieri potest, ut is qui cum negotium habes, minus petat quam Christus postulet: Ita fieri potest ut plus exigat quam Christi & Iacobi permittat mandatum, nos debere dicere rem esse aut non esse. Quare si ibi minuere iuratione, hic licebit addere iurando.* Atque in hac potissimùm explicatione, ac confirmatione tua libet suspicari, te tibi ipsi vehementer placuisse. Sed iam, qualis sit vniuersa hæc ratiocinatio tua, accuratè, ac breuiter simul, quoad fieri poterit, dispiciendum nobis est. Iam verò, cum in hac ipsa ratione tua explicanda plurimum momenti in eo ponere videaris, quòd Christus ideo iurare vetuerit, vt periurii periculum vitaretur, Primùm, quicquid a nobis hac de re contra sententiam tuam supra disputatum fuit, huc optimè accommodari potest, & ex eo solo tota argumentatio tua labefactari. tametsi illud, quod de Christi mente asseris in iuramentis interdicendis, nihil te iuuare posse, tunc multò apertiùs constabit, cum non modò id aliter accipi debere, quàm tu putes (quod iam ex tui ipsius verbis demonstratum a nobis est) verùm etiam, simpliciter dictum, falsum esse, apparebit. quod postmodum, Deo volente, factum iri planè confido. Deinde animaduertendum est, in ista argumentatione duo a te sumi, quæ ex tui ipsius verbis falsa esse conuincuntur. Vnum est, quòd Christus, etiamsi nemo sit, qui quærat, tamen, vt dicamus, res sit, nec ne, dicere omnino videatur. Alterum, quòd idipsum dicat, etiamsi de re, qua de quæritur, incerti simus. Atqui tu ipse in ipso explicandæ tuæ argumentationis initio vtrumque refellis, Sic enim pag. 129. scribis, *Ad illum igitur qui quærit referri debet sermo, ut si ille quærat, sit*

res nec ne, tu dicas id quod res est, esse aut non esse, sicut ipsa aut est aut non est, si neutrum ille quærit, tu neutrum respondeas. Numquid non vides, re dicrit, & satis apertè dicere, Christi verba id ponere, vt sit, qui quærat, & tandem ex his dictis concludere, si nihil quæratur, nihil respõdendum esse, nedum vt necesse sit aliquid respondere? An non hoc prius illud, quod te sumere dicebamus, planè refutat, eique nitus aduersatur? Nonne præterea in modò prolatis verbis tais, Christi mentem exponens, ais, cum de re quæritur, sit, necne, dicendum esse, non quidem alterutrum omnino, sed id, quod res est? Verùm quomodo dicere poterit quis id, quod res est, vel postiùs quomodo curare poterit, vt dicat, si incertus est, & nescit, vtrùm res sit, an non sit? Ergo, te ipso teste, falsum est posternus lud, quod, rationem tuam explicando, sumebas. Idq; etiam paulo post euidentiùs testaris, dum ipsum Christi dictum a te comme in tuæ rationis explicatione exponis, & maximè vrges. *Sunt* nim hęc verba tua, *quamuis Christus & Iacobus dicant, ut alterum affirmet, aut esse rem aut non esse, si illa aut est aut non est.* Nam, vt supra dictum fuit, cum omnino sit necesse, vt quęlibet res, de qua quæritur, aut sit aut non sit, certè, nisi ineptissimè locutus esse velis, cogeris verba illa tua, *si illa aut est aut non est*, non, vt præ se ferunt, accipere, sed ita interpretari, ac si dixisses, Si aut sciueris rem esse, aut sciueris non esse. nam eiusmodi verba hoc sensu a te proferri solere, iam bis ostensum est. Etenim, si dicas, ea perinde accipienda esse, tamquam si dictum fuisset, Prout illa aut est, aut non est, neq; ista, interpretationem dictio Si vllo modo patitur, nec tu alibi isto fuctione Si, sed Sicut, vt in superioribus tuis verbis vidimus, vsus es. Præterea, cum Christus, dum (vt tu quidem putas) dicit, quauis re dicendum esse, sit, nec ne sit, eodem simul tempore dubio præcipiat, vt id simpliciter dicatur, nullo iureiurando adhibito, vanum quippe erit præceptum istud, si tua argumenta rectè concluſa est. Nam aut is, qui de re, sit, necne sit, dicturus est, id compertum habet, aut non habet. Si non habet, iam, vt ipse vis, nihil dicere debet. Sin autem habet, iam ipse contendis, ei iureiurando confirmare licere, rem esse, si est, aut non esse, si non

Palæologus suum ipsius dictũ refutat.

Palæologus seipsum falsitatis coarguit.

Palæologus aut planè ineptus, aut sibi contrarius.

non est. Itaque per te nullus erit præcepto Christi locus. Hîc non video, quid respondere possis, nisi fortasse dicas, te tria genera rerum facere, incertarum, certarum, & certissimarum, & in incertis quidem, ac certissimis Christi præceptum locum nõ habere, in iis verò, quæ certæ sunt, ei locum planè esse, & propterea in eiusmodi rebus, affirmandum quidem, aut negandum, sed tamen sine iureiurando, Ob eamq; causam te, vbi contra, aut præter id, quod Christus prçcipere videatur, iurare licere contendis, non positiuo (quod vocant) sed superlatiuo nomine vsum fuisse, cum rei certitudinem illam (vt sic loquamur) propter quam id licere uis, declarare voluisti, & modò, *cùm certissimus es*, &c. modò, *is, qui certissimus de re*, &c. dixisse, nõ autem vmquam Certus. Quod idem dices te optimè seruasse, cum, de Paulo, qui iurasset, verba faciens, dixisti, *grauissimam & persuasissimam sibi causam ingressus*. Videre potes (arbitror) Palæologe, vtrùm a me victoria, an potiùs veritas quæratur, qui pro te sçpius aduersum memetipsum ea afferam, quibus tu meliora fortasse non inuenies. Verumtamen, si fortè respondeo hæc pro te mea vel tibi arridet, vel etiam ea ipsa est, quam tu attulisses, & mentem tuam in ea rectè sum assecutus, animaduertere debes, distinctionem istam rerum certarũ, & certissimarum nimis subtilem esse. Nam etsi vsus obtinuit, vt aliquid certum, aliquid verò certissimum dicatur, & ita res vna aliâ certior appelletur, tamen reuera eo, quod certum est, nihil certius esse potest, Quemadmodum eo, quod verum est, nihil verius potest inueniri. & tamen vsus obtinuit, vt aliud alio verius esse dicatur. nempe quia & Veri, & Certi nominibus minùs proprie sæpe vtimur, & id verum, aut certum esse dicimus, quod ita esse videtur, quamuis, an reuera sit, non bene sciatur, id est aliquo modo dubitetur. Cum quærimus, an aliquid certum apud eum sit, qui de re quapiam affirmaturus, aut negaturus est, id nimirum quærimus, an is ea de re, sit, nec ne, nihil dubitet. Hac (vt ita dicam) certitudine in humanis hisce rebus, quæ & esse possunt, & non esse, vix vlla maior inueniri potest. quandoquidem, vt supra dictum est, sensus ipsi aliquando falluntur. Qui hoc pacto rem certam non habuerit, is non iurare modò, sed ne affirmare quidem, aut negare simpliciter poterit. Et sanè, si vera est regula illa tua, tunc iurari

posse,

posse, cum nullum est periurii periculum, non video, cur quidquam magis sine iureiurando, quàm cum iureiurando affirmare, aut negare liceat. Nam profectò, vbi nullum mendacii est periculum, ibi ne periurii quidem periculum esse potest. Affirmari autem, aut negari aliquid iurè posse, vbi mendacii sit periculum, tibi quidem dicere non licet, qui pag. 139. ea verba scripseris, *Sicut periurium, ita mendacium & falsum dicere cauendum est viro bono.* Vbi etiam vides, te, non minùs a mendacio, quàm a periurio, cauendum esse, dixisse. Quare ex tua ipsius doctrina, quidquid constanter affirmare, aut negare licebit, id etiam iureiurando confirmari iurè poterit. Itaque, teipso iudice, distinctio illa rerum certarum, & certissimarum, in quarum alteris affirmare quidem, aut negare, non tamen iurare, in alteris verò iurare quoque liceat, falsa censenda est. & proinde id verum censeri debet, quod diximus, si rectè concluſa sit argumentatio tua, Christi præcepto, ne quis iuret, sed tantummodo aiat, aut neget, nullum locum futurum. Sed quid dicemus, quòd omnino vis, in Christi sermone rationem haberi alicuius, qui quærat, vtrùm res sit, an non sit, cum tamen ea de re nullum prorsus indicium in Christi verbis appareat? Certè, si antecedentia verba spectare velimus, potiùs ad eum casum referenda est præceptio Christi, cum quis sua sponte quidpiam affirmaturus, aut negaturus est. In Legis enim verbis, quibus præcipuè sua dicta opponit, de iureiurando agebatur, quo quis seipsum sua sponte ad aliquid faciendum obligabat. Quintiam tu ipse, huc fortasse respiciens, in tua paraphrasi pag. 208. Christi verba, *Sit autem sermo uester Est est, Non non*, his verbis complexus explanas, *Quare sit sermo uester, si quid facere uoles, faciam, si facere noles non faciam.* Quid quæso istæc explanatio, cum explicandi one hac, quàm in argumentatione tua sequeris, commune habet? Primùm ibi manifestè de re futura agitur, cum hic de re præsente aut præterita agatur. Deinde (quod ad propositum nostrum proximè pertinet) satis apparet, ibi nullam rationem quærentis haberi. Qua de re ne vlla dubitatio superesset, Christi sequentia verba explanans, sic eum loquentem facis, *Quod enim præterhac est, aliquis putat si uoto iuramentum additur, bonum non est*, &c. Vnde cònstat, te illum existimasse, Christum in monitione sua de votis egisse. Quis au-

Palæologus uarius.

cem

tem nescit, vota, nemine quærente, id est interrogante, fieri soleant? Et tamen hîc, vt diximus, in Christi sermone quærentis omnino rationem haberi vis. quæ duo sanè inuicem prorsus repugnant. Huc accedit, quòd in argumentatione hac tua Christi verba ita accipis, ac si dixisset, Quod est, dicite esse. quod non est, dicite non esse. quasi Christus potiùs monere voluerit, vt quisque id, quod verum est, dicat, quàm, vt a iurando abstineat. Cum tamen constet, eum de iureiurando potissimùm agere. Immo crediderim, Christum hoc loco nullam veritatis, aut mendacii rationem habuisse, sed tantùm monere voluisse, vt, si quid affirmare velis, simpliciter affirmes, si quid negare, simpliciter neges, quemadmodum sequentia verba satis confirmant, *Quod autem his abundantius est, a Malo est.* Nõ arbitror tamen, verba græca ad hunc modum interpungenda esse, ναὶ, ναὶ. οὔ, οὔ. quasi prius ναὶ significet id, quod affirmare velis, & prius οὔ id, quod velis negare, siue, (vt Theodorus Beza vult) perinde censeri debeat, ac si prius ναὶ, & prius οὔ cum voce ὁ λόγος, quæ præcesserit, repetito articulo, cõiungeretur, & ὁ λόγος ὁ ναὶ idem sit, quod sermo affirmans, ὁ λόγος ὁ οὔ idem, quod sermo negans. Quamuis enim idem Beza testetur, omnes codices (quos scilicet ipse vidisset) distinctionem inter vtrunque ναὶ, & vtrumque οὔ habuisse, tamen ego istarum interpunctionum, quãtumuis magno consensu in exemplaribus, etiam antiquissimis, extantium, nullam propemodum rationem habendam censeo, nisi quatenus nos admonent, in quem sensum locus aliquis a veteribus acceptus fuerit. Cæterùm scimus omnes, ab initio istarum distinctionum vsum nõ admodum frequentem, aut certè non admodum diligentem, & aliquando fortasse nullum fuisse, Deinde verò, prout vulgò loci explicabantur, addita vbique fuisse interpunctiones. Ea ipsa sententia, seu potiùs ratio, est quidem, vt ipse animaduertit, in Iacobi verbis. Sed Iacobus, prçterquam quòd articulum vtrobique præposuit, qui aliquis ad istum eius sententiæ explicandæ modum omnino requiri videtur, dixit etiam ἤτω δὲ ὑμῶν τὸ ναὶ, &c. id est Sit autem vestrum Etiam, &c. non autem, ἔστω δὲ ὁ λόγος ὑμῶν ναὶ, &c. id est Sit autem sermo vester Etiam, &c. vt Christus loquitur. Inter quos duos loquendi mo-

Palæologus pugnantia docet.

Iac. 5. 12.

Iac. 5. 12.

dos, quantùm (quod attinet ad propositum nostrum) interfit, nemo non videt. tametsi vetus interpres vtrobique, *Sit autem sermo uester*, legit, cui etiam Syriaca editio adstipulatur. Est igitur quidem eadem, quæ Christi, Iacobi verborum sententia (quem a domino ac magistro suo ipsa etiam verba magna ex parte mutuatum fuisse apparet) vt, si quid affirmare velimus, simpliciter affirmemus, si quid negare, simpliciter negemus, sed tamen diuersus nonnihil vtrobique est eam explicãdi modus. De Iacobi modo vidimus. Christi autem modus hic est, vt dicat, in sermone nostro (quod ad illud pertinet, de quo agebatur) nihil aliud esse debere, quàm solam affirmationem, aut negationem. Vtriusque autem, & affirmationis, & negationis voces duas simul coniungit non modò propter elegantiam quãdam, ac proprietatem sermonis, sed fortasis etiam, vt ostendat, licere & sæpius, & constanter aliquid vel affirmare, vel negare, dummodo iusiurandum non addatur. Sermonis autem elegãtiam, & proprietatem quamdam, si sententia illa explicari debeat, sine geminatione vocum istarum vix, aut ne vix quidem retineri posse, animaduerterit, quis vtrobique alteram ex illis vocibus subtraxerit, & Christum sic loquentem fecerit. Sit autem sermo vester ναὶ, οὔ. Certè, Paulum eadem vtrobique geminatione cum simplici affirmationis, & negationis significatione vsum fuisse, videmus, atque dixisse,

2. Cor. 1. 17. *Aut* (siue *Num*) *quæ cogito, secũdum carnem cogito, ut sit apud me τὸ ναὶ ναὶ, καὶ τὸ οὒ οὔ;* id est Etiam, & Non? siue, vt vetus interpres vertit, Est, & Non? Nam, siue is interpres aliter legerit, quàm hodie in omnibus græcis codicibus legatur, quibus Syriaca editio consentit, siue non legerit, quæ statim subiicit apostolus, etiamsi nonnulli aliter sentiũt, hunc istorum verborum sensum esse demõstrant. Inquit enim, *Fidelis autem Deus, quia sermo noster, qui* [*fuit*] *apud nos, non fuit* ναὶ, καὶ οὔ, id est Etiam, & Non. Et tamen poterat Paulus propter particulam καὶ citra sermonis elegantiæ, aut proprietatis iacturam in prioribus verbis, vt in posterioribus fecit, ab ea geminatione abstinere. Nec prætereundum est, apud Paulum articulum vocibus illis geminatis vtrisque præpositum legi, & tamen perinde haberi, ac si non fuisset præpositus (nam, si ibi articulus vis vrgeatur, alius sanè poterit eorum verborum esse sensus) ne-

dum

dum vt in loco nostro, vbi nullus est, aliquis articulus pro appo
sito haberi debeat. Ex quibus intelligi potest, si apud Paulum, qui
& aliter loqui poterat, immo eodem in loco est locutus, & sic lo
cutus est, vt aliud quidpiam, si eius verba mordicus retineantur,
sensisse dici possit, ea geminatio eum sensum, quem nos in Chri-
stii verbis esse contendimus, sine dubio habet, multò magis apud
Christum habere, qui vix aliter loqui poterat, & ita locutus est,
vt eius verba ægrè admodum aliam interpretationem sint admis
sura. Est igitur locus Pauli ad Christi verba interpretanda ac-
commodatissimus, nec aliud hac in re inter ipsum, & Christum
interest, nisi quòd Christus alterutrum, affirmare scilicet, aut ne-
gare, Paulus verò vtrumque significare voluit. Vnde factum est,
vt in Pauli verbis coniunctiua particula legatur, in Christi verò
minimè.

Sed iam nimis diu præter institutũ nostrum in refellenda tua
Christi verborum interpretatione, nostraq; confirmanda versa-
mur. Quid enim? Fac, interpretationem tuam verisimam, &
appositissimam esse. Numquid rectè concluſa propterea fuerit
ratio tua? Nullo prorsus modo. Nam, etiamsi Christus, si verba
eius attenderentur, iussisset, vt omnino quacumque de re, de qua
scilicet ageretur, aut sermo esset (sic enim nisi planè desipuisse vi-
deri velis, supplenda est tibi interpretatio tua) diceremus, eam
aut esse, aut non esse, quis non perspicuè videret, ita accipienda
esse Christi verba, vt & esset, qui de re quæreret, aut interroga-
ret, nec ne esset, & nos, quomodo res se haberet, optimè scire-
mus? Quid enim absurdius dici potest, quàm Christum præci-
pere, vt, nemine licèt nec quærente, nec interrogante, de omni re,
de qua agatur, aut verba fiant, etiamsi nihil certi de ea habeamus,
tamen eam esse, aut non esse dicamus? Nam vnde (quæso te) in
argumentatione tua assumis, cum vel non est, qui quærat, vel res
apud nos incerta est, Christi præcepto isti, quod ex eius verbis
colligi posse vis, nullum locum esse, nisi ex manifesta ingenteque
absurditate ista, quę alioquin in ipso præcepto esset? At verò quid
absurdi in eo vides, si Christus præcipiat, vt in re, quamuis nobis
compertissima, affirmanda, aut neganda nullum iusiurandum ad-
hibeamus? Nonne tu ipse, vt supra vidimus, ipsa Christi verba

explanans, malum esse, & periculi plenũ dixisti, aliquid esse, quod sit, vel aliquid non esse, quod non sit, iureiurando apposito confirmare? Nonne periculum esse (vt tuis verbis prolatis ostendamus) tu ipse affirmasti, ne quis iurando adeò iurare assuescat, vt etiam in rebus incertis iuret, & ita in periurium facilè prolabatur? Quibus adde ea verba tua, quæ leguntur ibidem paullo ante, pag. 138. *Quare malum est & periculosum, assertioni, sine qua vita præsens transigi inter homines non potest, iuramentum addere, abs quo quivis potest facile abstinere, maximè cum incerta sunt illa, sint, an non sint, de quibus controuersia est.* Ex quibus omnibus apparet, te in omnibus rebus affirmandis, aut negandis non sine periculo iusiurandum addi, conteri, & propterea, te ipso teste, non modò nihil absurdi futurum in Christi præcepto, si eum mandasse velimus, vt in rebus etiam certissimis a iurãdo abstineamus, verùm etiã, summa cum ratione id ab eo factum fuisse, constiturum. Nam, si dicas, Christi præcepto isto indistinctè, vt verba sonãt, accepto, iuramẽta etiam rogatu, quæ corã magistratibus præstanda sunt, & præterea iuramẽta quædam priuata, quę apostolum Paulum fecisse constat, damnari, quę dano admodum absurda censeri debẽt, Hoc nihil est. Dummodo enim id absurdum non sit, de quo quærimus, satis id est ad argumẽtationem tuam conuellendam. Quandoquidem tu, cum argumẽtationis tuę vi, Christi verbis iuramẽta super rebus certissimis non interdici, contendis, priuata etiam iuramenta intelligis, quippe qui nusquã magistratus vllam mentionem facias, immo eiusmodi verbis interdum vtaris, quæ ad ea iuramenta, quæ deferente magistratu fiunt, nullo modo accommodari posse videntur. qualia sunt illa pag. 140. *is, qui certissimus de re qua de loquitur, iurat*, &c. Et mox *is qui cum negotium habes.* Quæ verba de priuatis sermonibus, & negotiis, & porrò de priuatis iuramentis a te agi, manifestum faciunt. id quod etiam ex illo exemplo patet Pauli apostoli iuramentis, quod paullo ante ad sententiam tuam confirmandam attulisti. Si quidem non coram magistratu, sed priuatim in epistola iurauit Paulus. Quamquam non desunt, qui Pauli verba iusiurandum continere nolint, quibus tamen ego non assentior. Adiungis tu quidem pag. 141, Christum non de iuramentis coram magistratu præstandis, sed de aliis loqui, idq; repetis pag. 143, Verum

istud a te additur, non vt idipsum confirmes, quod singulariter priùs dixeras, licere iurare super re compertissima, sed id, quod vniuersè antea non obscurè tuis verbis complexus fueras, Christi verba non ita interpretanda esse, vt omnia iuramenta interdicere voluerit. idq; a te eo libentiùs fit, quòd existimas, aduersarios tuos iuramenta, etiam deferente magistratu præstanda, prorsus tollere. Nimirum vt id sæpius inculces, quo eos in publicam inuidiam vocare te posse speras. Sed hac de re alibi. Cæterùm, te priuata etiã iuramenta in rebus certissimis minimè a Christo prohiberi, credere, præter ea, quæ dicta sunt, id satis demonstrat, quòd non vno in loco Christi verba ad res futuras tantùm, aut etiam ad vanas alioquin & incertas accommodas, vt pag. 206, 227, & 229. apparet. Iamq; vt spero, tandem vides, quantum inter duo illa interfit, quæ paria esse putasti. Nunc igitur quid tibi videtur de acuta illa confirmatione, quam argumentationi tuç postremò addis, *si tibi minuere licet tacendo, hic licebit addere iurando?* Numquid eadem ratio esset additionis, quæ detractionis, cum hanc sensus ipse communis omnino suasurus esset, illam verò nihil? cum, nisi minueretur tacendo, Christus absurdissima præcepisse concederetur, nisi verò adderetur iurando, nihil planè absurdi inde sequeretur? Adde, quòd iusiurandum affirmationi, aut negationi adhibitum, non rectè a te additamentum ad Christi præceptionem appellatur, cum Christus disertis verbis illud vetet. Additamentum censeri posset, si Christus ea tantùm verba dixisset, *Sit autem sermo uester Est est, Non non.* Nunc, quando in eadem monitione paullo ante dixit, *Non iurare omnino*, &c, & hìc statim subiicit, *Quod autem his abundãtius est, a Malo est*, si quis iuret, non quidem se addere verbis Christi, sed apertè contrauenire, fateatur, necesse est. Verùm, dum tu ita loqueris, & additamentum illud vocas, quod reuera non est, id planè confirmas, quod & hìc, & alibi supra asseruisti, quodq; vt modò, & ante vidimus, in tota hac causa tibi plurimum obest, te scilicet omnino velle, a Christo in rebus certissimis priuata iuramenta non tolli. Nam, cum vbiq; cõtendas, Christum de priuatis tantùm iuramentis præcepta dare, non autem de iis, quæ coram magistratu præstari debent, certè, cum ais, in rebus certissimis, iurando, Christi verbis addi licere, necesse est, vt

Palæologi erratum.

priuata iuramenta in rebus certissimis licere dicas. Quamquam in hac, quam ego argumentationis tuæ confirmationem appello, non tantùm, vt res certissima sit, sed præterea, vt quispiam, qui cum tibi sit negotium, iusiurandum a te exigat, requiris, qua re men de re antea mentionem non feceras. Quocirca arbitror, te id addidisse in confirmatione ista, non quòd sine eo, id est sua sponte (modò res certissima sit) iurare non concedas, sed vt saltem eo casu, etiam inter priuatos, iurare licere euinceres.

Vidimus de tribus illis tuis rationibus, quibus demonstrari posse sperabas, Christi præcepta de iureiurando a Mosis lege nihil differe. Superest, vt de eo agamus, ad quod, tamquam ad caput quoddam, ex ipsis verbis tuis, quę pluribus in locis leguntur, reuocari possunt. hoc est, Nihil aliud Christo propositum fuisse, quàm cauere, ne in periurium quisquam incideret, non autem iuramenta tollere, ea præsertim, quę sub Lege permissa erant.

Ista tua Christi mentis in præceptis de non iurando dandis interpretatio non modò vera, sed ne verisimilis quidem videri debet. Nam perfacile est animaduertere, eam neque ipsius Christi verbis, nec rationi cõsentaneam esse. Verbis quidem non est, cum nec aliquid dicat Christus de cauendo periurio, & manifestè illis ex ipsius Legis mẽte, non autem, vt tu putabas, ex Scribarum, & Pharisæorum additamentis prolatis verbis, *Reddes autem Domino iuramenta tua*, sua dicta opponat. In quibus verbis, vt supra visum est, apertè iuramenta super rebus futuris permittebantur. Vnde constat, Christum iuramenta quędam disertè sustulisse, quę a Mose fuerant concessa, Nec verò ex postremis illis Christi verbis, *Quod autem his abundantius est, a malo est*, colligi vllo modo potest ipsum periurii cauendi potissimam rationem habuisse, quia scilicet ea verba nihil aliud significent, quàm affirmationi, aut negationi iusiurãdum adiungere periculi plenum esse, & ad periurium properans, vt tu ea interpretaris pag. 137, 138, & 206. Nam quis (obsecro) qui vel leuissimè in bonarum litterarum studiis versatus fuerit, immo qui ipso sensu communi non careat, tibi concedet vnquam, Aliquid a malo esse, significare, Aliquid esse plenum periculi, & ita, pro caussa antecedente, eaq; certa subsequens, idq; incertum cuentum a te substitui, patietur? Nonne infantes ipsi nouerunt,

runt, præpositionem A, vel potius Ex (nam ἐκ est in græco codice, non autem ἀπό, vt tu præ incuria scripsisti) motum de loco (vt aiunt) non autem motum ad locum significare, & propterea A malo, siue Ex malo nullo modo significare posse Ad malũ tendens, vt tu affirmas, sed necesse esse, vt A malo proficiscens significet? Profectò cæci ipsi (adeò in signis est ac manifestus) lapsum hunc tuum videbunt. Qui tamen non solus est. Nam, vt modò innuimus, huic errori illum adiungis, quòd ex re certa incertam facis. Tolerabilius sanè aliquantò fuisset, si dixisses, Christum dicere voluisse, cum quis quidpiam affirmat, aut negat, si iusiurandum addat, istum in malum aliquod incurrere. Sic enim ab ipsis verbis latinis non planè recessisses. Nunc, quando pro Malo Malo periculum etiam substituis, adeò interpretatione tua a verbis tuis alienus, vt ferri non possis, nec vlla prorsus venia dignus error tuus videatur. Nam, quod pag. 138. ais, videri græcam vocem interdum discrimina significare, id est (vt interpretari necesse est) pericula, nemo (arbitror) nisi exempla protuleris, id tibi creditum fuerit. Sed aliud adhuc turpe erratum, in quo etiam omnino tibi ipsi aduersaris, in interpretatione tua deprehenditur. Etenim aut nomẽ græcum τὸ πονηρὸν masculini generis esse vis, aut neutri. Si masculini, quomodo (quæso) id nomen ita accipere potes, vt rem periculi plenam significet? an non, quemdam aliquem ita scribis? Cùm ecõtrario πονηρὸς personam referat nõ rem. Si verò neutri, primùm tibi aduersaris, qui dicas, hunc locum illi esse similem, *Libera nos a malo*. Nam in eo loco masculini generis nomẽ istud facis. Sic enim in explanatione tua scribis, pagina 174. *Etne nos inducas in tentationem. Quid si inducti iam sumus? Libera nos à malo.* Est igitur tentatio idem quod malus, &c. Deinde nullo, vt opinor, exemplo sententia tua nititur. Non enim si (verbi gratia) τὸ κακὸν, τὸ ἀγαθὸν, & alia eiusmodi quædam dicuntur nomine substantiuo, aut certè substãtiui vim habente, id circo τὸ πονηρὸν quoq; eodem modo dictum aliquando fuisse, affirmari potest. præsertim in nouo testamento, si vox, de qua quæritur, ad nomen ὁ πονηρὸς vim similiter substantiui habens referri possit, vt hîc certè potest. In testamento enim nouo nomen istud ὁ πονηρὸς substantiuè (vt ita dicam) vsurpari,

Palæologi incuria.

Palæologi lapsus.

Palæologi error.

Palæologus errat, & sibi aduersatur.

vsurpari, planum faciunt hæc testimonia Matth. 13. ℣ 19. 1. Ioh. 2. ℣ 13. & 14. & cap. 5. ℣ 18. vt testimonia alia omittam, quæ tamet si, quod ad vocem ipsam attinet, dubia sunt, tamen constat inter omnes, in iis quoq; τὸν πονηρὸν, non autem τὸ πονηρὸν nominari, & tu ipse de duobus id fateris. De vno modò vidimus, Matth. 6. 13. *Libera nos* ἀπὸ τοῦ πονηροῦ. De altero supra visum est, Mat. 5. 38. *Non re-sistere* τῷ πονηρῷ. A nomine enim ὁ πονηρος ibi vocem τῷ πονηρῷ deriuari, pag. 145. apertè scribis. Est igitur in loco nostro, vel testè, personę mentio, non rei, atque ἐκ τοῦ πονηροῦ esse (quo ipso lo-
1. Ioh. 3. 12. quēdi modo vtitur etiã Iohannes apostolus) nihil aliud est, quàm Ex maligno illo ortum ducere, hoc est (vt ipse prædicta pag. 141. τὸν πονηρὸν interpretaris) ex diabolo. Quare, cum Christus dicit, quicquid simplici affirmationi, aut negationi additur, ἐκ τοῦ πονηροῦ siue a Malo, vel potiùs ex Malo esse, nihil aliud sibi vult, quàm, iusiurandum in iis casibus, quos ipse intelligebat, a diabolo fogge-ri, seu diabolico (vt ita dicam) spiritui consentaneum esse. Hæc enim propriè in eiusmodi locutionibus vis præpositionis Ex esse
Ioh. 8. 44. solet, vt in illis apud Iohannem, cum in euangelica historia, tum
47. in epistolis, Esse ex Deo, Esse ex diabolo, siue ex Malo, vt hìc.
1. Ioh. 4. 12. Quòd si dicas, non aliam ob caussam suggeri a diabolo, vt temere
3. 12. iuremus, nisi, vt in periurium incidamus, Dico, non hanc so-lã esse istius rei caussam, vt paullo post explicabimus. Itaq; vides, ex Christi verbis nullo modo colligi posse, eum, dũ iurare vetat, illud vnum curasse, ne in periurium quis incideret. Quinimmo ex eius verbis, nisi ea aliquantulum, ratione duce, exemplisque sanctorum hominum admoniti, atq; eius mentem ex iis, quæ antecedunt, rectè colligentes, molliamus quodammodo, ac temperemus, omnia prorsus iuramenta, siue a magistratu delata, siue alioqui grauissima simul & certissima adhibenda, interdicta esse, colligi posse constat. quemadmodum multi, iis, quæ modò dixi-mus, aut spretis, aut non animaduersis, collegerunt. Etsi enim, vt dictum est, Christus ab initio ad legem de iuramentis super fu-turis, atq; ob id incertis rebus sua verba accõmodat, tamen illud quod deinde addit, præceptum, *Sit autem sermo uester Est est, Non non*, præsentes quoq;, immo præsentes potissimùm, id est res, de qui-bus, sint, aut fuerint, nec ne, iam sciri potest, omnino compro-batur.

tur. Iam verò, si rationem ipsam spectemus, satis perspicuum esse potest, Christo non hanc solam caussam interdicendi iuramenta fuisse, ne scilicet in periurium incidatur, sed hanc quoq;, eamque, (vt ego quidem arbitror) potiorem, ne vilescat apud nos Dei auctoritas, atq; maiestas, neue nobis videatur, tamquam cum sodali quopiam nostro, ita cum ipso Deo nos agere posse, eum testem idemtidem appellantes eorum, quæ nobis credi volumus, quantumuis leuia sint, nec vllo testimonio digna, nedum tali ac tanto testimonio. Breuiter, ne nos aliter, quàm summa cum reuerentia, ac tremore quodam, tamquam conditorem, ac dominum nostrum, vitæ, necisque nostræ sempiternę potestatem habentem, eum vel nominare quidem audeamus. Quæ caussa omnia iuramẽta cõplectitur, siue super rebus futuris, siue super rebus præteritis, siue super certis, siue super incertis, modò res sint leues, & voluntariũm iusiurandum. Nam, vt supra diximus, de voluntariis iuramentis Christum loqui, ex eo intelligi potest, quòd verba sua legi de voluntariis iuramentis loquenti, eaque permittenti manifestè opponit. Iuramenta autem de rebus grauibus nec indignis, in quibus Deus testis, & vindex etiam appelletur, a Christo non interdici, & Pauli apostoli in eiusmodi rebus interdum iurantis exempla docent, & res ipsa monet. cum nulla caussa sit, cur tunc Deum veritatis testem, ac mendacii vindicem aduocare non liceat, immo, cur quando aliquando non debeat. Non est enim nobis res semper cum hominibus integerrimis, & verè christianis. Nam & Deus ipse interdum iurat per semetipsum. nempe quia cum hominibus, quorum pleriq; ii non sunt, qui esse deberent, illi res est. Quod si aliter esset, & omnes veri Christi discipuli essemus, non video, quomodo iuriiurando alicui locus esse posset. Animaduertendum est tamen, cum in rebus futuris iusiurandum a nobis adhibetur, id est, cum rem aliquam facturos nos esse, aut non facturos, iureiurando confirmamus, si id iure fieri possit, ita interpretandum esse iusiurandum, vt ad rem præsentem referatur. hoc est, intelligendum esse, nos non de futuro euentu, sed neque etiam de futuro animo, & consilio nostro, sed de eo, quod tunc, cum iuramus, verè in animo habemus, asseuerare. Soli enim Deo, qui nec mutari potest, & in cuius manu sunt omnes futuri

Rom. 1. 9. 2. Cor. 1. 23. 11. 31. Philip. 1. 8. 1. Thess. 2. 5. 10.

euentus, de iis, quæ nondum sunt, quæq; ipse facturus, aut non facturus est, asseuerare licet. Itaq;, vt tandem concludamus, hoc contra quàm tu putas, inter Mosem, & Christum, quod ad iuramenta pertinet, discrimen est, quòd Moses dummodo non peieretur, nusquam per Dei nomen iurare vetat, Christus autem, etiamsi nec vllum periurium cõmittatur, nec vllum periurii sit periculum, ne iuretur, interdicit. Quod tamen ita intelligendum est, si voluntarium futurum sit iusiurãdum, & de rebus non adeò grauibus, vt Deus testis veritatis aduocari mereatur. Nam & ipse dixit, *Non iurare omnino*, tamen vox Omnino, vt supra indicatum fuit, non ita accipienda est, vt omnia prorsus iuramenta, id est de quibuscumque rebus, siue voluntaria, siue minùs comprehendat, sed omne iusiurandi genus in iis rebus, de quibus Christus loquebatur. Quod satis ostẽdunt sequentia verba, *neque per cælum, &c. neque per terram. &c.* quæ planè constat ἐπεξήγησιν esse eorum, quæ antecedunt. Perinde est enim, ac si dixisset, Non iurare omnino, id est neq; per cælum, &c. neq; per terram, &c.

Ex iis, quę hucusque a nobis disputata sunt, liquidò apparere arbitramur, meritò a Racouiensibus tuo de bello scripto obiecta illa tria fuisse. Primùm, quòd fictum Christum introducere videretur. Deinde, quòd aliena instituta a Christi institutis, iisq; contraria induceret. Postremò, quòd Mosem cum Christo confunderet, atq; adeò per Mosem, ac Legem Christum, atq; Euangelium aboleret, quidquid tu contra attuleris, quod examinatione, ac responsione dignum videatur.

Et quoniam ad hęc tria capita prȩcipuas ferè omnes aduersariorum tuorum reprehensiones reuocauimus, easq;, vt dictum est, a tuis responsionibus vindicauimus, primæ huius nostræ disputationis parti iam nos satisfeciſſe existimamus. Si quid tamen omissum a nobis fuerit, quod, ad hanc partem propriè pertinere, videri possit, id in aliis tribus non incommodè explicabitur. Iam enim nimis hæc pars excreuit, cui etiam propter reliquarum cum ipsa connexionem multa fortasse dedimus, quę alibi reseruanda erant.

RESPONSIONIS

RESPONSIONIS AD IACOBVM PALÆOLOGVM PRO RACOVIENSIBVS PARS SECVNDA.

SEquitur ex ordine, quem ab initio nobis ipsi præscripsimus, vt præcipua quædam explicentur, quæ a te non rectè in Racouiensium scripto præter non pauca, de quibus in superiore responsionis nostræ parte agere quodammodo necesse habuimus, reprehensa fuerunt. Non rectè autem reprehensa ea potissimùm appello, quæ a te vel tacitè, vel apertè falsò obiecta aduersariis tuis fuerint.

Tria in ipso responsionis tuę initio, paginâ libri tui 83. Racouiensium scripto vniuersè obiicis, Primum est, finem id non præstare, quod principium promittit. Alterum, nihil ibi esse, quod sit ex sacris dictis, aut sensibus collectum. Tertium, scriptum eiusmodi esse, vt arte, & lege careat, & propterea incertum sit, quò tendat.

Et si nihil hîc est, quod (si quis præsertim ea legerit, quæ a nobis ante scripta sunt) vlla refutatione indigere videatur, tamen quia non parum graues hę criminationes tuę videri possũt, Dico, primam falsam, aut certè vanam esse, ex eo constare, quòd principium scripti Racouiensiũ tres illas, de quibus supra egimus, reprehensiones scripti tui proponit, quas omnes, vt vidimus, ipsi deinde explicant, ac persequuntur. Quòd si in his ipsis ad finem vsque non perstiterunt, sed eorum occasione, antequam scriptum absoluant, de aliis quibusdam agunt, quæ tamen eódem pertinere videntur, quid (quæso) hoc refert, dummodo id aliquando præstiterint, quod polliciti fuerant? Quamquam non video, quomodo finis ipse optimè initio non respondeat, cum ab illis verbis, *Non dubium ergo est istos toto cælo errare, qui nunc obtrudere uolunt Ecclesiæ Christi leges Mosi*, &c. quæ sunt pag. 78. vsque ad finem ipsum de tribus illis omnibus agatur, quæ in principio proposita fuerant, vt cuilibet legenti facilè apparebit.

II. Secunda porrò criminatio tua eiusmodi est, vt mera calum-
Palæologus calumniatur. nia meritò nominari possit. Neque enim, cum ais, nihil in Racouiensium scripto esse, quod sit ex sacris aut dictis, aut sensibus collectum, id potissimùm tibi vis, quod ab aduersario dictum ferri possit, testimonia sacra, quę ab ipsis citantur, nec verbis, nec sententiâ eorũ dicta cõfirmare, sed nihil ipsos vel ex verbis, vel ex sententia sacrorum scriptorũ ad ea, quę dicunt, confirmanda afferre curasse, vt declarãt verba illa tua, quę statim sequũtur, *Simplex videtur esse narratio, quæ sit dictata iurato auditorio, nõ neruosa disputatio, cum dissentientibus animis susceptæ.* Iam verò, quàm hoc manifestè falsum sit, intelliget, quisquis eorum scriptum legerit. Nam, præterquam quòd ab ipso respondendi, quod faciunt, initio, id est ab illis verbis, *Nos uero contrarium*, &c. pag. 57. non priùs sacra testimonia proferendi finem faciunt, quàm ea omnia, quæ in totius scripti quasi argumento, & propositione quadam tuo scripto obiecerant, ipsis confirmauerint, in ipsis etiam examinandis, & variis rationibus ad id, quod proposuerant, accommodandis sanè quàm curiosi, ac diligentes sunt. præsertim verò in iis, in quibus *maior vis* est. nempe in iis, quæ ex Matthæi cap. 5. petita sunt. Atque hæc tua calumnia eò magis vituperanda est, quòd tu is es, qui frequentissimè ex tuo capite vel inauditas sententias fundis, vel sacrorum testimoniorum interpretationes insolentissimas affers, nulla nec auctoritate, nec ratione, nec exemplo allato, vt in superioribus disputationibus iam sæpius visum est, & infra etiam, vt spero, demonstrabitur,

III. Restat tertium crimen, quòd Racouiensium scriptum sit sine
Palæologi audacia. arte, & sine lege, & ob id incertum, quò tendat. Miror sanè, te istud Racouiensium scripto obiicere ausum fuisse. Primùm, quia (vt de lege, seu ratione, & arte, qua in scribẽdo vsi sint Racouienses, nihil dicam, qua tamen non carere eorum scriptum, facilè ostendi posset) apertissimum est, quò tendat, vel te ipso teste, qui nusquam deinde (quod sciam) in tota responsione tua Racouiensium vel mentem, vel vllis in verbis sententiam in dubium vocas, sed confidenter, & quid sibi propositum habeant, & quid vbique sentiant, te nosse profiteris, quamuis haud rarò opinione tua decipiaris. Id autem vel ex eo patet, quòd plerumque, dum eorum dicta

dicta recitas, vt postea refellas, non ipsorum verba, vt in eorum scripto leguntur, profers, sed ea pro arbitratu auges, minuis, mutas, fingis deniq; tamquam is scilicet, qui non minùs illorum scripti scopum, atq; sensus omnes noueris, quàm, si tu ipse illud conscripsisses. Quid, quòd, tibi cõtrarius, hîc statim subiicis hæc verba? *Dicitis in principio nos fictum Christũ introducere, instituta edere cõtraria Christi institutis, & alia quæ lõgo tractu fluũt per aliquot uersus. Hæc autẽ summa disputationis esse uidetur (Huc enim tota tendere uestra cognoscitur oratio) capto principio, &c.* Vides, te affirmare, quò tota oratio Racouiensium tendat, cognosci. Hoc autem annon id disertè refellat, quod ais, scriptum Racouiensium, quò tendat, incertum esse, tibi ipsi iudicandum relinquo. Deinde miror, te alteri obiicere, quod tuum est proprium. Legi ego multorum scripta, sed numquam (quod recordari possim) in aliquod incidi, quod tam confusè, atque incertè scriptum esset, quàm est istud tuum, quo Racouiensibus respondes. Iudicabit de vtroque cordatus lector. Tot certè loci, in quibus tibi ipsi (saltem in speciem) aduersaris, satis ostendere possunt, quàm incerta sit scriptio tua. Nihil autem dico de locutionis, sententiarum, argumentationum, responsionum, placitorum denique tuorum explicationis obscuritate, & perplexitate quadam, quæ omnia incertissima reddere apta est. Ego sanè (cuicuimodi sim) vt iam constare poteſt, sæpius in tuis dictis interpretãdis diuinare compellor. atque haud scio, an pauciſsimi ii sint futuri, quantumuis acuti, qui plerumque, quid tibi velis, rectè percipiant. Sed iam ad alia progrediamur.

Palæologus sibi contrarius.

IV.

Obiicis pag. 85. aduersariis tuis, quòd argumẽta tua non dissoluerint. & addis, *Sub finem orationis uestræ dicitis: Ad Palæologi argumenta postea respondebitur. Sed quando? Cùm tempus annuum ad respondendum habueritis?*

Non respõdent quidem Racouienses expresè, & nominatim ad singula argumenta tua, sed ita tamen responsionem suam temperant, vt ex ea facilè omnia dissoluantur, quemadmodum ex iis, quæ ante disseruimus, intelligi poteſt. Nam, quòd ipsorum verba affers, quibus se ad argumenta tua non respondere ipsi confitentur, turpiter ea in re es lapsus, cum in ipso eorum scripto, quod vnà cum respõsione tua editum est, ea verba minimè legan-

Palæologi lapsus.

tur. quæ si tamen verè in eorum scripto tibi tradito extabant, ta-
tis hinc coniici potest, quàm verum sit id, quod tui libri titulus
disertè profitetur, Racouiensium scriptum ibi haberi, vt est ab ip
sius auctore conscriptum, bona fide editum.

V. Pag. 94. ais, Leonis cognomen datum Christo malè con-
iungi (nempe ab aduersariis tuis) cum dicto illo, *Qui cum in for-*
Philip. 2. 6. *ma Dei esset, &c. aut* (inquis) *cum illo: cum hostis armatus & fortis, &c.*
Matth. 12. 29. Dicis enim, vel potiùs dicere vis, Primùm, ista duo dicta de ea-
dem re non loqui, cum illud ad gesta ante Christi mortem perti-
neat, hoc verò ad id, quod Christus egerit contra principem no-
ui regni post mortem, Deinde, cum neutro ipsorum Leonis cog-
nomen Christo a scriptura tributum planè conuenire, cum Chri
stus nec propter ea, quę ante mortem gesserit, nec propter ea, quę
contra principem noui regni post mortem egerit, sit a scriptura
leo appellatus, sed respectu ciuium malorum, qui noluerãt ipsum
regnare super se, quos ipse ante se occidi iussit.

Sunt hîc Palæologe plurima tua errata. Sed hoc loco de iis
tantùm agemus, quæ in Racouiensibus reprehendendis commisi-
sti. Neque enim, vt in superiore responsionis nostræ parte dixi-
mus, vel mentem eorum percepisti, vel verba attendisti, vel deni-
que eos reprehendendi vllam caussam habuisti. Mentem quidem
non percepisti. nam illi, cum de Christo, tamquam leone, verba
fecerunt, nullã rationem habuerunt alicuius appellationis, quam
ipsa scriptura Christo tribueret. Sed tantùm ostendere volue-
runt, Christum non post mortem solùm, sed etiam ante mortem
leonem fuisse, & vtrãque appellationem, & Agni, & Leonis ei li-
mul eodem tempore cõuenisse, non autem ex agno, qui ante mor-
tem esset, leonem post factum fuisse, vt ex verbis tuis apertè col-
ligebatur. Vbi etiam illud est obseruandũ, quòd tu ipse, cum pri-
mum hac de re locutus es, nullam appellationis alicuius, quã fa-
cræ litteræ Christo tribuant, sed rei ipsius tantummodo ratio-
nem habes. vt ex iis patet, quę pag. 8. leguntur. Verba porrò eo-
rum non attendisti. In quibus nulla appellationis alicuius Chri-
sto in sacris litteris attributæ fit mentio, sed simpliciter dicitur,
Christum agnum illum ab ipsis leonem agnosci, & leonem eum
apparuisse, quemadmodum extremâ pag. 58, & pag. 59. videre li-

cet.

cet. Nullam postremò causſam eos reprehẽdendi habuisti, cum interpretatio illa tua eius appellationis, quam ſcriptura Christo tribuit, cum eum leonem appellat, nullo pacto ſustineri possit. Quandoquidem in eo Apocalypsis loco, in quo vno apertè christus leo nominatur, & quem vnũ ipse affers, nulla prorsus fit mentio eius victoriæ, quam obtinuerit contra ciues illos malos, qui noluerant ipsum regnare super se, immo apparet, de alia victoria ibi verba fieri. de ea, inquam, victoria, quam Christus, sanguinem suum fundẽdo, aduersus mortem, & Satanam & sibi, & nobis peperit. quemadmodum superioris partis cap. 2. demonstratum fuit. Atque hac ratione, quia scilicet Satanam, & mortem deuicerit, aduersarii tui, eum leonem apparuisse, affirmauerant. quamquam, & leonẽ quoque in eo agnosci eum debere, dixerant, quòd tantam virtutis diuinæ vim exeruisset, vt ipsa quoque inanima, dum hîc esset, eius imperio cedere coacta fuissent. hucque locum illum, *Qui, cum in forma Dei esset*, &c. non obscurè accommodauerant. Sed de altero loco illo, *Cum fortis armatus*, &c. ne verbũ quidem in eorum scripto habetur, & si eum quoque ad hoc idem referre potuissent. Lapsus es igitur haud leuiter, cum in responsione tua ita locutus es, ac si ipsi eum locum huc accommodassent. Sed multò grauiùs in ipsius loci explicatione es lapsus, quemadmodum alibi planum faciemus.

Apoc. 5. 5.

Luc. 11. 21.

Palæologi lapsus.

VI.

Sequitur multiplex tua illa reprehensio, quam in ipso pag. 98. initio explicare instituis. Quoniam enim aduersarii tui affirmauerant, Christum tunc demum vlturum esse hostes suos, cum eos in æternum ignem ablegabit, non autem hoc gratiæ, & mediationis tẽpore, 1. Primùm ais, si Christus postremo illo tẽpore sine vlla transgressarum a se latarum legum vlcisci suas, & suorum iniurias poterit, certè non ampliùs priuatum illum esse, sed magistratum. Quòd si magistratus est, nunc etiam licet ei omnium iniurias vlcisci, nõ solùm aliorum, sed etiam suas sibi illatas olim, cum priuatus esset.

Sed vbi est, Palæologe, acumen tuum? Quis te in argumentando terminos (quos vocant) ita, vt facis, mutare docuit, & exquatuor terminis (quod aiunt) syllogismum constituere? Sic enim reipsa argumentaris, Quicumq; potest iure suas, & suorum iniurias

Palæologus pessimè argumentatur.

iniurias per se vlciſci, is magiſtratus eſt. Chriſtus poterit iure ſuas, & ſuorum iniurias vlciſci. Ergo Chriſtus eſt magiſtratus. An non vides, te pro Poteſt præſentis temporis, quod in propoſitione eſt, in aſſumptione Poterit, quod futuri eſt temporis, reponere? Neque enim arbitror, te vel præ incuria, vel inuſitata quadam ſermonis figura, cum ea verba ſcripſiſti, *certè non ampliùs priuatus eſt*, Eſt pro Erit ſcripſiſſe. Nam nihil prorſus ad rem facit, quòd extremo illo tempore Chriſtus magiſtratus futurus ſit, cum iam ipſi aduerſarii tui velint, tunc a Chriſto de hoſtibus ſuis dignas pœnas ſumptum iri. Nec verò hęc eò a me dicuntur, quia Chriſtum nunc magiſtratũ eſſe, negare velim (quod maximè affirmo, atq; vt mox apparebit, etiam contendo) ſed vt argumentationis tuę ſummum vitium oſtendam. Præterea, quomodo ex Racouienſium verbis colligis, Chriſtum nunc iurè hoſtes ſuos vlciſci non poſſe, cum ipſi manifeſtè non de eo, quod Chriſtus ſit facturus, ſed de eo, quod faciat, & facturus ſit, loquantur? Numquid nemo non facit id, quod iurè poteſt? Atqui certum eſt, & Deum ipſum multa non facere, quæ tamen iurè facere poteſt. & væ nobis, niſi id ita eſſet. Nemo noſtrûm ſempiternis grauibus pœnis ab ipſo non afficeretur, aut certè ab æterna ſalute excluderetur.

2. Quare quod deinde addis, *Decipitur autem ſcriptor dum ſub poſtremum tempus reijcit hanc aditi à Chriſto magiſtratus facultatẽ & vlciſcendi hoſtes de iniurijs illatis, ſine uitio, poteſtatem, cum Chriſtus aliter & Apoſtoli loquuntur*, &c. hoc, inquam, p ſe nihil planè eſt, cum ſcriptor nõ neget, Chriſtum iam adiiſſe, hoc eſt accepiſſe magiſtratum, iamq; hoſtes ſuos vlciſci iurè poſſe, Sed nondum id fieri ab ipſo dicat. Verùm quia teſtimonia, quæ deinde profers, vt probes, Chriſtum iam magiſtratum adiiſſe, iamq; hoſtes de iniurijs illatis ſine vitio vlciſcendi poteſtatem adeptum fuiſſe, eiuſmodi ſunt, quæ id etiam iam ab eo factum eſſe, probare videãtur, Animaduertendum eſt, cum ſcriptor iſte in poſtremum illud tempus Chriſti de ſuis hoſtibus vltionem reiicit, eum de omnium hoſtium vltione loqui, deq; ea vltione, cuius ſimulatque indicia apparuerint, nullus amplius pœnitentię locus, nulla veniæ ſpes erit. De hac enim vltione hîc quæritur, quæ ſcilicet omnem clementiam, & lenitatem,

aut

aut certè omnem (vt ita dicam) conniuentiam excludat. Itaque, cum Christus ante illum extremum diem, tametsi nonnullos ex suis hostibus vlciscitur, tamen clementem se, veniam resipiscentibus offerendo, & lenem, vltionem differendo, præbeat, & præterea adeò conniueat, vt plerosq; ex suis perpetuis hostibus non vlciscatur, apparet eum, quamuis magistratus iam factus fuerit, tamen placidam & mitem naturam suam non deposuisse. & porrò certum esse debet, ex Christi factis, & persona pro hoc tempore nullum argumẽtum duci posse ad eam sententiam confirmãdam, quòd hominibus christianis suos hostes, belligerando, interficere liceat, immo contrarium potiùs inde colligendum esse. Huc enim tota hæc disputatio referenda est. Rectè igitur Racouienses, qui nondum Christi vltionis tempus venisse affirmant, sed in postremum diem illam reiiciunt. Nam (vt inquit Petrus) Dominus interim patienter agit erga nos, nolens quemquam perire, sed omnes ad pœnitẽtiam venire. Hæc Dominus gloriæ facit, & nos scilicet vilissimi homunciones omnes hostes nostros, nisi statim resipiscant, perdere nobis licere volumus, idque exemplo etiam ipsius Domini confirmare nos non pudet. Quamquam vereor (quidquid de Christo, quòd magistratus sit, a te affirmetur) te post excidium Hierosolymitanum Christo magistratum non concedere, nisi futurum tunc, cum hostes suos, qui intra ipsa castra Christianorum sunt, vlciscetur, quemadmodum olim eos, qui extra castra erant, vltus est. vt ea indicare videntur, quę scripta a te legũtur pag. 99. Vbi inter excidium Hierosolymitanum, & postrema tempora Christum in hostibus suis vlciscendis otiosum planè statuere videris. Quòd si ita sentis, erras vehementer, & in eum ipsum errorem incidis, quem aduersariis obiicis. Nam tu verè is es, qui non animaduertis, etiam ante postrema illa tempora, Christum vlciscẽdorum hostium suorum potestatem adeptum fuisse, quæ non quadraginta illis tantùm annis durauit, qui eius resurrectionem sunt consecuti, nec finem tunc habuit, cum vltus est malos illos ciues, Iudæos scilicet, qui noluerunt, vt regnaret super ipsos, sed ad consummationẽ vsque sæculi perpetuò durauit, & duratura est, quamuis extremis temporibus potissimùm patefieri debeat.

2. Pet. 3. 9.

3. Sed postremò ad finem prædictæ pag. 99. rides quodammodo id, quod ex Racouiensium verbis apertè colligitur, tempus gratiæ, & mediationis (quam vocant) Iesu Christi vsque ad postrema illa tempora duraturum. Vis enim, manifestum esse, tempus istud, ante postrema etiam tempora, finem habuisse, nempe, vt satis ex antecedentibus tuis verbis constat, ante ipsum Hierosolymæ excidium, & Iudaicæ gentis dissipationem. Existimas autem, Racouienses ideo Christum etiamnum mediatorem esse
1. Ioh. 2. 1. dicere, quia παράκλητος noster apud Patrem appelletur, putasque, eos omnino Paracletum pro Mediatore sumere. Et quamquam tu nec satis te explicas, nec aliquid eorum, quæ hoc loco dicis, probas, quippe de quibus alio tempore te dicturum ais, tamen ad hæc aliquid dicam, quantum scilicet satis esse putauero ad Racouienses a tua reprehensione defendendos.

Dico igitur, gratiæ tempus post Christum exhibitum ad ea
2. Thess. 1. 8. vsque tempora duraturum, cum Christus veniet pœnas sumpturus de iis, qui Euangelio non obediunt, nec ampliùs pœnitentiæ ad veniam peccatorum consequendam locus erit. Interim enim omnibus pœnitentiam agẽtibus, quantumuis antea impiis ac sceleriosis, peccatorum remissio conceditur, præsertim verò iis, qui priùs Iesu Christi cognitionẽ non habuerint. Et hęc est Iesu Christi gratia illa, quam Racouiẽses intelligunt, nec immeritò. Chri-
Luc. 24. 46. stus enim ipse fuit, qui dixit, oportuisse, vt Christus paterետur, & prædicaretur in nomine eius pœnitẽtia, & remissio peccatorum per omnes gentes, facto initio ab Hierosolymis. & Paulus ait,
Tit. 2. 11. extitisse gratiam Dei salutarem omnibus hominibus erudientem nos, vt sobriè, iustè, ac piè viuamus in præsente sæculo, expectantes beatam illam spem, & aduentum Iesu Christi, per quem scilicet ea gratia extitit, quique tandem re implebit, quod Dei patris sui nomine promisit. Hoc Christi gratiæ tempus, mediationis quoque eiusdem Christi tempus ideo (vt puto) Racouienses appellarunt, quia scriptura testatur, eum etiamnum in cælis a Dei
Rom. 8. 34. dextris sedentem interpellare pro nobis, & seruare posse ad plenum eos, qui per ipsum accedunt ad Deum, semperq; viuere, vt
Heb. 7. 25. pro iis interpellet. Ex quibus apertè constat, Christũ tamquam medium inter nos, & Deum tantisper futurum, donec ad Deum accessus

accessus patuerit, & nos id, quod a Deo petimus, & expectamus, id est nostri corporis (vt Paulus loquitur) redemptionem obtineamus, qua peccatorum nostrorum plena remissio continetur. Rom. 8. 23.

Vnde perspicuum est, totum hoc tēpus Christi mediationis tempus rectè nominari posse, quidquid τὸ παρακλήτου nomen Christo post resurrectionem tributum significet. quò, vehementer errans, putabas omnino aduersarios tuos respexisse. quasi verò aliunde de ista Christi mediatione, quæ ad postremum vsque tempus durata sit, non multò clariùs appareret. Quæ cum ita se habeant, quid Racouiēsium sententiæ obesse potest, quòd, alia quadam ratione Christi gratiæ, & mediationis tempus finem multò ante habuisse, dici possit? Scimus & nos sacris litteris edocti (nec Racouienses negant) alterum istum Christi aduentum, alterumque iudicium, quod, vrbe Hierosolyma excindenda, Iudaicaque natione dissipanda, tot sæculis ante factum est, ex quo, Christi gratiæ, & mediationis tempus ex parte quodammodo cessasse, dici potest. Verùm hoc non impedit, quominus, quemadmodum verus eius aduentus, verumque iudicium adhuc expectādum est, sic etiam adhuc veræ gratiæ, ac mediationis ipsius tempus perpetuò duret. Palæologi error.

4. Ex ante dictis intelligi posse arbitramur, quāto in errore versaris, qui putes, distinctionem illam tuam appellationum Agni, & Leonis Christo tributarum, diuersarumque ante mortem, & post mortem Christi actionum, tamquam ex scripturis sacris deprompta, ab ipsis tuis aduersariis agnosci, & comprobari, cum dicunt, nunc quidem gratiæ, & mediationis Christi tempus esse, sed ipsum aliquando cessaturum, & tandem futurum, vt Christus hostes suos vlciscatur. Nam nihil hoc cum tua illa distinctione commune habet, qua fit, vt Christus ex placido & miti, qui ante mortem erat, rigidus planè ac seuerus, simulatque resurrexit, factus fuerit, & statim suorum hostium vltor, is, qui eis bene facere, proque eis orare solebat. Immo, diuersum prorsus eos sentire, istud demonstrat, cum, non ante postrema tempora placidum ac mitem animum a Christo depositum iri, velint, nec ante verè, ac plenè de hostibus suis dignas pœnas eum esse sumpturū. Numquam negarūt aduersarii tui, Christum in quibusdam diuersum Palæologi error.

quodammodo a seipso pro temporum, & conditionis suæ ratione & fuisse, & futurum esse, sed non in iis, neque eo tempore, quod tu affirmas. Nam, sicut diuersitatem, quam ipsi confitentur, ex sacris litteris haustam esse vident, ita, quam tu & asseris, & urges, minimè ex sanctis scripturis depromptam esse agnoscunt.

VII. 1. Dixerant aduersarii tui, Christum nusquam vocare beatos persecutores, homicidas, immites, impacificos. Tu hoc dictum ita accipis, ac si ex eo ab aduersariis tacitè concluderetur, non licere magistratum esse, præsertim qui gladiũ gestet, & homines aliqua ratione occidat, vt pag. 213, & 214. patet. vbi multùm laboras, vt conclusionem istam futilem esse doceas. Atqui frustra planè hoc loco tantum laborem sumis, cum nihil aliud ex eo dicto concludere velint Racouiẽses, nisi, non licere homini christiano bellum gerere, suasue iniurias vlcisci, siue id iubente magistratu, aut per ipsum magistratum faciat, siue minùs. Nam de priuatis hominibus inter vos potissimùm disputatur. quos tu, licèt christianos, tamen magistratus auctoritate in bello hostes occidere, & acceptarum iniuriarum vindictam iurè persequi posse affirmas, illi negant. Nec verò ex eo, quòd magistratus ipse ista faciendi ius habeat, sequitur, priuato homini, magistratus auctoritate interueniẽte, eadem licere. qua de re satis disputatum est a nobis superioris partis cap. 2.

2. Verùm non contentus, ex Racouiensium dicto id collegisse, quod colligi non debet, eos postmodũ idipsum ferè disertis verbis dicentes facis. pag. enim 217. sic ais, *Nusquam, inquit,* (auctor scilicet scripti illorum) *hoc in capite* (Matthæi videlicet quinto) *Magistratus gestans gladium, beatus dicitur.* Nam vbi quæso verba illa in Racouiensium scripto legis? Siccine calumniari placet, & innocentes homines in inuidiam vocare? Dices, multò peiora de magistratu gladium gestante ab ipsis apertè affirmari. Respondeo primùm, satis esse, vt calumniari meritò dici possis, falsum esse, in eorum scripto verba ista extare. Deinde, quid alibi, cum de magistratu gladium gerente loquuntur, sibi velint, te minimè intelligere affirmo, vt suo loco planum facere conabor.

Palæologus calumniatur.

IIX. Sed adhuc graui calumnia miseros premis, cum ad finem pag. 216. ad hunc modum scribis, *Sub lege, inquit, beati erant immisericordes, inimici,*

Palæologi calumnia.

inimicos, impacificti. Vbi animaduertēdum est, præter verbum *inquit*, ea scilicet omnia, quæ Racouiensium scriptorem dicentem facis, alio illo litterarum charactere notata esse, qui, ipsa aliena verba te recitare, indicet. Nusquam enim verba ista in ipsorum scripto leguntur, sed ne sententia quidem. Quid igitur attinet, statim, vt facis, subiicere, *Atqui hoc est consulto insanire. Vbinam in lege Mosis hoc est scriptum?* Quod cum satis esse non videretur, adscriptum est in margine, *Calumnia manifesta in Dei legem.* Itaque calumniari, quod tuum hac in re est proprium, eadem ipsa in re iis, quos calumniaris, attributum videmus. Quod quid sit, piis, & cordatis hominibus iudicandum relinquo.

IX. Obiicis aduersariorum scriptori, quòd omnino non intelligat dictum illud Pauli, *Lex pædagogus noster fuit ad Christum*, lectoremque ad scholia tua in epistolam ad Galatas reiicis. quasi verò scholia ista tua omnium iam manibus terātur. Expectandum autem videretur, donec ea in lucem saltem prodirent, nec antea tibi respondendum. Verumtamen illud interea affirmare ausim, Racouiensium scriptorem, non omnino locum illum non intelligere, quin rectè planè in eo sentire, quòd ex eo probari existimat, ex Christi disciplina vitę nostræ institutionem nostram petēdam esse, non autem ex lege Mosis, non quidem quia hæc cum illa pugnet, sed quia Christi disciplina multò perfectior est, quàm lex Mosis, & nos Christi discipuli sumus. Sciendum est enim, Paulum, vbicumque fidem Christi Legi opponit, fidei Christi appellatione Christi præceptorum obedientiam comprehendere, cum nemo Christo confidere dici possit, nisi ea faciat, quæ ipse præcepit. Fiduciam enim, seu confidentiam fides ista omnino declarat, vt locutiones illæ, Fides in Christum, Credere in Christum præter alia multa, multoque certiora argumenta, quæ hoc loco explicare non est necesse, satis apertè docent. Quinetiam, quamuis Christi fides nihil aliud esset, quàm Credere, Iesum esse Christum, vt tu sine dubio arbitraris, tamen hæc ipsa fides christi præceptorum obedientiam cōplecteretur. Nemo enim fuerit, qui credat, Iesum esse Christum, id est regem æternum a Deo humano generi datum, quo duce, & adiutore possimus & Satanam, & mortem ipsam vincere, ac superare, æternamque vitam, & felici- IX. *Gal. 3. 24.*

tatem consequi, quin ipsi obtemperet, eiusque mandata sedulò exequatur. Cum igitur ait Paulus, Legem pædagogum nostrum fuisse ad Christum (non autem in Christo, vt tu veterem interpretem secutus locum recitas) atque Christi nomine, vt ex antecedentibus, & subsequentibus manifestum est, Christi fidem intelligat, nihil aliud sibi vult, quàm, Christi disciplinâ publicatâ, Mosis legem ampliùs nobis spectandam non esse, tamquam eam, vnde adhuc institutio nostra petenda sit. Ipsis enim pædagogi institutis tamdiu puer tenetur, quamdiu eò peruentum non est, quò pædagogi institutio perducere debet. Sed postquam eò peruentum fuerit, is sub pædagogi disciplina non est ampliùs, sed perfectiorem vitę rationē ætatique suæ cōuenientiorem instituere debet, quamuis pleraque eorum, quæ a pædagogo didicerat, puerilis ætatis sunt propria, adhuc illi seruanda sint. quæ etiam multò faciliùs, & absolutiùs, quàm antea, seruare poterit. Quocirca non est, cur quis miretur, sub Christi disciplina, quamuis ea Mosis legi successerit, multa seruanda esse, quę in lege Mosis præcipiebātur, immo ea omnia, quæ eius temporis, & puerilis adhuc Dei populi ætatis propria non erant, & simul faciliùs multò, atque absolutiùs, quàm sub ipsa Mosis lege fieret, præstari posse. Vnde factum est, vt Paulus, per fidē (nempe Christi) legem (moralem videlicet Mosis) non modò non tolli, sed stabiliri dixerit. Rom. 3. 31.

X. Reprehendis pag. 223. eumdem scriptorem, quòd dixerit, Christum charitatem, & patientiam docere, Mosem verò impatientiam, & odium. blasphemiæque in leges Dei per Mosem latas ipsum insimulas. Atqui haud paullo aliter loquitur ipse scriptor. Ait enim, Christum multò perfectiorem charitatem, & patientiam docuisse, quàm Mosem, sub quo impatientiæ, & odio locus fuit, vt pag. 61. cuilibet legenti constare poterit. Sed demus tibi. Docere idem esse, quod Permittere, quemadmodum postmodum loqueris (quamquam ne sic quidem scriptoris sententiam exprimis) &, quid pro reprehensionis tuæ ratione afferas, consideremus. Negas igitur, Mosem impatientiam, odiumque permittere, quia certum sit, eum a priuatis requirere obseruationem legis diuinæ ex toto corde, ex tota anima, ex omnibus viribus erga Deum, & homines. & addis, *Cum autem omne dicitur, nihil relinquitur non*

non inclusum, ubi est igitur ista perfectio charitatis, quam prætermisit Moses & addidit Iesus Christus? Cum ille dicat, ex toto corde, anima, uiribus, fortitudine amandum Deum & proximum.

In hac tua ratiocinatione non vno modo grauiter erras. Primùm enim in eo fœdè laberis, quòd ais, Mosem dixisse, proximũ amandum esse ex toto corde, anima, viribus, fortitudine. Nam id Moses nusquam dixit. qui nihil ampliùs præcepit, quàm vt quisque proximum, vt seipsum, amaret. quod quid significet, & quomodo perfectam charitatem minimè declaret, alibi iam ostendimus. idque ex eo etiam intelligi potest, quòd ad perfectam charitatem, & qualis ea est, quam Christus præcepit, non satis est proximum, sicut seipsum, amare, sed etiam plus, quàm seipsum, amare eum oportet. animas enim nostras pro fratribus ponere debemus, 1. Ioh. 3. 17. Deinde non intelligis, quid sit Amare ex toto corde, anima, &c. Credis enim hoc idem esse, atque Ita amare, vt plus amari non possit, cum tamen certum sit, idem locutionibus illis significari, ac si diceretur Amare ex animo, in idque totis viribus incumbere. vt & verba ipsa præ se ferunt, & exempla non pauca apertè docent. Præterea non animaduertis, vim huius disputationis in eo esse, vtrùm eadem mandauerit Deus per Mosem, quæ per Christum mandauit, non autem, vtrùm ita perfectè Mosis mandata seruanda essent, vt seruãda sunt mandata Christi. Hoc dico, quia ex argumentatione tua nihil aliud concludi potest, nisi legem, quam Deus per Mosem dederat, perfectissimè seruandam fuisse. vt ipsa tua verba demonstrant, cum ais, Mosem a priuatis requirere obseruationem legis diuinæ ex toto corde, ex tota anima &c. Quare, cum aduersarii tui dicant, in lege diuina per Mosem lata non eam charitatem, & patientiam præceptam fuisse, quam postea Christus præcepit, hoc tantùm ex argumentatione tua efficietur, istam minorem charitatem, atque patientiam, quam lex Mosis præcipiebat, non minùs perfectè seruandam fuisse, quàm maiorem illam a Christo prçceptam. id quod aduersarii tibi facilè concedent. Sed, vt vides, hoc nihil ad rem facit, nec aliquid agis, nisi probes, idem prorsus in lege Mosis, quod ad charitatem ipsam, & patientiam attinet, mandatum fuisse, quod a Christo mandatum fuit. Hoc verò numquam, ne in

Palæologi lapsus.

Palæologi error.

Palæologus fallitur.

ne in speciem quidem, facere poteris. Namque, vt dictum est, nos charitatem illam erga proximum ex toto corde, &c. in Mosis lege mandatam fuisse, apparet (hîc verò de charitate erga proximum agitur) nec charitas erga Deum, quantumuis perfecta, quæ mãdata fuisset, aliud præterea complecti poterat, quàm eorum quæ Deus præceperat, planè diligentem absolutamque consi uationem.

XI. Asseritur in Racouiensium scripto, vt supra visum fuit, sub Euangelio non licere ob leues causas vxorem dimittere, imme ne ob graues quidem, nisi propter adulterium, cum tamen alioq sub Lege esset. Ad quod probandum Pauli præceptum affertum, ex quo, ne propter ipsam quidē religionis diuersitatem vxorem dimittere licere, constat, cum tamen sub Lege ob diuersam religionem vxoris repudium esset. Hîc tu & indiligentiæ, & impera tiæ scripti auctorem damnas, vt ex iis constat, quæ pag. 220. &c. scribis. & ais, ideo sub Euangelio disparia propter religionē coniugia non dirimi, quia iam præputiatæ gentes, si credant, Iesum esse Christum, Deum habent, & cum Israelis republica numerantur. Quare, si contigerit, vnum ex duobus coniugatis non circumcisis credere, Iesum esse Christum, etiamsi alter non credat, non tamen is, qui credit, non est ex populo Dei. Sed quid hoc ad rem facit? Nonne coniugatus iste ex populo Dei esse posset, & tamen matrimonium istud amplius non consistere, aut saltem prohibere, si vir sit, vxorem dimittendi potestatem habere? Hinc patet, nihil esse, quod postmodum addis, nusquam legi, ante natum Iesum Christum, si quis non naturâ Iudęus per circumcisionem Iudæus factus esset, coactum fuisse vxorem, quæ Iudæa fieri nollet, deserere. Nam & satis est ad Racouiensium rationem conclusum, eum illam deserere potuisse, nec ipsi sanè vrgent, sub Lege disparia ob religionem coniugia omnino dirimenda fuisse, sed ea

Palæologus Racouiēsibus quiddam affingit.

id ipsis more tuo affingis. Sic enim se habent ipsorum verba pag. 61. *Paulus etiam infideles ferre iubet, si cõsentiant cohabitare, quod sub lege non fuit, vbi diuortium ob leues causas fuit, & ob diuersam religionem repudium*; non autem (vt tu ex tuo capite in sexta, quam facis eorum objectione pag. 225. ea formare voluisti) *Paulus non iudicat diuidenda matrimonia inter fidelem & infidelem inita, quæ Moses iussit diuidi & Esræ erat*

cius.

eutus. Itaque probandum tibi fuerat, ne sub Lege quidem ei, qui per circumcisionem Iudæus factus esset, vxorem, quæ Iudæa fieri nollet, si ea cum ipso habitare consensisset, dimittere licuisse, aut certè, vt aduersarii contrarium probarent, postulandum. Quod tamen non rectè omnino postulasses, cum ipsi satis haberent, ostendisse, sub Euangelio, etiam ob grauissimam caussam diuersitatis religionis, vxorem dimittere non licere. etenim pro concesso quodammodo sumunt, sub Lege ob leues caussas id fas cere licuisse. Est autem id vehementer ridendum, quòd non solùm credis, Racouienses hanc differentiam inter Legem, & Euangelium statuere, quòd sub Lege Iudæo homini alienigenam sibi iunctum in matrimonio habere non liceret, sub Euangelio autem liceat, sed etiam, id verum esse, concedis, & rationem affers, quare id ita sit. cum tamen nec Racouienses id dicant, nec id verum videri possit. Quandoquidem etiam sub Lege Iudæus homo alienigenæ per matrimonium iungi poterat, modò alienigena Iehouam Deum agnosceret, & Mosis legi se subiiceret. Ita sub Euangelio potest Iudæus homo alienigenę in matrimonium copulari, modò alienigena credat, Iesum esse Christum, & sese Christi discipline addicat. atq; hac in parte idem sub Euangelio præstat Christi fides, quod sub Lege circumcisio, & alia quibus Iudaici nominis professio continebatur. Cæterùm, quòd rationem affers, cur inter Iudæum, & non Iudæũ diuulsiones matrimoniorum fierent sub Lege, non autem inter fidelem, & infidelem sub Euangelio, quia scilicet nullum periculum erat, ne infidelis infidelem ad cultũ alienorum deorum traheret, quemadmodum erat, ne Iudęus a non Iudæo traheretur, id a te non solùm, quod ad rationem attinet, contra omnem rationem, omnemque experientiam dicitur, vt alibi ostendemus, sed dictum ipsum aut planè falsum est, aut nihil ad rem facit. Nam, si Iudæi nomine naturâ Iudęum intelligis, falsum est, inter naturâ Iudæum, & non naturâ Iudæum matrimonium consistere non potuisse, modò non naturâ Iudæus, postea Iudæus esset factus, vt paullo ante dictum est. Sin autem Iudæi nomine non naturâ Iudæum, sed quocumque modo Iudæum intelligis, id etiam (vt tibi ipsi placet) nõ erat perpetuũ, sed tunc demum verum erat, si ab initio contracti matrimonii iam diuersitas

Palæologi error duplex, isq; ridiculus.

sitas ista religionis in vtroque fuisset. Nam, si ea superueniisset, non concedis, eo casu matrimonium omnino dirimi debuisse. Quòd si dicas, te eum casum tantummodo intellexisse, cum ab ipso initio vnus Iudæus est, alter verò minimè, & ita esse perseuerant, Primùm nullam hîc differentiam inter Legem, & Euangelium ostendere poteris. numquam enim probabis, matrimonium inter fidelem, & infidelem ab initio contractum, si in eodem statu religionis permaneant, dirimi non debere. Deinde, etiamsi id probares, hoc nihil ad rem faceret, cum Pauli præceptum, ex quo aduersarii tui differentiã inter Legem, & Euangelium colligunt, non ad istum casum, sed ad eum pertineat, cum ex duobus infidelibus ab initio in matrimonio coniunctis vnus fidelis fit, altero infideli permanente. vt tu ipse, cum postremò vrges, nusquam legi, matrimonium ab initio inter duos non Iudæos contractum, si alter eorum Iudæus factus esset, omnino dissolui debuisse, non confiteris modò, verùm etiam satis apertè contendis.

XII. *Palæologus calumniatur.*

Obiicis non obscurè aduersariis tuis, quòd negent licere, magistratu iubente, iuramentum præstare. quæ, vt statim videbimus, calumnia censenda est. Verùm, antequam id ita se habere ostendam, ne ego ipse calumniari videar, indicandi sunt loci, ex quibus perspicuum est, te id, quod dixi, aduersariis obiicere. Primùm enim pag. 227, formata septima, quam ipse statuis, aduersariorum obiectione, his verbis, *Iuramenta permittit lex Mosis, Christus non permittit*, in responsione deinde, cum ostendere velles, quæ iuramenta Christus vetet, ea verba inter alia scribis, *Illa enim quæ deferente Magistratu iuramenta fiebant, & de præteritis rebus & ad formam cõceptam à Magistratu, non ad arbitrium eorum qui iurabant proprium, iurabantur.* Exquibus apertum est, te id quærere, vt probes, iuramenta a magistratu delata a Christo interdicta non fuisse. Atqui nihil ea re opus esset, nisi planè statueres, aduersarios velle, ista quoque ab ipso interdicta fuisse. immo nisi, cum dicunt, Christum iuramenta non permittere, ea iuramenta potissimùm eos intellexisse velles. At deinde id apertiùs docet conclusio illa tua pag. 229. *Sicut autem falsum est Iesum Christum negare, ne coram magistratu, ipso iubente iuremus veritatem quam nouimus, ita uerum est*, &c. Nam quid aliud significant verba illa, *falsum est*, quàm aduersarios tuos ita sentire, sed falsos in eo esse? Præterea,

se? Præterea, si quis ea legerit, quæ scribis hac de re pag. 141, vbi multùm laboras, vt probes, licere magistratui iuramenta deferre, eique parendum esse, si iubeat, vt iuretur, nihil dubitabit, quin id potissimùm agas, vt contrariam, quam esse putes, aduersariorum sententiam refellas. Verùm, ex quibus ipsorum verbis eam collegisti? Numquid ex illis, quæ scripta sunt pag. 62? *Sic omnia iuramenta Christus ipse suis uetat, ne omnino iurent*, & aliis, quæ in eamdem sententiam paullo post repetuntur? Atqui, cum ipsi vniuersè loquantur, nec aliis ferè verbis, quàm iis ipsis, quæ Christus dixit, vtantur, debent quoque eorum verba vniuersè, & generatim accipi, nec aliter intelligi, atque Christi verba intelligantur, ex quibus, etiamsi de priuatis tantùm iuramentis eum agere concedamus, tamen magnum inter ipsum, & Mosem ea in re discrimen apparet, vt alibi supra a nobis ostensum fuit. idque Racouiensibus satis est. Numquid ex illis, quæ ibidem dicunt, Finem omnis controuersiæ sub Lege inter Israelitas iuramentum fuisse, ex quibus apparere fortasse quis dixerit, eos velle dicere, hoc sub Euangelio non ampliùs esse? Non certè. Quid enim, etiamsi id verum esset? Certè sententia illa ex epistola ad Heb. desumpta non ad controuersias tantùm refertur, quę coram magistratu inter priuatos sunt, sed ad omnes alias priuatas controuersias, in quibus quiescit altera pars, si altera id, quod affirmat, aut negat, iureiurando interposito confirmet. Quin locus ipse eius epistolæ indicat, de planè voluntariis iuramentis præcipuè sententiam illam accipi debere, non autem ab alio delatis. De Dei enim ipsius iureiurando ibi agitur, quo se Abrahamum multiplicaturum, & felicitaturũ confirmauit. cuius rei occasione dicitur, hominibus omnis controuersiæ finem ad rei confirmationem iusiurandum esse. Quamobrem, quamuis concedatur, Racouienses voluisse dicere, sub Euangelio sententiam istam non ampliùs locum habere, non tamen iuramenta, quæ magistratus deferat, tollentur. Satis enim, superque verum erit, non ampliùs omnis controuersiæ finem iusiurandum esse, si omnia voluntaria iuramenta, quæ in priuatis controuersiis adhiberi solent, interdicta esse statuatur.

Heb. 6. 16.

Sed iam video, ex quibus aduersariorum verbis te id collegisse, dicturus sis, quod ego illis a te falsò obiici, affirmo. Nempe

ex illis eādem pag. 62. Et *sanè iuramentorum forensium nullus usus esse po-terit, cum & ipsa iudicia, seu lites iudiciales piis interdictæ sint, ut*, &c. Sic e-nim puto legendum esse, non autem, *interdicta, ut*, &c. quemadmo-dum editum est. Hìc primùm dico, hæc verba ita interpretan-da esse, ac si dictum fuisset, Et sanè ipsorum etiam forensium iu-ramentorum, &c. Nihil enim aliud dicere voluisse Racouienses videntur, quàm, etiamsi vniuersali Christi, & Iacobi mandato fo-rensia iuramenta non tollantur, quippe cum Christus, ad cuius sententiam Iacobi verba sunt accommodanda, de priuatis iura-mētis prorsus agere videatur, tamen nihilominus ipsis etiam fo-rensibus iuramentis nullum locum futurum, cum lites piis homi-nibus hodie sint interdictæ. Sed fac deinde, aduersarios tuos fuis-se, omnia forensia iuramenta a Christo interdicta fuisse, Dico, forensium iuramentorum appellatione eos nequaquam ea iura-menta intellexisse, de quibus hoc loco agimus. Agimus enim de iis iuramentis, quæ magistratus ad veritatem deprehendam iurari ipse iubet. At forensia ista iuramenta ea sunt, quæ planè cessant, si quis a litigando abstineat. Sic enim ipsorum Racouien-sium verba demonstrant. In litibus porrò nullum fortasis iusiu-randum omnino iurari magistratus ipse iubet. Alterutra enim parte petente, aut certè in alterutrius partis commodū iuramen-ta deferuntur. Quocirca sine vlla vel magistratus, vel veritatis ipsius iniuria pars, cuius interest, vt iuretur, curare, ne iuretur, potest. vnusquisque enim beneficio, iurique suo renunciandi po-testatem habet. Sed lōgè aliud est, cum magistratus ipse sua spon-te, & ex officio (vt dicitur) iubet, vt iuramentū præstetur, quem-admodum in criminibus euenire solet, quo casu nō sine ipsius ma-gistratus, atque adeò ipsius veritatis offensione is, qui iurare est iussus, a iurando abstinere potest. nemo enim iurare iubetur, nisi vel iam de re testatus fuerit, vel testaturus sit. Quòd si quis iusiu-randum præstare non vult, cur etiam a testimonio dicendo non abstinet? Verùm de huiusmodi iuramentis, vt dictum est, Race-uiensium verba nullo modo accipi possunt, sed de iis sunt omni-no accipiēda, quæ, tametsi coram magistratu præstantur, in gra-tiam tamen ipsorum litigantium deferuntur. Atque huc respici-unt alia eorumdem Racouiensium verba ad finem pag. 76. vbi iuramenta

iuramenta detestantur, quæ magistratus propter litigãtium pertuicaciam deferre quodammodo compellitur. quæ etiam a Christo interdicta fuisse, affirmare videntur. Sunt enim eiusmodi iuramẽta, si quis penitiùs rem introspexerit, voluntaria, & ad quæ præstanda, aut deferenda nihil, nisi priuatorum voluntas mouet. Quòd si tamen ex voluntariis necessaria aliquo modo fierent, & magistratus ipse omnino iuberet, vt præstarentur, alioquin is, qui iurare nollet, insigni aliqua iniuria afficiendus esset, tunc credidirim ego, christianum hominem iurare posse. nec multò aliter sentire videntur ipsi Racouienses loco prędicto. Ibi enim non ipsum priuatum, qui, magistratu deferente, iuret, reprehendunt, aut damnant, sed ipsum magistratum potiùs, qui nullam grauiorem ob caussam, quam vt vel litigãtibus morem gerat, vel seipsum a molestia liberet, temere iuramenta defert.

XIII. 1. Sequitur alia sanè grauis tua in tuos aduersarios calumnia, sed ea ita euidens, vt ipsam diluere minimè sit necesse. Dixerant ipsi, Christum docuisse, non esse vindicandum vllo modo nec per se, nec per iudices, cum tamen in lege Mosis vindicta licita fuisset, quam vindictam Christus reprimebat. Hanc tu ipsorum sententiam pag. 229. his verbis complexus es, *Moses uindictam permittit, Christus uindictam non permittit.* Ex quo colligis, ipsos affirmare, Christum prohibere publicam vindictam, ne fiat a iudice, & christum, omnino nulla ratione esse vindicanda a iudice mala, decernere. vt patet ex fine prædictæ pag. 229. & seq. initio, ex quibus locis nos ipsa verba tua hìc descripsimus. Iam quãta est hæc calumnia, cum apertissimum sit, ipsos de priuatis agere, quibus interdictum fuisse a Christo volunt, neue per se ipsos, neue per iudices suas iniurias vindicent! quid enim hoc ad vindictã publicam omnino tollendam? Nam quid vetat (vt alibi iam disputatum a nobis est) quominus magistratus ex officio, adde vel alio quopiã, qui Christi verus discipulus non sit, accusante, in crimina animaduertat? Hic enim non ipsi magistratui, sed priuatis pręcepta dantur, quos per magistratũ suas iniurias vlcisci posse, Christo non reclamante, contendis, Racouienses verò planè negant. Quid de ipso magistratu ipsi sentiant, postea videndum erit. nec, si quid alibi dicunt, quod ipsi magistratui, si christianus esse velit, in maleficos

Palæologi calumnia.

vindicare omnino adimere videatur, propterea eódem quòque ea ipsorum verba trahenda sunt, quæ quàm longissimè ab ea sententia absunt.

Palæologi calumnia.

2. Verùm non satis habuisses, nisi aliam quoque calumniam priori attexuisses, quæ multò etiam, quàm illa, euidentior est. Obiicis enim eodem tempore aduersariis tuis, quòd Mosem priuatam vindictam concedere affirment. Nam quid aliud sibi volunt verba tua, cum, aduersus illos disputans, ais, falsum esse, Mosem vindictam priuatam concedere? Sed quomodo hæc scribere es ausus, cum ipsi disertis verbis istud ipsum negent, quod tu illos dicentes facis? Sic enim in eorum scripto legitur ad finem pag. 62. *Oculum pro oculo, dentem pro dente Moses uindicandum docuit, idque per iudices, nullam enim uindictam priuatam usquam præscribit uel permittit. Christus autem uindictam legalem reprimit*; &c. Poterantne apertiùs negare, a Mose priuatam vindictam concedi, cum non solùm id verbis expresserint, sed etiam manifestè vrserint, atque contenderint? Ad hunc enim modum ratiocinantur. Moses nusquam in Lege priuatam vindictam prescribit, aut permittit, sed per iudices tantùm. At Christus legalem vindictam reprimit. Igitur Christus ne per iudices quidem vindictã a suis expeti vult. Hinc que apparet, quid sibi voluerint, cum antea dixerunt, in lege Mosis vindictam licitam fuisse, vnde eos calumniandi occationem arripuisti. Non enim priuatam, sed per iudices expetitam vindictam intellexerunt. Apparet etiam, quid ea ipsorum verba significent, Christum vindictam legalem reprimere, quæ tibi ad superiorem calumniam struendam ansam præbuerunt. Neque enim simpliciter, & absolutè legalem vindictam, sed quatenus priuati ipsi eam quærere poterant, a Christo reprimi dicere voluerunt. Cæterùm, quod aiunt, Mosem nusquam vllam priuatam vindictam permisisse, ita interpretandum est, vt & de propria vindicta eorum verba accipiamus, cum post acceptã iniuriam aliquod temporis spatium elapsum est, & ad eos tantùm non vlciscendos, qui ex eodem populo erant, id pertinere intelligamus.

XIV. 1. Indoctissimum in ipso pag. 233. initio vocas Racouiensium scriptorẽ, qui præceptum, siue adhortationẽ illam Christi, vt aduersario nostro reconciliemur, cum eiusdem præcepto de dando etiam

etiam pallio ei, qui nostrā tunicam accipere velit, hoc modo coniunxerit, inquiens, Christum non solùm suadere, vt cum aduersario reconciliemur, sed etiam ei, cui nihil debeamus, omnia nostra relinquamus potiùs, quàm iudicio cum eo experiamur. Ais enim, Christi monitionem de dando pallio ad diuites pertinere, qui, si quis pauper ab eis tunicam petat, pallium quoque dare debent potiùs, quàm propter non datā tunicam coram Deo iudice cum paupere contendere. quod nihil cum monitione de se aduersario reconciliando commune habet, quæ ad eum pertinet, qui conuiciatus fuerat proximo suo. Non laborabo, vt, etiamsi hic verborum Christi sensus esset, coniungi tamen duas hasce monitiones potuisse, ostendam, sed tantùm præter ea, quę supra disputata sunt, cum ostensum est, te pessimè monitionem illam de pallio dando interpretari, nec tibi ipsi ea in re vlla ratione constare, verba tua, quorum priùs mētionem non feceram, afferam, in quibus teipsum refellens aduersariorū interpretationem apertè confirmas. Ea sunt ad finem pag. 148. vbi, cum dixisses, si quis bona nostra rapiat, eique rapinæ magistratus consentiat, nihil nobis supereſſe, si nostra recuperare velimus, quàm inuasorem inuadere, nostraque repetere, oculum pro oculo, &c. illico addis, *At satius esse tum dicit Iesus Christus, ut pallio, quod raptum est addas etiam tunicam, quam ut hoc facias, & priuata authoritate per uim tua repetas.* Vides, te hîc monitionem Christi de pallio dādo ad eum, cui propria bona rapiantur, referre, id est ad eum, qui nihil vllo iure debeat, vt aduersarii tui faciūt, non autem ad diuitem, a quo pauper petat, qui diuino iure petenti dare cogitur. Et tamen in initio pag. 234. stoliditatem admirari, quia scilicet dixerit, istum, a quo est, qui tunicam accipere velit, nihil illi debere. 2. Nihil autem dico, quòd scriptorem istum calumniaris, cum ais, ipsum putare, istas duas monitiones de eadem re loqui, & vnam esse legem. Nam vnusquisque per se id facilè animaduertet.

Palæologus seipsum refellens aduersariorum sententiam cōfirmat.

Palæologi confidentia.

Palæologus calumniatur.

XV.

Pergis autem, & pag. 235. in vndecima, quam aduersariorum facis, obiectione eos affirmantes inducis, non licere per iusiurandum coram iudice sua bona recuperare. Hæc (quidquid illi hac de re sentiant) manifesta calumnia censenda est, cum in eorū scripto id nusquam legatur.

Palæologi calumnia.

Rursus

XVI. Rursus pag. 254. obiectionem decimānonam aduersariorum formans, eos affirmantes facis, propterea non posse quempiam magistratum simul, & Dei filium esse, quòd magistratus, occidens amicos, & inimicos, neutros diligat, cum Dei filius diligat vtrosque. Hæc quoque calumnia censenda est. Nusquam enim hoc in eorum scripto aduersarii dicūt, præsertim verò eo in loco, quem ex serie istarum, quas illis tribuis, obiectionum perspicuum est re intelligere. Is est a fine pag. 66. vsque ad principium pag. 69. vbi semper de priuatis, quid facere debeāt, vt sint filii Dei, numquam de magistratus officio est sermo. nec porrò magistratus vlla ibi fit mentio, nisi quatenus, priuato homini se per magistratus vlla ibi ciscī non licere, affirmatur. Nec sanè vel de magistratu gerendo, an videlicet homini christiano eum vel de magistratu gerendo, an videlicet homini christiano eum gerere liceat, ne verbum quidem in eorum scripto haberur ante finem pag. 71. vbi demum his de rebus disputatio incipit.

Palæologi calumnia.

XVII. Dixerant aduersarii, cum, qui se per iudices vlciscitur, non habiturum mercedem illam centupli in cælis iis repositā, qui misericordes, & benigni fuerint, cū illi talionem hîc per *iudices exercentes* tortam antepositurit. Nam nec binam sanè mercedem *sperare* testi. Hîc tu pag. 258. eos acriter reprehendis, & ais, *vnde nam exeunt tam phanatica dicta?* Deinde, vt ostendas, homines plus, quàm vnam mercedem habere posse, primùm ais, eum, qui orat, eleemosynam facit, & ieiunat eo modo, quo debet, habiturum tres mercedes, vnam orationis, alteram ieiunii, tertiam eleemosynæ. Quo nihil ineptius dici poterat, cum de mercede duplici, quam vnius eiusdemque rei causa quis accepturus sit, manifestè agatur. Et tamen rursus infra ad idem cōfirmādum ais, nos tot mercedes in cælo paratas habituros, quot in nobis erunt virtutes promissionem habentes a Deo. Sed hîc deinde aliud exemplum subiicis, vbi pro eodem opere duplicem mercedem, præsentem, & futuram accipi, te demonstrare posse confidis. & complura postmodum congeris, vt probes, duas istas mercedes dari. Sed quorsum tandem hæc omnia? Nam certè nihil omnino ad rem faciūt. Quandoquidem in aduersariorum mente percipienda, etsi eam ipsi fatis dilucidè explicant, mirabiliter es hallucinatus. Neque enim negant ipsi, duplicem mercedem a quoquam accipi posse, ne pro eodem

Palæologus ineptus.

Palæologus hallucinatur.

eodem quidem opere, nedum pro diuersis. sed aiunt, fieri non posse, vt quis & mercedem habeat operis, seu facti alicuius, & simul eam mercedem accipiat, quæ ab eo opere, seu facto abstinentibus debetur. Nam, si quis, magistratum adeundo, talionem acceptæ iniuriæ extorqueat, hæc sanè merces erit ipsius facti magistratum adeundi pro vindicanda iniuria. sed priuabitur interim necessariò cælesti mercede, quam Deus per Christum illis promittit, qui ita fuerint misericordes, atque benigni, vt nulla ratione, nec per magistratum quidem, suas vlciscantur iniurias. Sunt enim hæ duæ mercedes inter se repugnantes, & altera alteram omnino excludit. Itaque, cum Racouienses aiunt, non posse istum binam mercedem habere, præterquam quòd ad hasce duas mercedes, vt ex ipsorum verbis patet, respexerunt, eodem etiam loquēdi modo sunt vsi, quo dominus Iesus vtitur, cum ait, neminem posse duobus dominis seruire. Constat enim (vt tu ipse in eius loci explanatione, pag. 178, & 179, itemque in Paraphrasi, pag. 211. apertè doces) Christum non omnino negare voluisse, quemquam duobus dominis seruire posse, sed tum demum, si illi duo domini sibi aduersentur adeò, vt quemadmodum ibidem ipse adiicit, si quis velit vnum amare, necesse sit, vt alterum odio habeat. quales sunt Deus, & Mammona. de quibus, concludens, ibidem ait, *Non potestis Deo seruire, & Mammonæ.* Hanc, quam diximus, Racouiensium mentem ipse fortasse tandem aliquo modo sentiens, pag. 261. ostendere conaris, ei, qui se ipse non vlciscatur, sed ad magistratum iniurias suas deferat, mercedem apud ipsum Deum repositam esse, propterea quia ea in re Dei vicariū magistratum, & porrò ipsum Deum veneretur. Nam *solemus* (inquis) *alioqui laudare eos, qui offensi à nostris mancipijs, non eos ipsi pulsant, sed nobis eorum dominis pulsandos deferunt.* Sed vt cætera multa omittam, quæ hoc loco tibi responderi possent, dico, oportuisse te, cum hæc scriberes, meminisse, Deum non modò non velle, vt quis per se iniurias suas vlciscatur, sed nec etiam vt ad ipsum earum vlciscendarum gratia accedat, nedum ad ipsius quoscumque vicarios. Vult enim (ipso Christo teste, ac monitore) vt pro iis, qui nos maximis iniuriis affecerint, & afficere pergant, se oremus, non autem apud se, nos vlciscendi caussa, expostulemus. Qua de re mox vi-

Matth. 6. 24.

Matth. 5. 44.

dendum erit. Huc accedit, quòd non semper is, qui magistratum adit, vt suas iniurias vindicet, eiusmodi est, vt & possit, & commodum alioqui sibi futurum putet, si ipse per se eas vlciscatur, & ita, cum alia ratione sibi optimè prospicere posset, magistratum tamen adeat, a seque per seipsum vlciscendo sua sponte abstineat. Immo paucissimi erunt, ex iis, quibus per te ad magistratum accedere licebit, qui idcirco magistratus opem non implorēt, quia vel seipsos vindicandi ipsi vires non habeant, vel, si id faciant, valde incommodum postmodum id sibi futurum arbitrentur. Quare nulla prorsus istis pro adito magistratu merces deberi potest, cum, non vt Deum in magistratu, siue etiam ipsum magistratum venerarentur, sed vt propriæ libidini satisfacerent, commoditatique suis cōsulerent, ad magistratum iniurias suas detulerint. At verò illis apud ipsum Deum merces ex ipsius promisso debetur, qui non solùm per seipsos, sed ne per magistratum quidem, cum tamen alterutrum commodè facere possent, acceptarum iniuriarum pœnas repetierunt, atque ita debitoribus suis omne debitum ex animo condonarunt, ac remiserunt, vt Deus nos facere vult, si nobis quoque ab ipso omnia debita nostra condonari, ac remitti velimus, & sic corpora nostra propter peccata mortis obnoxia ab interitu, ac corruptione vindicari, & beata immortalitate donari. qua nulla amplior merces ne cogitari quidem potest.

Matth. 6. 14. 18. 35.

XIIX. Scribis pag. 262, in Racouiensium scripto contineri, Mosem obseruantibus legem Dei proponere mercedem terram Chananæam. quod non vno modo, falsum esse, demonstrare conaris, & ex parte demonstras. sed sine vlla caussa. Neque enim id scripto Racouiensium continetur. Itaque hac in re, si minùs calumniam, at certè lapsum tuum insignem animaduertere licet. Relege ipsorum scriptum, vt vnà cum scriptis tuis editum est, & me vtrissima loqui comperies. Immo ibi pag. 65, & 72. terram Chananæam possessionem Dei populi sub Lege fuisse, scriptum inuenies, illi a Deo traditam, non autem mercedem. Mercedem verò non ipsam Chananæam terram, sed terrenas benedictiones apud Mosem Legem seruantibus vbique promissas fuisse, ex iis, quæ pag. 63, scripta sunt, manifestò deprehendes.

Palæologi lapsus.

Sed

Sed iam de reprehensione quadam tua videdum est, quæ maximi sanè momenti censeri debet. Tui enim aduersarii, vt probarent, non licere homini christiano per magistratum suarum iniuriarum vindictam expetere, pag. 70. hoc etiam argumento vsi fuerant, quòd ne per Deum quidem ipsum eam expetere liceret, idque ex eo cõstare putabant, quòd quilibet Christianus pro iis, a quibus iniuria afficitur, Deum orare debet. Hoc tu reprehendis, tamquam non rectè conclusum, vtque id persuadeas, duo facis. Primùm exemplis, testimoniisque ex sacris litteris prolatis, ostendere conaris, hominem pium & christianum posse a Deo vindictam acceptarum iniuriarum postulare. Deinde aduersariorum rationem, qua contrarium demonstrari posse sperant, totis viribus conuellere niteris. XIX.

1. Quod ad primum attinet, pag. 263. profers primo loco id, quod narratur in Apocalypsi de animabus illis interfectorum propter sermonem Dei, quæ clamabant voce magna, dicentes, *Vsquequo domine sanctus & uerus non iudicas, & uindicas sanguinem nostrum de iis, qui habitant in terra?* Verùm quis tam cæcus est, vt non videat, eo in loco prosopopœiam esse, inducique in visione illa animas istas ad eum modum clamantes, vt significetur, Deum non obliuisci afflictionum suorum, & quamuis diu expectet, & vindictã innocẽtis sanguinis ab huius mundi principibus fusi multum differat, tamen aliquãdo futurum, vt meritas pœnas de illis sumat? An non legimus, Deum dixisse Caino, sanguinem fratris eius Abelis ad se clamare? Quid hoc aliud est, quàm Cainum propter fusum fraternum sanguinem dignum fuisse, qui a Deo puniretur, idque e Dei memoria nequaquam excidisse? Vide Heb. 11. ℣ 4. & cap. 12. ℣ 24. Sed addis, scriptum esse de ipso Christo, quòd traderet, seu committeret τῷ ἐκδικοῦντι, id est vindictam ei, qui iustè iudicat. Non ita scriptum est, Palæologe. Non est enim apud Petrum verbum τῷ ἐκδικοῦντι, vt tu (ne quid grauius dicam) nimis confidenter affirmas. Sed scriptum est ibi, παρεδίδου δὲ τῷ κρίνοντι δικαίως. Nam si dicas, aliquid omnino subaudiendum esse, nec aliud subaudiri posse, nisi τῷ ἐκδικοῦντι, Primùm dico, te debuisse verba recitare, vt scripta fuere, nõ autem verbum illud de tuo addere, & ita addere, vt nemo futurus sit, qui, si tibi fidem adhibeat, non

Apoc. 6, 10.

Gen. 4. 10.

1. Pet. 2. 23.

Palæologi confidentia.

at, non omnino sit crediturus, ita planè scriptum esse. præsertim cum post verbum ἐκδίκησιν statim subjungas, *de hac enim loquitur*. quasi nil inquirendum præterea relinquatur, nisi, quid verbum ἐκδίκησις apud Petrum significet, & de qua vindicta apostolus loquatur. Deinde nego, necesse esse verbum illud subaudire. Nam etsi nonnulli ex interpretibus latinis id subaudiendum putarunt, alii fuerunt, qui aliter existimarũt (& rectè quidem iudicio meo) & locum ita conuerterunt, *Causam uerò cõmendabat*, &c. siue, vt Castellio fecit, *Sed rem iustè iudicaturo committebat*. Et sanè ex verbis illis, τῷ κρίνοντι δικαίως, id est Iustè iudicanti, satis apparet, Petrum dicere voluisse, non quidem Christum a Deo petiisse, vt se vlciscereturꝙ (quod tamen tibi apertum esse videtur) sed totius rei, & caussæ cognitionem, atque iudicium Deo reliquisse, ac permisisse. Hanc enim vim verbum παραδίδωμι habere posse, nemo est (opinor) qui ignoret. id quod etiam ex locis illis intelligi potest, Rom. 1. ℣ 24, 26, & 28. in quibus omnibus Castellio verbum παρέδωκεν Permisit interpretatus est, auctorem imitatus doctissimarum illarum annotationum, quæ in Vatabli (vt vocant) bibliis leguntur, qui ad primum ex prædictis tribus locis sic annotauit, *Id est permisit illos cupiditatibus cordium*, &c. Quocirca, etiamsi tibi daretur, omnino in Petri verbis subaudiendum esse τὴν ἐκδίκησιν, non tamen aliud intelligi necesse esset, quàm Christum non curasse, vt seipsum aliqua ratione vlciscereturꝙ, sed vindictam Deo permisisse, id est illi curam reliquisse vlciscendorum affligentium se, si quidem dignos, in quos vindicaretur, illos iudicasset, nec sibi id, quod Dei proprium erat arrogasse. Mirificè autem ipsum Petri locum illustrat id, quod scriptum est a Paulo, *Non uosipsos ulciscentes, dilecti, sed date locum iræ. Scriptum est enim, Mihi uindicta, ego retribuam, dicit Dominus*. Vbi perspicuum est, Paulum nihil aliud intelligere, quàm neminem sibi arrogare debere, vt quemquam vlciscatur. id enim Dei ipsius proprium esse, non autem, rogãdum esse Deum, vt ipse vlcisci velit. Nam quomodo id cõueniisset cum eo, quod statim addit? *Si igitur esuriet inimicus tuus, ciba illum*, Quid enim commune habet hoc cum illo? Immo verò, quid magis vindictæ desiderio, ac petitioni aduersari potest, quàm beneficiorum datio? Quid porrò magis absurdũ, aut potiùs impossibile, quàm

Rom. 12. 19.

Christum,

Christum, qui pro suis interfectoribus patrem orabat, vt illis ignosceret, eumdem ab eodem petiisse vt in istos ipsos, aut eorum similes vindicaret? Luc. 23. 34.

Sed quid dicemus, quòd ad hanc vindictæ petitionem illa ipsius Christi verba trahis? *Nolite putare, quia ego accusaturus sum uos apud patrem. est qui accusat uos, Moyses, in quo uos speratis.* & item illa? *Etiam puluerem e pedibus uestris excutite in testimonium super illos.* & denique illa? *Ego testimonium perhibeo de illo, quòd opera eius mala sunt.* Quæris enim quonam tendant ista, & alia eiusmodi, nisi huc, Christum, & apostolos futuros testes corã Deo contra Iudæos violatores Legis. Deus bone quid monstri hoc est? Primùm enim quid (obsecro) commune habet, quòd Christus, & apostoli futuri sint testes coram Deo contra Iudæos violatores Legis cum petitione vindictæ a Deo iniuriarum ab hominibus acceptarum? An non potest quis de alterius in se iniuriis testari coram iudice, qui rei veritatem vel ipse nosse, vel aliis cõstare omnino velit, & tamen non modò ab ipso iudice vindictã nõ postulare, verùm etiam veniam pro eo, qui se iniuria affecit, petere? Sed quid dico? quasi verò is, qui violatarum legũ aduersus quempiam testimoniũ ferat, conti-nuò de suis iniuriis testetur, & nõ infinitis aliis modis violari possint leges citra ipsius testimonium ea de re ferentis iniuriam. Vt quidem hîc contigerat, vbi Iudæi sexcentis præterea modis leges diuinas violauerãt citra Christi ipsius, & apostolorum priuatam iniuriam. de quibus omnibus hîc agi Christi verba satis demonstrant, qui vniuersè de malis ipsorum operibus loquitur. Deinde qua ratione (rogo) ex Christi verbis colligi vis, ipsum futurum testem coram Deo aduersus Iudæos, cum, quod attinet ad priorem ex duobus locis, in quibus de seipso verba facit, dicat, se non accusare illos, sed Mosem esse, qui eos accuset? Certè hinc potius contrariũ colligi debet. Nam qui, cum tamen possit, non accusat, haud verisimile est, in ea ipsa accusatione eum testẽ futurum, præsertim sua sponte, quemadmodum ista vindictæ petitio omnino requirit. Iam verò, quid de altero loco dicemus, vbi de seipso Christus loquitur? Ait Christus, se testimonium perhibere, id est testatum, & planum facere, mundi opera esse mala. quid hoc ad testificandum suo tempore coram Deo de malis ipsius mundi operibus? Ioh. 5. 45. Luc. 9. 5. Ioh. 7. 7.

peribus? Nec enim est apud Euangelistam, Testimonium perhibebo, verbo futuri temporis, vt tu (ne quid iniquius de testiam) fortasse memoria lapsus scripsisti, sed, Testimonium perhibeo, tempore præsente. Quid etiam (quæso) ad testimonium fe-
Palæologi lapsus. rēdum ab apostolis coram Deo contra Iudæos violatores Legis pertinere potest, quòd illi iussi fuissent, si qui ipsos Euangelium prædicantes recipere noluissent, ex eorum vrbe discedentes, puluerem etiam, qui ipsorum pedibus adhæsisset, in testimonium adversus illos excutere? Neque enim hoc facientes, se aliquid reiaturos contra eos coram Deo, significaturi erant apostoli, sed apertè contestaturi, se nihil prorsus cum illis cōmune in posterum habituros, tamquam indignis, qui diuinorum ministrorum, quales ipsi erant, vel vmbram quidem ampliùs aspicerent.

At postremò, tamquam ad sacram (opinor) anchoram, ad lacum illum confugisti, vbi ait Christus, Deum sine dubio celeriter vlturum electos suos, qui ad ipsum die, ac nocte clamant. Videtur
Luc. 18. 7. enim, ex hoc satis apertè colligi posse, Dei electos assiduè a Deo petere, vt vlcisci iniurias velit, quas a malis hominibus identidem accipiūt. Verùm non sic res se habet. Non enim clamant electi ad Deum, vt puniat eos, qui ipsos lædunt, atque opprimunt, sed tantummodo, vt ipsos ab illis liberet, ac tueatur, quod etiam sine vllis infligendis pœnis fieri potest, & sæpissime factum est. Hoc sibi voluerunt apostoli, cum vno consensu vocem ad Deum
Act. 4. 29. sustulerunt, eumque sunt precati, vt in minas intueretur eorum, qui ipsos territabant, & tamquā ii, qui principes in ciuitate erant, ipsos affligendi potestatem habebant. id quod declarant sequentia verba, *Et da seruis tuis cum omni fiducia* (vel potiùs *libertate*) *loquendi uerbum tuum.* Nec verò, quia Christus dicat, Deum vlturum esse suos electos, propterea concludendum est, electos (vt tu loqueris) ad Deum clamasse pro vindicta, Potest enim Deus plus facere, quàm ipsi petant, nō quia id ipsi vel desiderare quidem audeant, sed quia sic impii, qui eos vexabant, & affligebant, cōmeriti sunt. & vt ipse Deus, quantopere suorum oppressionem abominetur, eosq; caros habeat, omnibus demonstret. Sed tu scilicet, ne de hoc tibi laborandum esset, imprudentem lectorem interim decipiendum ipsius Christi verba recitas, cum illis admisces de tuo quidā

nocā

notâ, qua a cæteris internoscantur, adhibitâ) duo illa verba, Provindicta. Itaque, dummodo, quod quæris, quacumque tandem ratione, obtineas, Christi verba corrumpere ludum, iocumq; esse putas. Quid, quòd verbum ἐκδικέω, & ἐκδίκησις apud græcos, sicut etiam apud latinos Vindico, & Vindicta haud rarò nihil aliud, quàm defensionem, aut liberationem declarant? Vidua illa a Christo ibidem paullo ante inducta iudici illi nequam dicebat, ἐκδίκησόν με ἀπὸ τοῦ ἀντιδίκου μου, id est Defende, seu Libera me ab aduersario meo. Et iudex secum ipse, ἐκδικήσω αὐτὴν, id est Defendam, seu Liberabo ipsam. Vbi etiam animaduertendum est, quo sensu verbum ἐκδικεῖν hîc scriptum fuit, eodem prorsus nomen ἐκδίκησιν paullo post in verbis, de quibus quærimus, scriptum fuisse. quandoquidem ad parabolam istam viduæ, & iudicis ea manifestam habent relationem. Atque hæc satis esse possunt ad priorem tuæ reprehensionis partem refutandam.

Palæolog. Christi uerba corrumpit.

Luc. 18. 3.

2. Quantum verò ad posteriorem pertinet, vt rectè cognoscere possimus, vtrùm hæc duo inter se repugnent, Orare Deum pro inimicis, & Petere a Deo vindictam contra inimicos, vt a te pag. 266. ipsa quæstio exponitur, constituendum ante omnia videtur, quid vtrumque significet. Et posterius sanè satis apertũ est. Nam Petere a Deo vindictam contra inimicos, nihil aliud esse affirmare possumus, quàm Rogare Deum, vt velit iniurias, quas a nostris inimicis accepimus, vlcisci, id est inimicos nostros pro grauitate iniuriarum, quibus nos affecerunt, punire, & simul, si opus fuerit, nos ab illis asserere, atque defendere. Atque hoc idem te intelligere, potissimamque huius precationis partem in eo statuere, vt Deus inimicos nostros vlciscatur, superiora exempla eiusce rei (vt credebas) a te in medium allata perspicuè docent. In priore aliqua obscuritas videtur inesse. Multa enim orare Deum possumus pro aliquo. nã & bona multa sunt, quibus indigere quis potest. Verumtamen, cum vniuersè, & indistinctè dicatur, Orare Deum pro inimicis, consentaneum esse videtur, vt istud idem sit, ac si dictum esset, Orare Deum, vt inimicis nostris ea omnia bona largiri velit, quibus illi opus habent. Hoc eò potissimùm dico, quòd ex, quantum ex verbis tuis colligi potest, preces pro inimicis ex Christi præscripto Deo adhibendas ita interpretaris, vt satis

tis sit Deum precari, vt illis parcat. Quamquam enim hoc satis est, vt appareat, non posse a Deo peti, vt inimicos nostros vlciscatur, tamen quia tu (vt postea planum fiet) in proposita quæstione non persistis, &, cum de vindicta contra inimicos a Deo petenda agere deberes, de eo, cuius gratia hac de re quæritur, id est de vindicta per magistratum expetenda sæpius agis, & ita ab aduersariorum argumento, quod dissoluendum suscepisti, ad ipsam thesim (nescio quomodo) pertransis, ne incautus, & in disputationibus minimè versatus lector a te circumueniri vlla ratione possit, admonendum eum esse censuimus, Orare Deum pro inimicis, plus etiam complecti, quàm Deum rogare, vt illis parcat, petitionem enim simul comprehēdit bonorum omnium, quibus illi careant, vt Deus ea illis largiri velit. quemadmodum, vt nobis ea, quibus caremus, largiatur, aut petimus, aut certè desideramus. Si enim Matth. 5. 44. nos ipsi inimicis nostris bene facere debemus, non modò eis parcere, cur non similiter, si Deus pro illis orandus nobis est, eum rogare debemus, vt non modò illis parcat, sed etiam bene faciat? Cum igitur Orare Deum pro inimicis, petitionē pro *ipsis* a Deo non veniæ tantùm eorum, quæ in nos iniustè admiserunt, sed omnium quoque bonorum complectatur, Petere autem vindictam a Deo contra inimicos, petitionem a Deo ipsorum punitionis pro iniuriis, quas nobis fecerunt, potissimùm cōprehendat, quis ita stolidus futurus est, qui hæc duo inter se repugnantia, planeq; contraria esse non animaduertat, &, cum Christus, vt pro inimicis Deum oremus, præceperit, nobis, si Christo obedientes esse velimus, vindictam a Deo contra inimicos nequaquam petere licere, non planè intelligat? Attamen videamus, quibus rationibus, quibusue argumentis, ea contraria non esse, demonstrare posse, sperasti.

Primùm multa exempla affers aliorū Christi præceptorum, quæ cum quibusdam aliis, quæ vel ipse fecit, vel fieri iussit, aut apostoli ipsius fecerunt, vel fieri iusserunt, pugnare videntur, & iis esse contraria, & tamen non sunt. & ais, qua ratione ista conciliantur, eādem hæc conciliari posse. Sed interim istorum conciliandi rationem non explicas, nedum vt eodem modo hęc quoque conciliari posse doceas, & idcirco infirmissimum, *quidquid* dixisti,

dixisti, reddis. Nihil enim remanet ampliùs, nisi multa esse, quæ contraria Christi præceptis esse videntur, & tamen non sunt. id quod per se nullam vim habet. alioquin hac ratione concludere-tur, nihil inueniri posse, quod Christi præceptis aduersetur. & ita quidquid vnicuique libêret, id omne citra Christi præcepto-rum cõtemptionem fieri etiam posset. Nec verò est, quòd dicas, te ista, quæ pro exemplis attulisti, conciliandi modum ideo nec explicasse, nec ad ea, de quibus quæritur, concilianda accommo dasse, quia id per se omnibus sit manifestum. Nam, vt statim o-stendam (quamquam hoc labore supersedere meritò possem) ni-hil his cum illis cõmune est, quippe quòd illa ne in speciem qui-dem sibi aduersentur.

Ante omnia affers exemplum illud, Quòd Christus, qui pre- *Matth. 5. 22.*
ceperat, ne quis inimico suo diceret Fatue, ipse inimicis suis di- *23. 17.*
xit Cæci, & stulti. Hic primum insignis est astutia tua, qui, cum *Palæol. astutia.*
Christus in eo præcepto dando nullam, nec tacitam, nec aper-tam, inimici nostri mentionem fecisset, tu tamen eum de inimico loquẽtem facias. nimirum vt exẽplum faciliùs ad id, de quo quę-ritur, accõmodes, & quod tibi de personarum diuersitate obii-ci posse metuis, aliqua ex parte declines. Sed frustra omnino, aut certè sine vlla necessitate id facis. Etenim, quamuis tibi conce-datur, nullam hîc esse personarum diuersitatem, tamen aliæ di-uersitates sunt, quæ, ista duo inter se minimè pugnare, demon-strant. Sed est tamen simul ipsa personaram diuersitas. Christi enim præceptum de fratre loquitur, vt ex antecedentibus patet. factum verò ad inimicos pertinet. Etsi enim Fratris nomine eti-am ipse inimicus, qui ex eodem populo esset, in ipsa Lege intelli-gebatur, tamen (vt supra alicubi docuimus) Christus in his præ-ceptis dandis manifestè inter inimicum, & fratrem distinguit. quemadmodum ex rationibus, quas, cur ipsi inimici diligẽdi sint, postmodum affert, perspicuum esse potest. Sed fac (vt dixi) nul-lam prorsus esse personarum diuersitatem. An non in eo diuer-sitas est, quòd præceptum de iis conuiciis agit, quæ præ ira, aut odio in alterum iaciũtur, vt antecedentia omnia docent, factum verò non ab ira, aut odio, sed a diuinæ gloriæ studio, & non ali-orum modò, sed ipsorum quoque, in quos conuicia iaciebantur.

salutis desiderio profectum est, adeò vt, non conuiciatus fuisse, sed acriter reprehendisse, Christus dicendus sit? Nonne in eo, quòd præceptum de Fatui, seu Stulti appellatione temere alteri tributa accipiendum est, factum autem nihil prorsus temeritatis habuit, sed & suo tempore, & meritissimò Christus Scribas, & Pharisæos & stultos, & cæcos appellauit? Nam, de temere conuiciante, Christum, cum præceptum illud dedit, locutum fuisse, cum sermonis structura, tum ratio apertè declarat. Cum enim antea præceperit, ne quis fratri suo temere irascatur (sic enim in omnibus græcis codicibus, & in Syriaca interpretatione legitur) & statim deinde præcepta addiderit, ne eidem quis Raca, aut Fatue dicat, apparet aduerbium Temere ἀπὸ κοινῆ vbique repetendum esse. Quod si minùs hoc admittatur, ratio tamen tacitè subaudiendum esse docet. Nam, si, vt quis in irascendo fratri delinquat, requiritur, vt temere id faciat, certè idem requirendum esse omnino videtur in ipso fatuo appellando, quod etiam citra iram fieri potest. Non enim, de publico tantùm conuicio agere Christum, apparet, quod grauius quidpiam, quàm irasci, videri possit, sed ipsius verba eiusmodi sunt, vt illud quoque conuicium comprehendant, quod, nemine præsente, aut scicnte, in fratrem iaciatur. Iam verò quomodo conciliationes istas præcepti istius, & facti Christi ad ea, de quibus quærimus, accommodabis vmquam, vbi de iisdem personis, iisdemque rebus, eadem vtroque ratione agitur? Id quod & per se patet abunde, & ex iis, quæ deinceps dicentur, apertius fiet.

Matth. 5. 47. Luc. 10. 4. 2. Ioh. ℣ 11. Sed addis, Christum dixisse, Salutate inimicos vestros, & tramen eumdem dixisse, Neminem per viam salutaueritis, & Iohannem eius apostolum addidisse, Et, si salutaueritis, participes eritis peccatorum, quę illi admiserunt. Hoc, Palęologe, nihil ad rem facit, cum præceptiones illæ de non salutando minimè ad inimicos non salutandos pertineant, neq; ad id non faciendum, quod antea iussum fuerat, vllo modo spectare posse videantur. Apostoli, qui vnà cum cęteris iussi fuerãt inimicos salutare, nihil huic rei contrarium facere videri poterant, si, ne a cœpto itinere, dum Euangelium prædicatum ibant, aliqua ratione auocarentur, in eoue retardarentur, neminem inter eundum, siue amicum, siue inimicum

nimicum salutauissent. Non enim propter odium aliquod, quò præceptum illud salutãdi etiam inimicos respicere certum erat, ab iis, qui ipsis obuiam fiebant, salutandis abstinuissent. Ex quo etiam apparet, inimicorum salutationem, quam præcepit Christus, nõ externam, & qualis ea erat, quam postea euntibus annunciatum Dei regnum interdixit, a qua erga amicissimos ipsos interdum, cum aliud scilicet agendum est, sine vlla culpa abstinere possumus, sed interiorem salutationem esse. Huc accedit, quòd satis apparet, verba illa, *Neminem per uiam salutaueritis*, figuratum & prouerbialem loquendi modum continere. quasi dixisset Christus, Hoc vnum agite, vt rectà ad Euangelium prædicandum eatis. Vide 2. Reg. 4. ℣ 29. & quę ibi Vatablus annotauit. Num fortasse vis, Christum, cum iusserit, vt pro inimicis oremus, prouerbiali nescio qua ratione locutum fuisse, vt non ipsum orare, sed aliquid aliud præceperit, quod cum vindictæ cõtra inimicos petitione minimè pugnet? Profer mirabilem istam tuam interpretationem, & nos simul (si potes) doce, ita Christi verba accipienda esse, vt Orate idem sit, quod Deuouete, seu Dira imprecamini, quemadmodum te conari nõ omnino iniuriâ tibi ab aduersariis obiectum fuerat. Nec verò Iohannes, cum præcipit, ne ii salutentur, qui doctrinam ab euangelica discrepantem nobis annunciant, aliquid dicit, quod præcepto de salutãdis inimicis contrarium videri queat, cum isti eorum inimicorum numero, quos in præcepto illo intellexit Christus, nullo modo censeantur, immo cum fieri possit, vt alioquin amicissimi sint. Si enim dixeris, tantò magis id, quod quæris, te obtenturum, Nam, si amici ipsi interdum salutandi non sunt, multò minùs tunc salutandi erunt inimici, quamuis præceptum sit, vt salutentur, Quare similiter fieri potest, vt quamuis præceptum sit, vt pro inimicis oremus, tamen cõtingat aliquando, vt pro ipsis minimè orare debeamus. Si hoc, inquam, hîc dixeris, quod infra latiùs explicas, Respondebo, iam te haud obscurè confiteri, vt quis possit a Deo vindictam contra inimicos petere, necesse esse, vt pro iis ampliùs orare non debeat, & ita te agnoscere, quantum inter se repugnẽt illa duo, quæ tu contraria esse negabas. Sed profectò, si tum demum a Deo vindictam contra inimicos petere licet, cum pro ipsis ampliùs

pliùs orandum non esse constat, vix vmquam fiet, vt id liceat.
1. Ioh. 5. 16. Neque enim præceptũ vllum habemus de non orando, nisi, cum quis peccat ad mortem. si tamen illud præceptum est, & non potiùs admonitio, frustra oraturum esse, qui pro eiusmodi homine orauerit. Iam quotus quisque erit, qui peccantem ad mortem deprehendere possit? Immo quis erit, qui, Deo ipso non patefaciente, id agnoscere queat? Neque enim, cum Iohannes ait, se non dicere, vt pro peccato, quod sit ad mortem, quis roget, indicasse dicendus est, istos, qui ad mortem peccant, ab aliis, qui non peccant ad mortem, dignosci posse. Sed hoc idem est cum illo, quod antea dixerat, Si quis vidisset fratrem suum peccãtem peccatum non ad mortem, & petiisset (sic enim ex hebræorum idiotismo verbum Petet eo loco interpretandũ est) daturum illi (petum scilicet) esse vitam, si, inquam, pro eo rogasset, qui peccaret quidem, sed non ad mortem. Voluit enim Iohannes simul nos admonere, ne miraremur, si aliquando, pro eo rogantes, qui peccat, vt Deus velit illi ignoscere, & pœnitentiam cõcedere, euentum votis nostris contrarium experiremur, id enim propterea contingit, quia is, pro quo precati sumus, ad mortem peccabat. Itaque admonere præterea videtur, vt, cum pro aliquo, qui peccet, Deum precaturi sumus, cum ea conditione precemur, Si quidem is ad mortem non peccet. Vtcumque tandem sit, etiamsi isti peccantes ad mortem non solùm a quouis facillimè agnosci possent, sed frequentissimi etiam essent, &, pro iis ne quisquam rogare auderet, seuerè Iohannes interdiceret, tamen dico, istud ad propositum nostrum non facturum. Non enim, vt pro ipsis omnino non rogaretur, iuberet apostolus, sed tantummodo ne rogaretur, vt illi vitam consequerentur, & suorum peccatorum plenam remissionem, quemadmodum ex ipsius verbis perspicuum est. Ex quo nullo modo sequitur, posse nos contra istos, si inimici nostri sint, vindictam a Deo petere. Adhuc enim pro ipsis ex Christi mandato Deum precari & possumus, & debemus, vt illis, tamquam is, qui solem suum oriri facit etiam super iniustos, alterius generis bona concedat. quæ precatio cum vindictæ petitione prorsus pugnat. Sed iam alia tua exempla examinemus.

Pergis

Pergis enim, & ais, Christum dixisse, Ne maledixeritis inimicis vestris, & tamen legimus Paulum maledixisse summo sacerdoti hosti suo, & Elymæ mago. Vbi etiam addis, Christum ipsum hostes suos diaboli filios appellasse. Ad primum Pauli factum dico primùm, non constare eum rectè fecisse, qui etiam ex parte ibidem seipsum corrigere videtur, quatenus scilicet is, cui maledixerat, summus sacerdos erat. Deinde hîc idem affirmo, quod supra de Christo ipso cæcos, & stultos Scribas, & Pharisæos appellante affirmaui. Etenim Paulus, si non peccauit, non odio ductus, nec, tamquam inimico, summo sacerdoti maledixit, sed studio diuinæ gloriæ incensus, & tamquam ei, qui graui reprehensione dignus erat. quem simul monendum censuit, futurum, nisi resipisceret, vt eum Deus puniret. Porrò, quod ad Elymam magum attinet, neque is inimicus Pauli erat, sed Dei, & apertissimum est, diuinę gloriæ vindicandæ studio, & salutis Sergii Pauli proconsulis procurandæ desiderio inflammatum Paulum tantopere pessimum illum hominem obiurgasse. De Christo verò, quòd inimicos suos obiurgauerit, satis supra respōsum fuit. Est autem hîc, antequam aliud dicamus, animaduertēdum, non fuisse a Christo mandatum, ne inimicis maledicamus, eo sensu, quo hæc duo a te allata Pauli exempla vnà cum de Christo appendice te existimasse ostendunt. Ex quo, perperam ea a te allata fuisse, intelligi potest. Præcipit Christus, vt deuouentibus nos benedicamus. Concedo, quod de deuouentibus dixit, ad omnes inimicos generatim trahi debere. Sed videndum est, quid eo loco sit Benedicere, quod facere iubemur, vt quid sit Maledicere, quod ex eiusdem præcepti vi facere vetamur, intelligere possimus. Iam verò cum ex vsitata in sacris litteris eius verbi significatione, tum ex oppositi Deuouendi verbo satis constat, Benedicere ibi nihil aliud esse, quàm Bene precari, & idcirco illud Maledicere, quod hic vetatur, nihil esse aliud, quàm Imprecari mala, non autem Obiurgare, vt tu falsò existimasti, qui Pauli (exempli caussa) verba, quibus Elymam magum obiurgat, man dato isto de non maledicendo contrauenire videri ais. Præcipit igitur tacitè eo loco Christus, non quidem, ne inimicos nostros obiurgemus, sed ne illis mala imprecemur. cui præcepto Paulus

Matth. 5. 44. Act. 23. 4. 13. 10.

Palæol. error.

neque in iis, quæ summo sacerdoti, neque in iis, quæ Elymæ di-
xit, contrauenisse videri potest. cum vtrobique præter obiurga-
tionem nulla mali alicuius imprecatio, sed denunciatio tantùm
appareat. etsi tu non leui errore, Deum ad vota Pauli magum
illum cæcum reddidisse, affirmare es ausus. Cæterùm, si hæc duo
Pauli exempla, illaque Christi, cum Scribas, & Pharisæos increpuit, aliosque inimicos suos obiurgauit, aliquid caussam tuam
iuuare posse, censenda sunt, necesse est, vt dicas, tunc, cum vindicta a Deo contra inimicos petitur, Dei gloriæ, aut proximi la-
tis studio id fieri posse. quod petitionem istam alioqui Christi
præcepto aduersantem non excusset modò, sed etiam laudabilem
faciat. Atqui, si istud semper fieri potest, Christi præcepto num-
quam erit locus, id est nemo vmquam pro inimicis suis Deum o-
rare necesse habebit. Semper enim Dei gloriæ, aut proximi salu-
tis studio ab ea precatione abstinere poterit. Quòd si nõ semper,
sed aliquando id fieri potest, videndum est, quando. & tandem
apparebit, rarò admodum id fieri posse, adeò vt ad quæstionem,
cuius caussa de hisce omnibus disputamus, vix pertinere queat.
Quærimus enim præcipuè, non vtrùm aliquis dari casus possit,
cum homini christiano per magistratum suas iniurias vlcisci li-
ceat, sed vtrùm id semper, aut certè ferè semper liceat. Hinc fit,
vt tu eodem tempore, & orari Deum posse pro inimicis, & a Deo
contra ipsos peti vindictam, ostendere coneris, vt paullo post
videbimus. & sanè non modò, vt id ostendas, res ipsa omnino po-
stulat, sed etiam verba ipsa tua id flagitare videntur. Nam quid
aliud est, ista duo, vt tu satis apertè contendis, non esse contra-
ria, quàm simul eodem tempore consistere posse? Quo fit, vt
nullum ex iam examinatis exemplis tuis ad propositum facere
videatur, cum in nullo eorum eodem tempore duo illa, quę con-
traria videbantur, inueniri appareat, immo non inueniri con-
stet. Neque enim eodem tempore, quo Christus Scribas, & Pha-
risæos aliosue inimicos suos obiurgabat, eosdem simul non ob-
iurgabat. neque apostoli, cum neminem salutabant (si tamen id
reipsa fiebat) inimicos eodem tempore salutabant. Sed nec Pau-
lus, cum summum sacerdotem, aut Elymam magum obiurgabat,
eiue maledicebat, eodem tempore neutrum obiurgabat, neutriue
maledicebat.

Palæol. error audax.

maledicebat. quæ omnia ne fieri quidem vllo pacto posse, manifestum est.

Nam quid dicam de alio exemplo, quod deinde addis, non quidem, vt superiora, alicuius Christi præcepti, cuius contrarium fieri iurè posse videatur, sed duorum Christi factorum, quæ fortasse idipsum probare, quod quæris, tibi visa sunt? Ais enim, Christum, qui rogauit Deum patrē prō suis hostibus, vt illis parceret, eumdem declaratum iudicem viuorum, & mortuorū mandasse suis ministris, vt inimicos suos illos in tartara proiicerent. Equidem miror, te exemplum istud attulisse, vbi non solùm non eodem tempore, sed nec eadem vel rerum, vel personarum conditione manente, Christus ista duo fecit. Ex quo potiùs id planè conuellitur, quod tu cōfirmare studes. Apparet enim ex eo, Christum, cum adhuc talis esset, quales nos sumus, orasse Deum pro inimicis suis, non autem ab ipso contra illos vindictam petiisse, quippe quòd vindicare inimicos suos siue per se, siue per aliū prę-senti conditioni suæ nullo modo conueniret, sed expectandum esset, donec, mutata conditione, non solùm, ex viatore (vt theologi nostri loquuntur) incola, verùm etiam ex priuato (vt tu queris) magistratus esset factus. Itaque & nos similiter, dum & viatores, & priuati sumus, orare Christi exemplo pro inimicis debemus, non autem a Deo contra ipsos vindictā postulare, quod præsenti conditioni nostræ penitus aduersatur.

Palæologus seipsum refutat.

Superioribus exemplis expositis, ab argumento aduersariorum (nescio quo pacto) ad thesim ipsam (vt tibi quidem videri potest) pertransis, & ex iis, quæ Paulus, quod ad ciuiles causas attinet Corinthiis mādauit, licere sua in iudicio repetere demonstrare conaris. quod neque etiam id verè est, de quo hìc prę cipuè quæritur. Aliud enim est sua in iudicio repetere, aliud verò Suas iniurias per magistratum vlcisci. De quibus alio loco agendum erit. Quid, quòd eodem tempore eadem ratione licere homini christiano ciuilem magistratū gerere concludis? Nam quid hoc ad rem, præsertim cum ne aduersarii quidem id negent? quemadmodum paullo post videbimus. Et tamen, tamquam si in proposita quæstione aliquo modo perstitisses, ita in initio pag. 268. concludis, *Ergo aliò tendit oratio iussa à Christo, & aliò uindicta, quam uitandam*

Palæologus nihil ad rem loquitur.

tandam & cauendam dicit Christus. Nam cum ex eo, quòd orare pro inimicis iubemur, aduersarii tui concluſiſſent, non tãtùm a Deo contra inimicos vindictam petere non licere, ſed etiam non poſſe nos iniurias noſtras, ſiue per nos ipſos, ſiue per magiſtratu vlciſci, quamuis tu hîc de vindicta a Deo petenda dumtaxat diſputationem inſtituiſſes, tamen ferri poſſes, neq; omnino a propoſito aberraſſes, ſi ex iuſſa precatione iſta vindictã per magiſtratum expetẽdam non tolli, demonſtrare aggreſſus fuiſſes. quod tamen (vt dictum eſt) non feciſti. verùm extra rem de ſimplici ſuarum rerum per magiſtratum repetitione, deque ciuili magiſtratu gerendo ſermonem intuliſti. Sed rurſus in iſta tua concluſione ſigni lapſu planè extra rem locutus es. Cum enim dicere debuiſſes, aliò tendere orationem, id eſt precationem a Chriſto iuſſam, & aliò vindictam, quam quis per magiſtratum expetit, pro hac vindicta vindictam, quam cauendam, & vitandam dicit Chriſtus, commemoraſti.

Palæologi lapſus.

Iam verò, cum ipſe fortaſſe animaduerteres, te nondum ad rem ſatis locutum fuiſſe, alia exempla afferre inſtituis, ex quibus appareat, poſſe eodem tempore orari Deum pro aliquo, & ſimul ei pœnas infligi. Primum exemplum eſt, Ex Pauli præcepto orandum eſſe Deum ab Eccleſia, vt ſuum lumen impertiat omnibus, vt ſaluentur, hoc eſt, vt in Eccleſiam recipiantur. Et tamen non ſolùm Chriſtus iubet, vt, ſi frater peccans noluerit audire Eccleſiam, ſit illi ſicut ethnicus, & publicanus, ſed ipſe Paulus alibi monet, eiuſmodi hominem tollendum eſſe de medio Eccleſiæ, & eiiciendum ex virtute domini noſtri Ieſu Chriſti. Sed quale exẽplum eſt iſtud, cum in priore parte de iis agatur, qui extra Eccleſiam ſunt, in poſteriore verò de iis, qui adhuc ſunt in Eccleſia? ibi pro iis oretur, qui veritatem nondum cognouerunt, vt ad ipſius cognitionem perueniant, hîc verò ii puniantur, qui cognitam veritatem iam profeſsi, eam poſtea ſpernunt, nec exigius præſcripto, ac dignitate vitam inſtituunt? Vide, quæſo, quàm fœdè ſæpius labaris, eò quòd iniquiſsimam cauſſam defendẽdam ſuſceperis.

1. Tim. 2.

Matth. 18.

1. Cor. 5.

Palæologi lapſus.

Sed aliud exemplum ſtatim ſubiicis, quo præcedentis vitium corrigi, aut compenſari poſſe, fortaſſe exiſtimaſti. Ais enim, Paulum

lum præcipere, vt cum maledicis ne cibus quidem sumatur, cum tamen & Paulus, & Ecclesia semper Deum orauerint pro maledicis, & facinorosis, vt seruarentur. Verùm hîc primùm in eo reprehendendus es, quòd nullum testimonium profers, quo confirmetur, Paulum, & Ecclesiam semper orasse Deum pro maledicis, & facinorosis, vt seruarentur. tametsi hoc, si rectè intelligatur, facilè tibi concedi potest. Deinde nihil hoc ad illud, de quo ambigitur. Nam quid simile habet Orare Deum pro maledico, & facinoroso, vt scilicet conuertatur, & ita seruetur (sic enim intelligendum est illud, quod in hoc exemplo, nullo testimonio allato, affirmas, si tibi concedi debet) & tamen interim, dum maledicus, & facinorosus esse perdurat, ne cibum quidem cum eo sumere, cum eo, quòd quis Deum pro inimico suo precetur, & interim ab eodem Deo petat, vt vindicet in istum inimicum suum iniurias, quas ab eo accepit? Nam quis non videt, hæc duo sese inuicem destruere, illa verò duo optimè conuenire? Etsi enim, ne cibum quidem sumere cum homine maledico, pœnam ipsius maledici esse, statuere videris, tamen nec verè pœna illius cẽsenda est, sed potiùs cautio aliorum, ne, vt monet Paulus, paululum fermenti totam massam fermentet, immo ipsius etiam beneficium, vt scilicet quemadmodum idem Paulus ait, pudefiat, atque ea ratione sui erroris admoneatur, & resipiscat, nec, si eius pœna esset, hoc precibus pro ipso repugnaret. Vbi sciendum est, aliud esse orare pro inimicis, aliud pro scelestis hominibus, siue pro iis, qui in peccatis perseuerant. Pro hominibus scelerosis orare quidem possumus non modò, vt conuertantur, sed etiam vt, dum adhuc scelerosi sunt, illis Deus bona alia huius vitæ concedere velit. Sed hoc posterius nec facere iubemur, nisi quatenus id ad eos conuertendos pertinere possit, nec, si id admodum diligenter facimus, satis laudandi sumus. Videmur enim, vt Dei osores, ac contemptores felices, atque beati in hac vita sint, desiderare. At inimicorũ longè alia est ratio. Nam, etiamsi non possit quis non scelestus esse, qui homini verè christiano esset inimicus, tamen nequaquam nostrum esset de nobis ipsis iudicium ferre, &, si quis nos odio haberet, continuò apud nos constituere, illum scelestum esse, quasi indubitatum foret, nos verè christianos esse.

1. Cor. 5. 6.

2. Thess. 3. 14.

anos esse, Quantò igitur minùs id nobis concedi debet, cum fieri posit, & quotidie fieri videamꝰ, vt homines alioqui insigni probitate præditi, verè christianis hominibus præ ignorātia sint infensissimi? Vnum Pauli apostoli, antequam Christi Iesu veram cognitionem haberet, exemplum pro omnibus esse potest. Praterea, quamuis certissimum esset, omnes inimicos nostros sceleratos homines esse, tamen ad reprimendum in nobis vindictæ innatum quodammodo ingens desiderium, & odium, quod nostri ipsorum amor contra eos, qui nobis infensi sunt, naturaliter in nobis excitat extinguēdum, rectè est non modò, vt pro istis, quāIesumque illi tandem sint, Deum oremus, vt eos conuertat, sed etiam diligentes in eo simus, vt in precibus nostris ad ipsum Deum illis ea omnia huius vitæ bona precemur, quę nobis ipsis cupimus. ne id, quod pro aliis scelerosis hominibus facere pietatis, & diuinæ gloriæ studio prætermittimus, pro istis vindictæ cupiditate, odioque in animis nostris latente, & nos ipsos sæpius fallente facere prætermittamus. Postremò considerandum arbitror, pœnam istam hominis maledici (si tamen, vt dixi, pœna existimanda est) quòd nemo cum eo ne cibum quidem capiat, non esse pœnam voluntariam, id est, quam pro arbitrio suo illi Ecclesia infligat, sed necessariam, nempe, quam Paulus domini Iesu Christi apostolus Ecclesiæ præscripserit, quamque ipsius Christi cōtemptione non posit Ecclesia infligendam prętermittere. Ex quo sequitur, per singularē legem a Paulo latam de puniendo ea ratione homine maledico generali illi legi, quæ neminem a nobis incommodo aliquo afficiēdum esse iubet, ea in parte derogari. Sed nulla lex neque a Christo, neque ab aliquo eius apostolis lata est, per quam legi iam ab ipso Christo promulgatæ de orando pro inimicis ita derogetur, vt contra ipsos vindictam a Deo petere possimus. Hoc ipse sentiens, vis posimodum, hìc propriam legem latam esse, quæ communi deroger. Sed quàm rectè, postea videro.

Nam pergis adhuc, & exemplum facinorosi Corinthii, quem
1. Cor. 5. Paulus ex aliorum cœtu expelli iussit, quod exemplum antea tacitè commemoraueras, alia ratione ad propositum tuum accommodare tentas. *Aut enim* (ais) *Paulum Corinthium facinorosum odibat ejus amabat:*

amabat: Si odibat reus erat legis Dei de amãdo proximo. Si amabat reiicere eum ex Ecclesia, (ut uos dicitis) non debebat. Verùm in isto tuo dilemmate nihil rectè a te cõcluditur. Neque enim vel dicunt aduersarii tui (quod tamen tu audacter affirmas) vel ex eorum verbis, sentẽtiam colligi potest, Paulum, si facinorosum illum Corinthium amabat, non debuisse ex Ecclesia ipsum eiicere. Non enim cum amore, quo hominem illum adhuc complecteretur, aut complecti deberet, pugnat eiectio ista ex Ecclesia. quippe quæ eidem ipsi, qui eiiciebatur, admodum vtilis tandem, aut certè non inutilis futura esset. Eò enim inter alia eiectio ista tendebat, vt iste, sua calamitatis suæ permotus, aliquando resipisceret, & in Ecclesiæ, atque adeò ipsius Christi vlnas iterum sese reciperet. Mitto responsionem, quam ipsorum aduersariorum nomine tute formasti, aliud videlicet munus publicæ personæ esse, qualem Paulus gerebat, aliud priuatæ, quæ responsio & optima est, nec a te verè postea attingitur, & ad illud venio, quod prædicti exempli occasione addis. Videris enim tibi, hîc omnino rationem inuenisse, qua demonstres, Orare pro aliquo Deum non pugnare cum prouocatione Dei ad vindictam contra eumdem.

Palæologi audax calumnia.

Consideremus (obsecro) quàm feliciter tam arduum inceptum tibi succedat. Ais igitur pag. 269. Si quis Pauli ætate peccans, ex ipsius Pauli præcepto a verbi Dei ministro coram omnibus reprehensus, resipiscere noluisset, sine dubio ministrum vnà cum ecclesia pro eo Deum orare destiturum non fuisse, & tamen interim omnes simul collectos cum auctoritate, & virtute domini nostri Iesu Christi eum ex ecclesia fuisse eiecturos, Satanæq; tradituros ad interitum carnis, vt esset tamquam ethnicus, & publicanus. Et statim adiungis, *Sed si hoc factum fuisset, dixissent isti boni fratres: Vbi amor fraternus? Ad quid orare Deũ pro eo, ut Deus inter suos habere uelit, quem tu inter tuos habere non uis?* Vehementer fallit te opinio tua, si hęc ex animo dicis. Nec enim vllo modo verisimile est, tam bardos aduersarios tuos futuros, vt ista vel somniaturi quidem essent. Num putas, eos non intellecturos, aliud planè esse id, quod isti Deum orarent, aliud verò, quod ipsi facere nollent? Orassent enim Deum, vt inter suos habere vellet istum, quem ipsi eiicerent, sed non qualem ipsi eiicerent, minimè resipiscentem,

1. Tim. 5, 20.

verùm resipiscentem, id est, si vmquam resipuisset. Et idcirco eum simul rogassent, vt ipse isti pœnitentiam daret, vtque resipiscere posset, concederet, quando hæc in sua ipsorum manu non essent, sed in ipsius tantùm. Hæc, inquam, aduersarii tui optimè sine dubio intellecturi fuissent, ob eamque causam neutiquam credendum est, eos eiusmodi istorum factum vel miraturos, vel reprehensuros fuisse, etiamsi persuasissimum habuissent, non potse eodem tempore pro eo Deum orari, cõtra quem ab ipso Deo vindicta peteretur. Nam tu perperam omninò ex isto facto tacitè id deinde colligis, quod tibi, vt diximus, demonstrandum proposueras, Orare pro aliquo Deum, & Deum prouocare ad vindictam contra eumdem non esse contraria. Neque enim in facto isto vel prouocatur Deus ad vindictam, vel simpliciter oratur, nedum vt vtrumque simul fiat. Simpliciter quidem non oratur, sed oratur tantùm, vt istius ita misereri velit, vt ei concedat, quò possit resipiscere. Nullo autem pacto prouocatur ad vindictam, cum minister, & ecclesia quicquid mali istum habere velint, ipsi statim auctoritate sibi tradita illi infligant. quod tamen, vt dictum est, malum ei censeri non debet, cum ad ipsius quoque bonum, & salutem omnino spectet. Vides, quàm malè tibi succesrit, quod exequendum susceperas. nempe quia nimium ausus fueras, & cælum terræ (quod aiunt) miscere tentaueras.

Palæologi calumnia otiosa.

Iam quod ais, aduersarios tuos putare, non posse hæc duo simul consistere, Amare aliquem, & Punire eumdem, id & calumnia videri debet, & nihil ad rem facit. Norunt aduersarii tui (opinor) vt cæteri omnes, ista duo adeò non esse contraria, vt ipse alterum alterius sit causa. Nec verò aliter existimare opus habent. Quid enim? Num fortasse is, qui contra inimicos suos a Deo vindictam petit, præ amore, quo inimicos suos prosequitur, id facit? Hæc tua mirabilis charitas eadem est cum ea, de qua alibi egimus, cum vis, interficiendis inimicis, Christi præceptum seruari, quo inimicos diligere iubemur. Ita impostor ille summus, qui homicida fuit ab initio, te miserè decepit, vt ipsa homicidia, quæ commemorata tantùm animus hominis non efferatus planè abhorret, summæ a Christo mandatæ mansuetudinis, ac benignitatis præstationem esse arbitreris. Sed finge (si placet) eum,

cum, qui vindictam a Deo contra inimicos suos postulet, præ nimio amore, quo eos complectatur, id facere, num propterea eodem tempore pro illis orare Deum poterit? Nullo modo. Nam etsi hoc quoque ex amore proficiscitur, sunt tamen hæc duo affectus moris effecta ita inter se repugnantia, vt simul eodem tempore consistere nequeant. Castigare aliquem (vt huic rei accommodatissimo tui ipsius exemplo vtar) summæ dilectionis effectum esse potest. Potest eiusdem quoque dilectionis effectum esse, aliquem prorsus non castigare. Num idcirco poterit quis eodem tempore eumdem, qui deliquerit & castigare, & prorsus non castigare? Non sanè. Ita & orare Deum pro inimicis suis, & contra inimicos suos a Deo vindictam petere, etiamsi vtrumque ab inimicorum dilectione proficisci posset, tamen nulla ratione simul eodem tempore cõsistere queant. Iam enim demonstratum est, in vno eius planè contrarium postulari, quod in altero petitur. Itaque videre potes, tuam istam rationem, quòd amare, & punire, diligere, & castigare non sint contraria, quam tantopere vrges, hoc loco futilem prorsus, atque inanem esse.

Verumtamẽ videamus, quomodo ex ea id, quod quæris, concludi posse speres. Ea igitur exposita, sic deinde infers. *Quare si flagellare potest manus & sine vitio contradictionis potest illum cedere, quem ex corde amat, poterit & os Deo obsequentis pro eo orare ut saluus fiat, pro quo postulat & ante iudicem Deum & ante magistratum (uicarium Dei) ea reddat, oculum pro oculo, manum pro manu, dentem pro dente, animam pro anima, quæ iniquè, per iniuriam & fraudem abstulit.* In hac argumentatione duplex est error, seu potiùs techna tua. Prior techna est, quòd precationem pro eo exponens, contra quẽ vindicta postulatur, oris tantùm mentionem facis, vt scilicet istorum duorum repugnantia minùs appareat. neque enim te ita excæcatum esse arbitror, vt non cernas, precationem a Christo pro inimicis iussam non ore tantùm, sed corde etiam simul fieri debere, immo, vt ore fiat, nihil opus esse. Altera tua techna, vt eamdem repugnantiam occultes, in eiusdem precationis explicatione est, dum ais, *ut saluus fiat*, quasi verò precatio pro inimicis, quam Christus mandauit, nihil aliud sit, quàm orare, vt salui fiant, id est vitam æternam adipiscantur. Verùm, longè aliter rem se habere, iam a nobis de-

Palæologi techna duplex.

monstratum est, cum non istud modò, sed ne illud quidem satis esse ostendimus, quod tu alibi sæpe concedis, orare videlicet Deum, vt illis parcat, quod certè plus est, quàm orare, vt saluus fiat, nisi istud Parcere ita interpreteris, vt ad solam a morte æterna absolutionem illud restringas. quod tamen nemo facilè tibi concesserit. Quandoquidem Parcere simpliciter prolatum significat Non punire, siue A puniendo abstinere, cum de parcendo delinquentibus est sermo. Quocirca, nisi quis a puniendo abstinet, licet leuiùs multò, quàm pro delicti merito puniat, pepercisse tamen simpliciter dici non poterit. Quamquam ne sic quidem repugnantiam, quæ inter duas istas precationes, seu postulationes est, satis occultare potuisti, cum tu ipse in vindictæ postulatione animæ pro anima, quæ reddi postuletur, mentionem facias, vt quidem necesse habuisti, si veram vindictam cõtra inimicos a Deo peti posse volebas. Quid enim magis quodammodo aduersatur petitioni, vt quis in vitam æternam seruetur, quàm peteret, vt, cum scelus aliquod insigne perpetrauerit, (quale sine dubio homicidium est) & alterum occiderit, ipse occidatur? Nonne qui hominem ita occidit, vt ipse ex lege occidendus sit, æternam simul mortem est commeritus, quam effugere nõ poterit, nisi maturè resipiscat, atque ex animo ad Dei misericordiam confugiat? Iam quis est, qui de altero, qui deliquerit, affirmare possit vnquam, eum maturè resipuisse, ad Deique misericordiam confugisse, quidquid illum per longum etiam temporis spatium facientem videat? nedum vt id de homicida affirmari possit, qui statim rapitur ad supplicium, & vix verbis pœnitentiam fingam, & in Dei misericordia fiduciam ostendere potest, si legalem istam vindictã, & talionis pœnam a Deo, & magistratu peti posse velis. Neque enim lex delinquentis pœnitentiæ, & diuinæ misericordiæ implorationis vllam rationem habet. Sed siue eum pœniteat, siue non pœniteat, siue Dei misericordiam imploret, siue non imploret, pœnam illi infligi, &, si alterum occiderit, ipsum occidi prorsus iubet. Quamobrem iam apparet, quàm parum appositè, immo quàm planè iniuriâ tuæ isti argumentationi verba illa adiunxeris. *Videtisne quæ iudicabatis opposita & contraria esse cõsona & consentientia?* Qua in re illud etiam animaduertendum est,

est, te in tota hac disputatione tacitè (id quod interdum etiam, vt iam obseruatum est, apertè facis) ab aduersariorum argumento, quod dissoluendum proposueras, vel ad thesim ipsam tuam confirmandam transire, vel ita aduersariorum argumentum interpretari, ac si simpliciter dixissent, Quia debemus pro inimicis orare, hinc sequi, nos non posse per magistratum iniurias nostras vlcisci. Quod etsi illi dixerũt, sic tamen simul argumentati sunt, vt ex eo, quòd orare debeamus pro inimicis nostris, consequi necessariò dicant, non posse nos contra ipsos vindictam a Deo postulare, Ex hoc autem aduersus sententiam tuam concludi posse affirment, ne ab ipsis quidem hominibus eam petere licere. nec tu aliter ipsorum argumentationem ab initio accipis. Sed deinde confundis hęc omnia, ac præterea modò probare instituis, posse quempiã amari simul a nobis, & puniri, modò per magistratum vindictam peti posse, contendis, sine charitatis offensione, modò ais, non semper debere nos inimicos nostros diligere, aut pro eis orare, modò plus Deum, quàm proximum, amandum esse mones, atq; alia multa huic disputationi admisces, quæ eius propria non sunt, nec ad argumẽtum aduersariorum dissoluendum pertinent, etiamsi tibi contrarium videatur, qui ad disputationis finem in extrema pag. 271. illa verba scribas, *Videtis iam quot dissolutiones offerunt nobis sacra Biblia ad uestrum argumentum?* Quare non est, cur hoc loco ad ea, quæ adhuc restant, respondeam, cum omnia vel eò pertineant, vt probes, posse sine veræ & legitimæ charitatis offensione pœnas per magistratum de priuatis sumi, vel eò, vt ostendas, Dei amorem amori proximi anteponendum esse, & tempus esse aliquando, cum (ita Deo iubente) nec amare inimicos, nec pro eis orare debeamus. de quibus cõmodiùs fortasse in proxima huius meæ responsionis parte agi posset. Attamen, quia Rabemus, tum ex eo, quòd orare pro eis iubemur, nullo præterea alio argumento inde ducto, colligunt, non licere contra ipsos vindictam per magistratum expetere, idcirco tamquam de tertia quadam huius, in qua adhuc sumus, reprehensionis tuæ parte, de hisce duobus, quæ vnum censeri possunt, breuiter agemus.

3. Ais igitur, vt rem totam in pauca conferam, Christum præcepisse,

cepisse, vt omnes nostros, quantumuis caros, non tantùm inimicos, præ ipso, odio habeamus, hoc est, ne plus nostros amemus, quàm veritatem Dei in Christo, quàm iustitiam regni. Ex quo ad hunc modum concludis prædictâ pag. 271. *Ama igitur & tu proximum tuum, hostem tuum, inimicum tuum, sed non plusquam Deum, quam veritatem Dei, quam ordinationem Dei, quam iusticiam Dei, quæ nult malos male perire, uindicari malefacta, ut repurgata uita præsente a malis quiete uiuere possint boni*, &c. Si hæc tua argumentatio rectè concluſa est, illud omnino sequitur, quod alibi quoq; ex tuis verbis colligi ostēdimus, & te in christianam religionem instituta quędam inducere declarat, quæ ne athei quidem ipsi impia esse non sint fassuri. Nam, si ad rem locutus es, nulli dubium esse potest, quin ex ratione tua concludi necesse sit, non licere homini christiano acceptas iniurias dissimulare, nedum eas ex animo condonare. Etenim, si propterea eas per magistratum vindicare licet, quia Deum pluris, quàm proximum facere debemus, certè sequitur, non licere modò, sed etiam oportere id facere. Itaque nemo, qui iniuriam per magistratum vindicandam acceperit, eamque ad magistratum non detulerit, & vindicandam curauerit, non grauiter peccabit. Itane animo efferato es Palæologe, vt hæc seriò scripseris, velisque christianos homines deteriores esse multis, qui nullam Dei veram cognitionem habentes, iniurias suas nec per se, nec per magistratum vindicarunt, ob eamque rem mansuetudinis, atque clementiæ laude apud omnes maximè floruerunt? Nonne hac ratione ex christiana republica omnem ferme mansuetudinem, atque clemētiam exterminas? Nam, cum vbique legibus cautum sit, ne priuatus aliquis per se iniurias suas vlciſci audeat; & vlcīscentibus graues sint pœnæ constitutæ, sed, si quis velit suas vindicare iniurias, ad magistratum accedere debeat, quinam mansuetudini, aut clementiæ locus erit, si nemo accedere debeat, quinam mansuetum fuisse, qui non ea ratione se vltus fuerit, quæ tum ipsius certo damno, aut periculo cōiuncta esset? Adde quod, si rectè a te concluſum est, non solùm iniurias nostras, sed alio rum etiam, quin & omnia delicta per magistratum vindicanda, quæ ad nostram notitiam peruenerint, a quocunque tandem illa commissa

la commissa fuerint, deferre debemus, adeò vt & nosmetipsos, si quid ex lege puniẽdum occultè admiserimus, prodere, & publicè accusare cogamur, vtque puniamur, curare, etiamsi capitale esset delictum nostrum, &, nos turpi morte a magistratu affectum iri, planè constaret. Nam, si Deum pluris facere, quàm nos ipsos debemus, vt certè debemus, & Dei gloria postulat, vt malefacta per magistratum vindicentur, & a nobis vindicari curen tur, ipsa quoque malefacta nostra, vt per magistratum vindicentur, quæcumque tandem illa fuerint, curandum nobis est. idque eò magis, quò grauiora erunt, & digniora, quæ impunita non relinquantur. Iam qualem carnificinam ex christiana religione nobis reddis! Certè Ioseph us, qui Mariam sibi desponsam, priusquam conuenissent, grauidam esse deprehendit, ne scelus, quod illam admisisse pro certo habebat, palam fieret, & ipsa ex lege puniretur, eam clam repudiare cogitabat, tantùm abest, vt puniendam ad magistratum deferre vellet. quod, cum vir iustus esset, ex- *Matth. 1. 19.*
um feciſſe, ſacra hiſtoria teſtatur. Et tamen non ſolùm ſcelus (vt
ipſe ſine dubio credebat) eiuſmodi erat, cui per Dei legem grauiſ- *Deut. 22. 21.*
ſima fuiſſet decreta pœna, ſed etiam quo, vel certè cuius occaſione, rem contrario prorſus modo ſe habere, quàm tu exiſtimes. hoc eſt, illum appellari iuſtum, qui ſuas, Deique ipſius graues iniurias ad magiſtratum non defert, &, quantum in ſe eſt, ne puniantur, curat. Nec ſanè quemquam, qui aliter faciat, non vituperandum eſſe arbitror. idque ſub ipſa Lege, vt ex iſto Ioſephi exemplo patet, ita putatum fuiſſe, mihi perſuadeo, niſi ſicubi nominatim in Lege, vt delinquentes accuſarentur, & deferrentur, conſtitutum fuiſſet. vt in idololatriæ peccato factum eſſe cõſtat. *Deut. 13.*
Hoc ipſum principes ipſi, & reſpublicæ, quorum maximè interest, vt delicta puniantur, probè nouerunt. & idcirco, quibuſdam exceptis delictis, quæ ad ipſorum iniuriam propriè ſpectant, vt idololatria ad ipſius Dei iniuriam, qui legem tulerat, propriè ſpectabat, nulla occulta delicta ad magiſtratum deferenda eſſe ſanciuerunt. nec vmquam aliquem iniurias, quas accepiſſet, puniendas per magiſtratum curare coegerunt. quo nihil iniquius excogitari poſſe videtur, cogere ſcilicet quempiam, vt immitis

ac fæuus sit, aut certè, vt se verè mitem ac placidum esse, docere non possit. Quamobrem, quod ais, iustitiam Dei postulare, vt mali malè pereant, & malè facta vindicentur, verum est quidem, si rectè intelligatur, sed nõ tamen ex eo sequitur, vnumquemque priuatum, vt id fiat, curare debere, præsertim vbi alia potest esse causa, cur id curet, quemadmodum in propriis iniuriis vindicandis contingit. Sed ii demum illud curare debent, qui ipsi iustitiæ Dei exequendę sunt propositi. Pergis autem, & ais, *Ora pro tuis inimicis, benefacias illis, omni tempore. Saluta illos, sed si tempus illud est quo mandatur tibi, ne dixeris illi aue, iam lex communis cessat, ubi lex propria lata est*, &c. Iam hîc apparet, quantum a proposita quæstione abscesseris. Quærebatur, quomodo Deum orare pro inimicis, & a Deo contra ipsos vindictam petere simul consistere possent. Hîc verò dicitur, aliquando tempus esse, cum ne Aue quidem illis dici debeat, & communem legem cessare, vbi propria lata fuerit. Atqui vel istud nihil est, vel falsum simul atque ridiculum censeri debet. Si enim tunc demum propriam legem latam esse intelligis de non orando pro inimicis, cum peccant ad mortem, vt verba tua, quæ postea addis, demonstrant, qua de re paullo ante satis accuratè egimus, quid hoc ad rem facit? Nam aduersarii quoque, id verum esse, facilè concedent. neque lex ista magis ad inimicos, quàm ad amicos pertinet. Sequeturne ex hoc, cum inimici nos iniuria afficiunt, cessandum esse ab orando pro eis, & propterea nihil esse, quod impediat, quominus eorum iniurias per magistratum vindicare possimus? Immo Christus diserte dicit, tunc esse pro ipsis orandum, cum nos lædunt, siue iniuria afficiunt. Quòd si fortè omnes, qui nos iniuria afficiunt, ad mortem peccare vis, & propterea pro istis omnibus minimè orandum esse intelligis, Primùm istud non modò per se, sed etiam ex eo, quod modò diximus, Christum iussisse, vt pro istis oretur, falsissimum esse apparet. Deinde planè ridiculum est, te fateri, legem quamdam communem extare, quę pro inimicis orare nos iubeat, sed propriam interea legem latam esse, qua id facere vetemur, si istam propriam legem eos omnes casus complecti velis, quæ communis complectitur, vt profectò te velle necesse est, ita de iis omnibus, qui iniuria nos afficiũt, propria ista lex loquatur.

Matth. 5. 44.

nam

nam communis lex, quam illam esse oportet a Christo latam, de istis tantùm nominatim verba facit. Certè istarum duarum legum non vna communis, altera propria est, sed vtraque est communis, & altera alteri penitus aduersatur. Idem ferme dico de præcepto amandi inimicos, eisque bene faciendi. Nam, si legem hanc communem interdum (vt sonant verba tua) cessare vis propter propriam legem latam, explica casus, in quibus cesset, & debis, istud nihil ad propositam quæstionem facere, idque ab aduersariis facilè tibi cõcessum iri. Sed si istam propriam legem ita intelligis, vt semper locum habeat, cum de vindicandis malefactis agitur, quia scilicet tunc de Dei iustitia agatur, quę omnibus rebus anteponenda sit, iam & falsum id esse ostendimus, nec dici potest lex ista propria, quippe quæ, vbicumque ferè altera illa communis locum habuerit, locum & ipsa habitura sit, sed communis ipsa quoque, & alteri planè contraria existimari debet.

Atque hęc tandem satis esse poterunt ad vniuersam tuam reprehensionem diluendam, ac demonstrandum, te nullo iure, vt offenderes, aduersariorum argumentum pluribus modis a te dissolutum fuisse, tamquam in huius disputationis epilogo in fine pag. 271, & 272. initio ea prima verba scripsisse. *Falsum enim est in eum nos vindictam petere non posse pro quo orare debemus & illi benefacere, & eum salutare.* Hoc enim, vt vidimus, a te (præsertim si ad idem tempus, vt quidem necesse est, omnia referantur) nullo prorsus modo demonstratum est. Cætera, quæ, falsa esse, deinde in eodem quasi epilogo affirmas, nihil moror, tum quia ad rem nõ faciunt, tum verò quia partim ex iis, quæ aduersarii tui dicunt, minimè consequuntur, partim ab ipsis nusquam disertè affirmantur, etiamsi tu, tamquam ex ipsorum argumento necessariò manantia, ea omnia commemores.

Obiicis aduersariis tuis prædictâ pag. 272. quòd dicant, magistratum misericordem esse non posse, quin sit futurus iniustus in alteram partem, magistratum autem misericordem esse debere. & addis. *Næ uos hoc unum undequaque proditis, uos nihil scire & sensu communi priuatos esse.* Hîc, Palæologe, insignis calumnia latet. nam aperta conuicia nihili facio. Tantùm doleo, quòd tantò grauiùs peccasti, atque, vt omnes videbunt, ea in teipsum redundare di-

XX.

Palæologi calumnia.

ci possunt. Calumnia igitur in eo est, quòd hic Racouienses dicentes facis, magistratum iniustum esse oportere. Nam, si misericors esse debet, & misericors esse non potest, quin sit iniustus, necessarium profectò est, vt iniustus sit. Sed quomodo ex ipsorum verbis colligis, magistratum misericordem esse debere? Sic enim scribunt illi pag. 70. *Si à Deo uindictam expetere in aduersarios non licet, quomodo uindicare apud magistratum licebit? cum Deus sit & misericors & iustus, Magistratus uerò neutiquam misericors esse poterit, nisi iniustus alteri parti esse uelit.* Certè ex his verbis contrarium potiùs apertè colligitur. Ad hunc enim modum argumentantur aduersarij tui. Si non licet vindictam a Deo petere, qui misericors summo iure est, quãtò minùs a magistratu petere licebit, qui misericors esse non debet? Misericordem autem magistratum esse non debere, ex eo demõstrant, quòd oporteat magistratum omnino iustum esse. Iustus autem alteri parti erit, si misericors fuerit. Itaque apparet, Racouienses non affirmare solùm, sed etiam contendere, magistratum iustum esse debere, tantum abest, vt, iniustum esse oportere, dicant, vt tu eos reipsa dicentes faciebas. Et sanè valde mirum est, te hac in re ita supinum fuisse, vt nec verba ipsorum attenderis, nec mentem perceperis, apertissimamque eorum argumentationem minimè animaduerteris. Quid, quòd ea, quæ ad Racouiensium dictum refutandum deinde attulisti, nihil prorsus ad rem faciunt, cum neque id refutent, quod illi dixerant, neque id, quod tu eos dixisse putaueras? Ea enim omnia huc tendunt, vt probent, magistratum neutri parti esse iniurium, si, vt suum vtrique reddatur, curat, & idcirco aliquid ab vna, tamquam non ipsius, auferri iubet, & alteri dari, cuius est reuera. Nam etsi hoc ad id refutandum pertinere videtur, quod reipsa Racouienses dicentes facis, magistratum scilicet iniustum esse oportere, tamen, cum rationem, quare id dixissent, non refutes, quippe qui nec in magistratu misericordiam vnà cum perfecta iustitia esse posse, nec vt magistratus misericors sit, non oportere, probes, nihil verè agis, & incassum multa verba fundis. Nam, te illud nequaquam refellere, quod ipsi reuera dixerunt (quamquam etiamsi refellere, id non tibi, sed casui potiùs tribuẽdum esset) ex eo intelligi potest, quòd in nullo ex exemplis a te allatis aliquod misericordiæ vestigium apparet.

Palæologus supinus.

Palæologus nihil ad rem loquitur.

Iam

Iam demonstratum est, quantum aduersarii tui in eo ponant, quòd a Deo vindictam petere non liceat, vt hac ratione, ne a magistratu quidem eam petere licere, ostendant. Vt igitur id probent, non solùm pag. 70. vt visum fuit, ab eo argumentum ducũt, quòd pro inimicis Deum orare debeamus, sed etiam ibidem ab exemplo ex sacris litteris petito argumentantur, vbi Iacobus, & Iohannes apostoli vindictam a Deo petere cupientes contra eos, qui Christum hospitio recipere noluerant, repressi sunt a Christo, & obiurgati. Hic tu aduersarios reprehendis, & pag. 281. ais, nullo modo ex hoc sequi, apostolos non debuisse suas opes repetere apud magistratum, quas rapuissent iniqui, quasi verò hoc illud sit, quod ex prædicto exemplo ipsi concludunt. cum tamen ne illud quidem sit, quod ex eo, quod inde concludunt, confirmare demum quærunt. Quandoquidem aliud est sua per magistratum repetere, aliud vindictã, id est vltionem iniuriarum per magistratum expetere. Docendum tibi fuerat, desiderium illud ducta iurè aduersarios tuos reprehendisses.

XXI.

Luc. 9. 54.

2. Sed fortasse id te præstitisse putas, cum paullo ante ais, ideo non rectum fuisse istorum apostolorum desiderium, quia volebant auctoritate sibi concessa ad destructionem vti, cum tamen ea ad ædificationem illis a Christo data fuisset. Ex hoc enim (si id verum est) non obscurè colligitur, non de vindicta a Deo petenda, sed de auctoritatis iam concessæ abusu ibi actum fuisse. Verùm quomodo probas, christum tantam auctoritatem iam Apostolis dedisse, vt ignem etiam de cælo ad homines perdendos quandocumque ipsis libuisset, deuocare possent? Id ego sanè, vel aliquid simile nusquam lego. Quapropter, cum duo illi apostoli, Christũ interrogantes dicant, *Domine vis dicamus, ut ignis descendat de cælo, & consumat illos?* non est intelligẽdum, illos a Christo petiisse, vt sibi concederet, vt potestatem, quam iam habebant, ea in re vterentur, vel eum rogasse, num iuberet, aut vellet id fieri, sed perinde esse, ac si dixissent, Permittis ne nobis, aut mandas, vt Deum oremus, vt ignem de cælo mittat, qui istos consumat? Vel, Iubesne, aut permittis, eiusce rei nunc data nobis potestate, vt ignem de cælo deuocemus ad vlciscendam iniuriam, qua isti te afficiunt?

ficiunt? Quod reipsa idem est, ac si vindictam a Deo ipso petiis-
sent. Nec verò Elias, quem imitari apostoli isti volebant, pote-
2. Reg. 1. state iam sibi concessa ignem de cælo deuocasse, dicendus est, sed
precibus id a Deo obtinuisse. Etsi enim in ipsa historia precum
non fit aperta mentio, tamen verba illa, *Descendat ignis*, &c. preca-
tionis vim habere censenda sunt. Quòd si, cum scriptum sit, cum-
1. Reg. 17. 1. dem Eliam Achabo dixisse, *Viuit Iehoua Deus Israelis, in cuius cõspectu*
sto, si erit annis his ros, & pluuia, nisi iuxta oris mei uerba, preces Deo ea
de re Eliam adhibuisse intelligendum est, non autem, potestate
Iac. 5. 17. iam sibi tradita id effecisse, vt Iacobus testatur, cum tamen pre-
cum nulla prorsus fiat mentio, quinimmo ex sermonis hebraici
proprietate ita accipi verba possint, vt iussum omnino declare-
multò magis id intelligendum est, vbi eius verba, tamquam a pre-
cante dicta, accipi possunt.

3. Sed alia præterea ratione aduersariorum ex exemplo isto
argumentationem reprehendis. Ais enim, caussam, quòd illi eos
recipere noluissent, non tanti fuisse, vt idcirco duo isti apostoli
desiderio illos perdẽdi teneri debuissent. Et mox subiicis, *Sapiẽs,*
inquit, noluerit uos recipere, excutite puluerem de pedibus uestris terræ illius in
qua illi habitant, in testimonium, quod nihil quod ad illos pertineat, sit nobis cum-
Non dicitur, perdite illos uos. Hìc primùm obiter inconstantia tua
Palæologi inconstantia. notanda est. Nam, vt supra vidimus, alibi, id est pag. 261. præce-
ptum istud Christi apostolis datum, vt puluerem de pedibus ex-
cuterent in testimonium, &c. ita interpretaris, vt inde colligas,
Apostolos futuros testes coram Deo contra Iudæos violato-
res Legis. Hìc verò testimonium intelligis, quòd nihil cum apo-
stolis esset, quod ad illos pertineret. vt & nos antea, cõtra inter-
pretationem illam tuam, Christi verba intelligẽda esse diximus.
Palæologi lapsus. Deinde verò animaduertendum est, te in eo lapsum esse, quòd in
exemplo, de apostolis ipsis, qui vindictam cupiebant, non recep-
ptis, agi putas, cum tamen de Christo ipso non recepto agatur,
nulla ipsorum apostolorum ratione habita. Quod & Christi in-
crepatio ostendit, cum ait, se non venisse, vt homines perderet,
sed vt seruaret. Ad ipsum enim vlciscẽdum nouerat Christus, in
eam cogitationem duos illos fratres deueniisse, vt ignis de cælo
inhospitales illos homines cõsumpturus deuocaretur. Etenim,
si dixerit,

si dixeris, si ita res se habeat, exemplum ad rem nostram accommodatum non esse, Nos enim de vindicta loqui pro se ipso expetita, exemplum verò de vindicta pro alio desiderata, Respondebo, immo tantò accommodatius esse, id est ad id probandum, quod Racouienses quærunt, aptius, quantò tolerabilius est pro alio, quàm pro seipso, vindictam contra quempiam a Deo petere, quemadmodum ex iis intelligi potest, quæ non multò ante de eo, quod inter inimicos nostros, quod ad orandum pro ipsis attinet, & alios scelestos homines interfit, disputatum a nobis est. Postremò (atque hoc præcipuè ad reprehensionem tuam refellendam pertinet) considerandum est, exemplum istud non tam propter factum ipsum, quàm propter Christi verba, vt etiam ab aliis fit, sine dubio ab aduersariis tuis allatum fuisse. Neque enim Christus discipulos illos propterea obiurgat, quòd vindictam nimis grauem ob leuem caussam expeterent, id quod neq; ex verbis, neque ex sententia ipsius colligi potest, sed simpliciter, quòd eam vindictam expeterent. & ratio, quam adiungit, non minùs in grauioribus, quàm in leuioribus caussis locum habet. Non negabo tamen verba ipsius non ad omnem vindictam excludēdam, sed ad capitalem pertinere. de qua potissimùm, quòd apud christianos locum habere non possit, hîc disputant Racouienses, quemadmodum ex verbis illis apparet, quæ statim post allatum, explicatumque exemplum addunt, Et *isti scilicet erunt filij Dei perden*

do animas quas Christus seruatum uenit? Vnde cōstat te calumniari, cum pag. 280. obiectionem (quam vocas) ipsorum 22. tuis verbis, vt soles, confingens, ex prædicto exemplo eos ita concludentes inducis, *Ergo non licet se coram magistratu offerre, & petere sua rapta a prædonibus.* Quid enim, si iam illi prędones de scelere siue hoc, siue alio simili, ita vt eis pœna ampliùs augeri non possit, conuicti fuerint? Quid, si prædones ipsi euaserint, bona tamen, quæ rapuerant, magistratus ope recuperari possint? Quid denique, si, quantumuis accusati, & conuicti, nihil omnino pœnarum sint daturi præter ipsam rerum raptarum restitutionem, idque vel propter insignem miniméque dubiam magistratus clementiam, vel quia illius loci leges, dummodo rapta restituantur, nullam pœnam raptoribus decernant, vel quia id in eius voluntate positum

Palæologi calumnia.

tum esse velint, qui rapinam passus fuerit, isque ea restitutione contentus futurus sit, vel quamcumque aliam ob caussam? An non vides, fieri posse, vt quis sua a prædonibus rapta coram magistratu petat, & tamen nulli capitale periculum creet, nec capitalem vindictam, immo ne vindictam quidem vllam contra aliquem expetat? Falsò igitur, & per calumniam, vt dictum est, Racouiensibus tribuisti, quòd ex exemplo illo, ex quo ipsi nihil nisi vindictam (maximè capitalem) per magistratum expetere non licere coram cere concludere volunt, colligi posse dicant, non licere coram magistratu se offerre, & sua a prædonibus rapta repetere.

XXII. Aduersarii tui, vt probarent, Christum æternum regem, & sacerdotem esse in Ecclesia absque successore, pag. 72. caput 7. epistolæ ad Heb. citauerant, vbi inter alia dicitur, Christum habere sacerdotium ἀπαράβατον, quam græcam vocem dixerant ipsi id significare, id est Sine successore. 1. Hoc tu pag. 286. reprehendis & aduersarios rogas, vt addiscant, antequam loquantur, & non obscurè (quod alibi sæpe facis) ignorationem linguæ græcæ illis obiicis. & tamen nec, quid aliud significet ea græca vox, doces, & interim, illud ipsum, quod aduersarii dicunt, eam significare, satis apertè concedis. Etenim turpi lapsu, dum reprehendere Racouienses in animo habes eius rei caussa, quòd ex æterno sacerdotio, & regno Christi, in quo successoribus non est locus, non rectè id, quod volunt, colligant, nec, quid sit sine successore esse, rectè percipiant, eos reprehendis, quòd Christum regem, & sacerdotem esse dicant, qui successore careat. Nam quid attinet de ipsa voce ἀπαράβατον verba facere, cum certissimum sit, eam idem significare, quod, si latinè dici posset, significaret Intrãsmissile, id est eiusmodi, vt ad alium non transmittatur? Quod quid aliud est, quàm in eo non dari successorem? Quid igitur tibi vis, cum græcarum litterarũ inscitiam tuis aduersariis ascribis? Nonne tu ipse, ex loco illo, christum nullum successorem habere, colligi posse, demonstras, cum pag. 287. ita scribis? *Nullum igitur habet successorem, quoniam nunquam moritur: successor autem datur & mortuo & repulso.* Quamquam antecedentia verba, ad quæ ista referri debent, quæ sunt illa, *Ergo illum, de quo ibi agit*, &c. adeò sunt typographi culpa (vt arbitror) deprauata, vt satis intelligi nequeant. Verùm

Palæologi lapsus.

Verùm ex aliis verbis tuis, quæ postea recitabimus, te id sentire, quod diximus, valde perspicuum erit. Hìc autem animaduertendum est, te dicere voluisse, cum Christus numquam moriatur, certum esse posse, eum nullum habere successorem, cum certum sit, ipsum nec repulsum fuisse, nec repellendum fore, successor autem aut mortuo, aut repulso detur. Quod quàm rectè a te expressum fuerit, cæteri iudicabunt. Certè, nisi hoc pacto ex ingenio verba tua suppleamus, atque interpretemur, ineptissimè locutus esse videri poteris, qui ex eo solo, quòd Christus nõ ampliùs moriatur, concludis, eum nullum habere successorem, & tamen interea ipse fateris, non mortuo tantùm, sed repulso quoque successorem dari. Fateris igitur, Christum nullum habere successorem. Idque sine dubio ex loco ab aduersariis citato probari concedis, vt mox apertiùs constabit. Quid igitur tibi vis? Cur aduersarios tuos ob idipsum & reprehẽdis, & simul irrides? At dices, In hoc ipsos reprehẽdo, quòd non intelligunt, quid sit, Christum non habere successorem, & qualem vim hæc verba habeant. Iam hoc, Palæologe, longè aliud est, nec cum eo, quod tuæ reprehensionis initio dicebas, vllo modo consentit.

1. Sed videamus, cur aduersariis obiicias, quòd non intelligant, quo sensu dictum fuerit, Christum successorem non habere. Nam inquis eàdem pag. 287. *non ob id nullum habet legatum in sua Ecclesia, & qui reconciliet Deo homines, ut ex filijs iræ faciat filios amoris Dei, & ex mancipijs principis huius mundi, reddant mancipia regni Christi. & qui regat populum sanctis legibus?* Et mox. *Est igitur regnum & Sacerdotium Iesu Christi* ἀπαράβατον, *quoniam nec in aliam tribum, nec in aliam familiam, nec in aliam personam, uel ob mortem ut Dauidis & Aaronis, uel ob repulsam ut Saulis & Eli, quam in Iesu Christi familiæ Dauidicæ, tribus Iuda, personam, hoc sacerdotium & regnum coniectum à Deo patre est, sed non est hoc regnum & Sacerdocium* ἀπαράβατον *ratione legatorum & ministrorum, qui pro domino agãt.* Quasi verò negetur a Racouiensibus, Christum suos legatos, & ministros, qui pro ipso agant, in Ecclesia habere. Sed aliud est esse regem, aut sacerdotem, aliud legatum, aut ministrum. Habent & mundani ipsi reges (nam hìc de regno potissimùm quæritur) suos legatos, qui regis legati dicuntur. non tamen sunt ipsi reges. Ita Christus suos legatos in Ecclesia habet, non tamen

sunt ipsi Ecclesiæ reges. quis verò est hodie, aut vmquam fuit, qui se Christi ecclesiæ regem meritò nominare queat. Immo quis est ex ipsis regibus, qui Christi nomen profitentur, quem, si ecclesiæ Christi regem appellare velis, non sit id ægerrimè laturus? Non negant igitur hoc loco Racouienses, vel legatos suos Christum in Ecclesia habere, vel in ipsa Ecclesia inueniri posse, qui alioqui sint reges. sed negãt, vllum inueniri, aut esse posse, qui ipsius Ecclesiæ sit rex præter vnum Iesum Nazarenum, qui Christus propterea est appellatus. Sed dices. Quorsum hæc, cum hic quæratur, vtrùm homo christianus magistratum ciuilem gerere possit? Respondeo, non id hoc loco quæri, sed illud, vtrùm quisquam Ecclesiæ rex siue ex toto, siue etiam ex parte præter ipsum Christum esse possit, vt postea docebimus, &, cur hac de re a Racouiensibus disputatum fuerit, ostendemus. Nunc, te eorum mentem non percepisse, eosque sine caussa reprehendisse, indicare satis habui.

3. Illud sanè miratus sum, te tam facilè aduersariis concessisse, ἐπιτροπὴν esse, cum ibi de sacerdotio tantùm agatur. Quod etiamsi cum eorum, quos aduersus te defendẽdos suscepi, reprehensione coniunctum videatur, tamen reticendum non censui, ne lector, me in eumdem errorem (si tamen error est) vobiscum incidisse, putaret. Nec verò opus est, vt hac de re aliud dicam, eaque in medium afferam, quæ ad te, & illos excusandos pertinere possent.

XXIII. Quoniam Racouienses pag. 76. dixerant, in testamento nouo nusquam ne vnum quidem verbum extare de tortoribus, carceribus, crucibus, & flagellis, quorum scilicet in Ecclesia vsus esse deberet, ex quo concludi posse sperabant, ista omnia ex Ecclesia exterminanda esse, tu pag. 290. illorum obiectionem 23. figens, eos affirmantes facis, illud ex testamento vetere non esse recipiendum a christianis, cuius mentio nulla fiat in nouo. I. Vbi non animaduertis rei, de qua agitur, circumstantias, quæ in caussa sunt, vt non possit, nec porrò debeat ex ipsorum argumentatione vniuersalis ista propositio cõcinnari. Idcirco enim, cum prædictarum rerum in testamento nouo nulla fiat mentio, non sunt illa ab Ecclesia recipienda, quia in testamento nouo de iis, quæ

quiæ ad Ecclesiæ gubernationem pertinēt, verba fiunt, quia Christi ecclesia leges suas a legibus synagogæ Mosaicæ distinctas habet, quia denique multa in testamento nouo de Ecclesia dicuntur, quæ cum istis rebus non bene conuenire videntur. Hæc cum eo iuncta, quòd earum nulla mētio inibi fuerit facta, id efficiunt, quod istud per se efficere forsitan nō potuisset. Atque eorum omnium rationem in argumētatione sua concludenda Racouienses habuisse, confitebitur quisquis vel oscitanter ea perlegerit, quæ in eorum scripto proximè antecedunt.

2. Quamquam nō video, cur vniuersalis propositio illa, quam tu aduersariis falsò per errorem ascribis, si rectè intelligatur, tam topere sit reprehendenda. Multa enim sunt, quæ in nouo testamento continentur quidem, sed non explicatè, & disertè. verùm vel sub inuolucro quorumdam verborum quodammodo latent, vel ex sententia aliorum manifesta necessariò proficiscuntur, vel ex totius doctrinæ ratione apertè colliguntur. Quidquid igitur neque explicatè, & disertè, nec vllo præterea ex prædictis modis in nouo testamento continetur, quamuis id in testamento vetere scriptum sit, non tamen a christiana ecclesia omnino est recipiendum, id est nihil cogit, vt ea, si nolit, illud recipiat. Si ad hunc modum propositionem istam interpretemur, non crediderim, eam ab homine verè christiano falsitatis condemnari posse. Meminisse autem debemus eius, quod a me supra nō vno in loco disputatum fuit, leges morales veteris testamenti, sub nouo testamento nulla ex parte cessasse. adeò vt ea omnia quæ in vetere testamento de moribus præcepta sunt, ea quoque in nouo præcepta fuerint, quamuis aliquantò plura, & perfectiora sint noui testamenti mandata, quàm veteris. Quocirca, cum aliquid in vetere testamento præceptum inuenitur, quod ad mores propriè pertineat, etiamsi illud in nouo testamento expressum non fuerit, tamen seruari debet ab homine christiano, qui eam rationem vniuersæ testamenti noui doctrinæ esse nouit, vt plus etiam, quàm in vetere testamento mandatum fuisset, præstari in moribus velit. Hinc apparet, quomodo, & quatenus non inutile nobis futurum sit vetus testamentum, etiamsi historiæ, & vaticinationes omnes, quæ nobis cognitu vtilissimæ sunt, inde expungerentur. quę

Palæologi error.

tamen omnino, quamuis moralia planè inutilia forent, conser-
uandæ essent, & propter illas ipsum vetus testamentum, quod
vbique ferè alterutras cum præceptis, aut monitionibus ad mo-
res pertinentibus admistas habet. Itaque nullo prorsus pacto re-
ctè concludis, cum pag. 291. ais, si, quidquid non est in nouo testa-
mento, etiamsi in vetere sit, tollendum est, tolli debere ipsum te-
stamentum vetus totum. Ista enim propositio, quocumque ran-
dem sensu, qui planè ineptus ac ridiculus non sit, enunciata fue-
rit, ad ea tantùm referenda est, quæ ad præcepta pertinent, qui-
bus sublatis, adhuc vaticinationes, & historiæ remanent, quæ
totum ferme volumen occupant. Exemplum porrò, quod de-
inde affers de legibus non cõtrahendi matrimonii in quibusdam
gradibus cognationis, aut affinitatis, meæ & sententiæ, & pro-
positionis illius interpretationi nihil obest. Ad mores enim ea
leges pertinent, & ad honestatem, quam, vt dictum fuit, multò
maiorem sub nouo, quàm sub vetere testamento esse decet. & id-
circo, quamuis eædem leges in noui testamenti scriptis expressæ
non sint, tamen pro expressis habentur. Nam, si turpitudinis ila-
lius, quam ipsa humana ratio in quibusdam cognatis, aut affini-
bus mulieribus sibi matrimonio iungendis esse animaduertit, in
testamento vetere habita ratio fuit, & propterea interdictę in co
coniunctiones istę fuerunt, multò magis eiusdem turpitudinis in
nouo testamento est habenda ratio, & idcirco coniunctiones il-
læ non tolerandæ.

XXIV. Commodissimam aduersarios tuos reprehendendi occasio-
nem tibi nactus esse videris, quia dixerint, Christum præcepisse,
vt sui de mundo exirent. Itaque pag. 320. ais, nusquam legi dictum
fuisse Christianis, vt de mundo fugerent. *Hoc enim* (inquis) *est scip-
sum occidere & uita præsenti priuare. Et statim adiungis, Quis igitur est
iste uæsanus, qui quod nusquam extat citat, & quod aliter dicitur à Paulo alle-
gat pro Christi dicto.* 1. Verùm quàm futilis est ista tua reprehen-
sio! Quis enim tam parum exercitatus est in lectione testamenti
noui, qui nesciat, húic voci Mundi plures notiones subiici apud
apostolos, & euangelistas? Duæ autem sunt præcipuæ. Vna est,
cum ipsos homines, eorumue conuictum significat, Altera, cum
homines impios, aut carnales, eorumue studia, aut cogitationes
designat.

designat. Priore notione dixit Paulus Corinthiis ea verba, *Atqui deberetis de mundo exire.* quem locum videris ad redarguendos aduersarios tuos tacitè attuliſſe. Atqui ipſi non hac notione, ſed posteriore vocem Mundi in ſuis verbis extulerunt, vt plus ſatis apertum eſt. Iam, ſi id quæris, vt locus proferatur, vbi diſertè ſcriptum extet, oportere nos de mundo exire, valde iniquum te præbes, præſertim cum aduerſarii tui non verba citent, ſed ſententiam vrgeant. Quod ipſe probè noſti, qui non verborum, ſed ſententię in ipſis reprehendendis rationem habuiſti, cum id, quod ipſi dixerant Exire de mundo, tu, vt refelleres, recitans, Fugere de mundo, dixeris. Quò grauior lapſus tuus videtur, cum non verba ipſa, ſed mentem aduerſariorum ſpectaueris, & tamen, quo ſenſu vocem Mundi vſurpauerint, non animaduerteris, quamuis tu ipſe eodem loco, eodem, quo ipſi, ſenſu eam vocem extuleris. Etenim paullo ante dixeras, omnibus Chriſtianis prȩceptum fuiſſe, vt putarent, ſe mortuos eſſe mundo. Ex quibus verbis tuis adeò præterea aduerſariorum dictum confirmatur, vt meritò tuum eſſe mundo, is (quantum in ſe eſt) de mundo exit. Nonne Paulus dicit, ſibi crucifixum, eſſe mundum, & ſe mundo? Quid hoc (quæſo) aliud eſt, quàm exire de mundo? Nam ſi, vt ipſe ais, is exit, ſeu fugit de mundo, qui ſeipſum occidit, & vita præſente priuat, Mundi ſcilicet voce in priorem illum ſenſum accepta, vt Mundus homines ipſos, eorumue conuictum ſignificet, cur non dicetur is de mundo exiſſe, qui hominibus impiis, atque carnalibus, vel potiùs eorum ſtudiis, atq; cogitationibus mortuus ſit, Mundi voce posteriore ſenſu illo vſurpata? Nonne idem Paulus ait, Ieſum Chriſtum dediſſe ſe pro peccatis noſtris, vt nos eriperet ex præſente ſæculo nequam? Eripi ex ſæculo, & Exire de mundo nonne idem ſunt? An non aduerſarii tui hęc eadem prorſus intellexerunt, qui ad ſeipſos explicandos ad hũc modum pag. 80. ſunt locuti? *nec ſe configurare huic ſæculo, ſed exire de mundo, illique crucifigi, ne cum eo pereant, præcepit.* I nunc, & væſanum nomina ſcriptorem iſtum, quia ſcilicet peruersè Pauli mentem interpretatus fuerit.

1. Cor. 5. 10.

Palæologi lapſus.

Palæologus ſeipſum refutat.

Gal. 6. 14.

Gal. 1. 4.

2. Nam quod illi opponere videris, non Chriſtum, ſed apoſtolos,

los, maximè Paulum, ista præcepta dedisse, adeò est friuolum, vt superuacaneum sit illud refellere. quasi verò Christus per os apostolorum suorum locutus non fuerit, vel ipsi, cum ciusmodi præcepta dederunt, ex suo ipsorum sensu, propriaq; auctoritate lint locuti. Quid, quòd Christus ipse testatus est, se apostolos suos, qui exemplar quodãmodo in plerisq; omnibus cæterorum Christi discipulorum sunt, de mundo selegisse? quod tu ipse alibi ita interpretaris, vt quæ hic dicis, refellere existimari debeas. Sicenim ais pag. 308, De *mundo suos Apostolos dicit Christus & Paulus nos sectos fuisse, quoniam ab omnibus mundi & carnis fructibus subtracti, subditi sumus Deo ut fructibus spiritus incumbamus.* Vbi sanè, & nos a mundo segregatos esse debere, ideoque de mundo exire, & Christũ ipsum id curasse, cõtra quàm hic scribas, & sentias, non obscurè affirmas.

Ioh. 15. 19.

Palæologus sibi contrarius.

XXV. Cum tu inter alia, quę in priore scripto tuo attuleras ad probandum, hominem christianum non modò posse, sed etiam interdum debere arma contra hostes capere, non semel repetisses, debere nos, nisi virtutis desertores esse velimus, tutari nos, nostraque, quorum curam nobis Deus commendasset, huicque pag. 25. sententiam illam (Pauli, vt videtur) detorsisses, quòd qui suorum curam non habent, infidelibus sunt deteriores, de quibus alibi accuratiùs agemus, Cum, inquam, hæc scripsisses, vnde colligitur, te proditionis, & astorgiæ eos insimulare, qui nullo modo bella carnalibus armis gerere volunt, aduersarii tui sub finem suę responsionis, sermone ad Christum conuerso, multa dicunt, quę his paucis summatim comprehendi possunt, In te Christe hæc probra iaciuntur. Nam si isti verè argumentantur, tu maximè proditor, & astorgus fuisti, qui odio habere parentes, cosque deserere, abnegare vxorem, & liberos propter nomẽ tuum iussisti, quin & nos ipsos abnegare, odioq; habere, atq; ad extremũ mortem & animam perdere, vt tibi viuamus, voluisti. Hæc autem dicentes, vt patet, ostendere voluerunt, non quidem Christum astorgiam aliquam præcepisse, sed maximam præceptorum fuisse, si vera esset argumẽtatio tua. 1. Attamen tu per manifestã calumniam ipsis obiicis, quòd Christum astorgiam docere dicant, atq; adeò ipsorum dictis contra ipsos vteris, qui tant opere hostium dilectionem ex Christi disciplina vrgeãt, Eos autem ad hunc modum

1. Tim. 5. 8.

Palæologi calumnia.

dum loquentes inducis, obiectione 33, pag. 328, *Atqui Astorgian conatur, & commendat hominibus Christianis Christus, cum dicit patrem, matrem*, &c. & in responsione multùm laboras, vt probes, Christum suos dilexisse, quasi id negent aduersarii. Deinde addis, Christum quidem velle, vt, cum amor erga nos, nostraque non potest cum eo amore conuenire, quo Deus vult, se, sua, & suos amari, auersemur amorem nostri, & Dei amorem sequamur. non tamen hoc esse astorgiam introducere, sed veram storgen statuere, Deumque, vt decet, præ cæteris omnibus amandum proponere. Itaque imprudens contra teipsum argumentaris. Nam hoc illud est, quod aduersarii tui intellexerunt, propterea scilicet non esse (vt tibi videbantur) astorgos, & proditores illos, qui, vt se, suaque defendant, arma non capiunt, nec hostes interficiunt, quia multò præstantiore amore, ac fidelitate, quàm ea sit, quam sibi, suisque debent, adducti id faciunt, nempe eâ, quæ ipsi Deo debetur, qui per os Christi suis inimicis bene faciendum esse monuit, eosque amandos, nobisque id mandatum esse voluit. nec vmquam posse a, vt pro nobis, nostrisque defendendis arma caperemus, hosque interficeremus (quod cum mãdato isto omnino pugnat) vel iusserit, vel vlla ratione permisit. Quemadmodum nec astorgi, nec proditores sunt illi, qui omnia sua, seque ipsos spernunt, & odio habent, vt Christo seruiant, eiusque euangelio obediant. Quamquam hoc ipsum, amare inimicos suos, eisque bene facere præcipua pars est ejus seruitii, quod Christo debemus, & Euangelii obedientiæ, estque discipulorum Christi maximè propria & peculiaris quædam nota.

Palæologus aduersus seipsum argumentatur.

2. Quænam est igitur altera hìc mirabilis calumnia tua, cum ais, Racouienses antichristianismi, & gentilismi mandatum esse dicere, minùs cætera omnia amare, quàm Deum ipsum! In quo illud perpendẽdum est, quòd, ne planè calumniari videreris, dum ea recenses, quorum amor minoris faciendus sit, quàm amor ipsius Dei, versutè simul, atque ridiculè inimicos inter ipsa numeras, quos scilicet Racouienses plus, quàm Deum ipsum, amari a nobis vellẽt. quasi verò inimici ex numero earum rerum sint, quę adeò nobis sunt caræ, vt periculum esse videatur, ne quando præ illis Deum contemnamus, quemadmodum sæpe præ liberis, vxore, pa-

Palæologi calumnia.

Palæologi uersutia ridicula.

re, parentibus, amicis, & aliis eiusmodi rebus contemnimus.

XXVI. Sed iam eò ventum est, vt ex iis reprehensionibus, quas nobis diluendas esse putauimus, vna tantummodo reliqua sit, quæ magistratus officio est quæstio vestra, sed de priuatorum. nec sane opus fuerat aliam disputationem de magistratu instituere præter hanc, Vtrùm tanta sit magistratus auctoritas, vt eo iubente, aut concedente, possit quisque Christi discipulus iure bellum gerere, & hostes bellando interficere, aut vim vi repellere, & suarum iniuriarum pœnas ab inimicis expetere, eosque vlcisci, etiamsi alioquin hæc omnia homini christiano interdicta fuerint. Nam, si qua sunt ex istis, quæ velimus etiam sine magistratus auctoritate fieri a quolibet priuato christiano homine iurè posse, quid (quæso) attinet de magistratu quærere? Quamobrem id tantùm agam. Primùm vt ostendam, non id sentire Racouienses, quod tua reprehensio indicat, & idcirco ea in parte reprehensionem tuam minùs veram esse demonstrem. Deinde vt grauissimam quamdam criminationem, quam cum ipsa reprehensione coniungis, accuratè diluam.

Dico igitur, non eam esse Racouiensium mentem, vt hominem christianum a ciuili magistratu gerendo penitus excludere velint. Quod tamen te existimasse, complures tuæ responsionis loci, iudicio meo, perspicuè docent. Quamquàm, vtcumque eorum verba interpretatus fueris, non erat hæc res silentio prætereunda, sed, quid Racouienses in suo scripto de ciuili magistratu scripserint, diligenter perpendēdum, vt si qua fortasse sinistra, id est

id est non vera opinio de ipsorum sententia in re tanti momenti in legentium animis hæreat, ea stirpitus, si fieri possit, inde euellatur. Itaque affirmo, a Racouiensibus non negari christiano homini ciuilem magistratum gerere licere, eumque summum etiam regem, & monarcham esse posse. Sed hæc duo negant ipsi. Vnum est, Ecclesiæ christianæ regem alium esse posse præter ipsum Iesum Christum, Alterum, eum, qui christianus esse velit, humanum sanguinem fundere posse, siue priuatus sit, siue etiam magistratum gerat. Posterius hoc an verè ab ipsis dictum fuerit, nec ne, non est meum iudicare. nec sanè est, quòd de veritate huius quæstionis hoc loco solliciti simus, cum, vt dictum fuit, ea ad disputationem ab initio inter vos institutam non ita pertineat, vt sine eius cognitione tota de re decîdi, & optimè diiudicari non possit. Prius autem illud, vt verisimum est, sic etiam ad disputationem vestram maximè pertinet, vt statim planum faciemus.

1. Dicet enim aliquis, Quid attinebat, Racouienses in suo scripto vrgere, neminem præter Christum ipsum christianæ ecclesiæ regem esse posse? Nam quis est, qui aliter sentiat? aut quid tandem hoc, vt intelligamus, homini priuato, qui christianus esse velit, nec bellum gerere licere, nec suas iniurias vlcisci, etiamsi auctoritate magistratus id facere possit? Nullus quidem est, qui neget, neminem præter Christum ipsum christianæ ecclesiæ tamquam ecclesiæ (sic enim intelligimus) regem esse posse, sed tamen tãtò maiorem id vrgẽdi causſam habent Racouiẽses. Quandoquidem ex eo id probare volunt, quod maximè contendunt. Nam, si ecclesiæ christianç nullus terrenus rex datur, sed tantummodo cælestis Christus, primùm id necessariò sequitur, ecclesiam christianam, in terris licèt degẽtem, terrenum tamen regnum non habere, & proinde christianorum possessionem, & bona non terrena, sed cælestia esse. Ex quo consequitur, hominem christianum pro istis terrenis omnibus conseruandis nihil laborare debere, & indignum planè esse, vt pro ipsis defendendis, inter quæ propria ipsius vita numeranda est, vlli mortalium damnum aliquod, aut perniciem afferre curet. præsertim cum hæc alioquin homini christiano penitus fuerint interdicta. Deinde, si christiana ecclesia, quatenus ecclesia Christi est, neminem, nisi

Christum, pro rege agnoscit, satis intelligi potest, nullam esse tantam in terris potestatem, quæ homini christiano id concedere possit, quod Christus ipse negauit, vel cuius auctoritate id christianus homo facere possit, quod alioquin facere prohibetur. Quocirca, cum Christus homini christiano priuato vindictam interdixerit, non potest magistratus vllus eidem mandare, aut permittere, vt se vlciscatur. nec, si is alioquin vlcisci suas iurias non potest, sua auctoritate efficere, vt possit. Hinc verba illa Racouiensium in extrema pag. 69. *Hoc iussu Christi faciendum, illud iussu Magistratus: hoc in gratiam Christi, illud in gratiam Magistratus. Quis sanus mente, non dico fide, talia portenta uera esse credet?* Et illico ea verba adiungunt alibi a nobis recitata, *O hominum cæcitatem, quæ cum sua quærit, ea quæ sunt Christi, & sua in eo bona non uidet, cum pro carne & terræ pugillo certat,* &c. quę verba, vt antecedentia ad posteriorem effectum, sic ipsa ad priorem respiciunt, quos ex eo, quòd christiana ecclesia nullum regem præter Christum agnoscat, manare diximus. Propterea igitur pag. 71. ea verba Racouiensium leguntur, *In Ecclesia enim Christi, ut solus Christus est Rex, qui nullo unquam gladio pugnauit, uel contra hostes dimicauit: Ita nec suis illum tradidit, sola excommunicatione relicta,* &c. & paullo post, *Quod si ergo nunc aliquis uel Regem (quales erant typici ante Christum) uel sacerdotem introducere uelit in Ecclesiam Christi (de politijs enim nihil loquimur) is proculdubio Christum regno, sacerdotioque spoliat, cum hæc non amplius in unum aliquē transeant,* &c. Quis tam stupidus esse potest, vt ex his Racouiensium verbis non intelligat, ipsos negare, non quidem hominem christianum magistratum, aut regem esse posse, sed ipsius Christi ecclesiæ regem. Christiue in eo regno successorem vllum dari? Iam verò, quod alibi aut dicunt, aut dicere videntur, christianum hominem magistratum esse non posse, id ita intelligendum est, vt homini christiano non liceat talem esse magistratum, quales sunt plerique gentilii, id est qui ea faciat, quæ cæteri faciunt, eaque sibi licere existimet, quæ cæteris licita esse creduntur, atque id præcipuè, ne putet, se humanum sanguinem fundere posse. Hoc ipsos sensisse, docent apertè hæc illorum verba pag. 74. *Parere Magistratui Christiani iubentur & timere Magistratum, non autem gerere aut eius officio fungi, ut abdicat aliquos morti uel decollet fontes.* Vides qua ratione hîc Racouien-

ses

ses negent, aut potiùs negare videantur, christianum hominem magistratum gerere posse. nempe quia nolunt, ei licere quem- quam morti addicere, & fontes decollare. Nec verò aliter senti- re debemus, quia pag. 76. ea ipsorum verba legantur, *Verum christi- ano uiro, qui ouis esse debet, mundum, ursos, lupos, sues regere ut non licet, ita etiam si maximè uelit, non potest.* quasi hic manifestum sit, eos affirma- re, nullo modo christiano homini licere alios homines regere, & sic magistratum esse. Namque diligenter animaduertendum est, eos verbum Licet hoc loco (si modò sic ipsi scripserunt) nouo quodam sensu vsurpasse, vt scilicet idem significet, ac si dixissent Non videtur consentaneum, sic enim allegoria etiam, qua vtun- tur, postulare omnino videtur, non autem vt id significet, quod significare solet, id est Non iure conceditur. Planum autem hoc fit ex eo, quòd nulli dubium esse potest, alio sensu hîc ab ipsis di- ctum fuisse, non licere christiano uiro mundum regere, alio ve- rò, eum non posse. Atqui, christianum hominem non posse mun dum regere, apud ipsos nihil est aliud, quàm, iurè id fieri ab ipso non posse. Igitur, nõ licere eidem mundum regere, aliud sine du- bio significat, quàm eum non posse iurè mundũ regere. Nam, non posse christianum hominem mundum regere, idem Racouiensi- bus significare, quod iurè id ab ipso fieri non posse, ex rationibus constat, quibus illud confirmare student, ostendentes, si id face- re velit, ad ea illi esse deueniendum, quæ Christus nobis interdi- xit. quasi dicant. Posset quidem homo christianus mundum re- gere, si in eo regimine Christi præcepta negligere vellet. sed quoniam nullo iure homini christiano Christi præcepta negligi- re conceditur, propterea minimè potest homo christianus iurè mundum regere. Itaque, dum aiunt, vt viro christiano mundum regere non licet, sic, etiamsi maximè velit, eum non posse, nihil aliud dicere volunt, nisi, quemadmodum minimè consentaneum videtur, vt vir christianus, qui ouis est, mundum, id est lupos, & alias bestias impuras atque immanes regat, sic etiam ipsâ experi- entiâ compertum iri, id sine Christi præceptorum contemptio- ne præstari non posse. Non tamen negant Racouienses, si quis Christianus inuentus fuerit, qui citra violationem mandatorum Christi id præstare queat, quin iste iurè mundum regere possit.

Nec enim ipsum regimen per se vllo modo vituperant, sed propter mundi malitiam, non autem propter ipsius regiminis naturam non vident, quomodo, eo retinendo, possit quis simul veri Christi discipuli officium retinere. nec porrò quamuis dissentaneum videatur, vt ouis lupos regat, illisue præsit, idcirco hominem christianum perditos ipsos atq; profligatissimos homines regere, iisque præesse iurè posse, aut negant, aut in dubium reuocant, si cæteroquin omnia sint consentanea, & Christi præceptis nulla vis fiat. Hæc est omnino Racouiensium mens hoc loco, quo tamen iudicio meo nullus est in toto eorum scripto magis aptus ad persuadendum, ipsos sensisse, non licere homini christiano ciuilem magistratum gerere inter non christianos. Id enim disertè dicere videntur, quia (vt dictum est) in verbo Licere vsurpando, noua quadam ipsi licentia sunt vsi. Qui locus si non esset, ego sanè facilè credidissem, eos in vniuerso eo sermone, quem de magistratu habuerũt, nihil aliud sensisse, quàm id, quod in ipso initio dixerunt, & quasi totius disputationis summam quamdam proposuerũt, neminem videlicet, vt sæpius diximus, Christi ecclesiæ, tamquam ecclesiæ, regem esse posse, præter verum ipsum Christum. Ex quo tamen loco id de Racouiensium mente colligi posse videtur, nihil esse, quod prohibeat, verum Christianum populi aut christiani, aut non mali & peruersi regem, ac magistratum esse, non quidem, si christianus populus sit, tamquam christiani, sed simpliciter tamquam populi.

Palæologi calumnia.

2. Hinc autem perspici potest, quãta sit illa calumnia, qua huius de magistratu disputationis occasione aduersarios premis, dum ad finem pag. 284. ita scribis, *videmini in hoc tendere, ut sublato magistratu gladii ex orbe Christiano, cogantur Christiani homines, qui causas habent, ad uos solos recurrere.* & pag. 311. *Cur igitur uos inuidere uidemini aliis alterum illud ministerium gladij, quod Deus uoluit esse dignius uestro?* Et deniq; pag. 320. *Sed isti homines modo suo cerebello satisfaciant, & curent destrui magistratum gladij, ut ad ipsos cognoscendæ omnes Christianorum lites deuoluantur, parum curant quid & unde & quomodo dicatur.* Itane cõfidenter innocentes homines in iniustissimam inuidiam, tamquam si iustissima esset, vocare tentas? Nam quomodo cuiquam videri de ipsis id, quod dicis, potest, cum, vt demonstratum fuit, nec ipsi christianum

num hominem ciuilem magistratum gerere, nec christiano populo præesse posse negēt? Sed fac negare. Nonne eadem ratione negāt, se, qui christianos se esse, aut certè esse velle profitētur, magistratum ciuilem gerere posse? Quomodo igitur huc videntur tendere, vt ad ipsos solos in ciuilibus caussis a christianis hominibus decurratur? Et, si hoc non est magistratum ciuilem gerere, quomodo aliis negare possunt id, quod sibi permittunt? Quòd si aliis non negant de caussis ciuilibus cognoscere, quomodo spernare possunt, vt ad ipsos solos earum cognitio deuoluatur? Quid porrò dicemus, cum ais, videri ipsos aliis inuidere gladii ministerium, quod Deus voluit esse dignius ipsorum ministerio, quod verbi est? Nam quid aliud hoc sibi vult, quàm eos videri cupere, vt ipsi gladii ministerium habeant, quod alios non sine animi sui molestia habere vident, aut certè non posse pati, vt alii gladii ministerium habeant, & ita se honoratiores sint? Verùm quomodo hoc videri potest, si & gladii ministerium, quatenus a verbi ministerio distinguitur, illos alios habere posse non negant, nec se magis, quàm alios, illud habere posse affirmant? immo, quatenus illud aliis adimunt, multò magis sibi ipsis adimunt, quatenus verò concedunt, sibi ipsis minime concedunt? Certum est enim, vt dixi, eos nulla ratione concedere, vt quis Ecclesiæ dominetur præter vnum Christum, & propterea negare, in Ecclesia, tamquam Ecclesia, vllos esse gubernatores, aut magistratus, sed apostolos tantùm, prophetas, doctores, & pastores. vt legitur pag. 73. Vnde satis constare potest, ipsos nihil dubitare, quin ecclesiastica ministeria a ministeriis ciuilibus sint separata adeò, vt qui ecclesiasticum ministerium habeat, ciuile habere nequeat. Ex quo consequitur, cum ipsi verbi ministerium habeant, quod procul dubio ecclesiasticum ministerium est, eos sibi ipsi ipsis nulla ratione concedere, vt ciuile ministerium habere possint. Quocirca non est, quòd sperent, ex ipsorum doctrina de magistratu ciuili, etiamsi recepta esset, ad se gladii potestatem deuolutum iri, nisi priùs verbi ministerium deponant. quod non dubito, si ii sunt, quos se esse profitentur, & me credere charitas iubet, quin multò pluris faciant, quàm totius terrarum orbis imperium.

Hæc sunt, quæ a te in Racouiensium scripto minùs rectè reprehensa

prehensa fuisse, docere volui. Alia multa iniuriâ a te in illis reprehenduntur, sed quia vel leuiora sunt, vel de iis fortasse commodiùs infra agetur, idcirco prætermittenda hoc loco esse duxi, & ad tertiam responsionis nostræ partem transeundum.

RESPONSIONIS AD IACOBVM PALÆOLOGVM PRO RACOVIENSIBVS PARS TERTIA.

IN tua, Palæologe, ad Racouiensium scriptum responsione nec semel, nec leuiter conquestus es, quòd ipsi in eo scripto ad rationes, & argumēta scripturæ auctoritate innixa, quibus sententiam tuam de bello a christiano homine gerendo confirmaueras, nihil ferè respondissent, quamuis illud aduersus sententiam tuam scripto similiter expositam ex professo conscripsissent. Quamobrem, tametsi hęc tua querela, quemadmodum in superiore parte attigimus iniusta videri possit, tamen, ne conquerendi amplius vllam caussam habeas, aut certè ne mihi id vllo pacto obiicere vmquam possis, quod illis obiecisti, vt ab ipso initio pollicitus sum, hac tertia meæ responsionis parte, si non omnia, potiora saltem, quæ tu ad sententiam illam tuam confirmandam attulisti, refutare constitui. Enitar certè, & spero, Deo adiutore, non inanem operam, & laborem nostrum esse futurum. Nec solùm ista refutare conabor, sed ea etiam quæ ad alterum caput disputationis vestræ, de quo in posterioribus scriptis explicatiùs disputatum est, nominatim pertinent, id est ad confirmandum, licere homini christiano per magistratum suas iniurias vlcisci, & primùm de priore capite, deinde de posteriore agemus. Et quia ad nonnulla iam ex tuis argumentis, atque rationibus ad vtrumque caput spectantibus in superioribus disputationibus responsi est, hic ad ea respondere non erit necesse, præsertim verò ad illa omnia, quæ ex veteris testamenti testimoniis aut tacitè, aut aperte

te ducta fuere. nam & iam satis ostensum est, Christum præcepta dedisse a Mosis præceptis diuersa, & hac eadem de re in proxima, id est postrema huius operis parte nonnihil dicemus, dum, te in discrimine Legis, & Euangelii a scopo multum aberrare, plaquibus probari credis, in iis ipsis nominatim, de quibus controuersamur, nullum inter Mosem, & Christum discrimen esse, & Christum, vel quod ad bellum gerendum, vel quod ad forensia iudicia attinet, eorum, quæ Moses antea statuerat, siue sub Lege iussa, permissaue erant, nihil mutasse, rationes interea, quibus generatim Christi præcepta a Mosis præceptis non differre, nec aliquid diuersum a Mose Christum mandasse, demonstrare tentas, tamquam eas, de quibus vel satis iam disputatum fuerit, vel postea disputandum sit, minimè attingentes.

1. Prima ratio, quæ sese nobis diluendam offert, qua probari fortasse credis, non posse tãtùm, sed etiam debere hominem christianum bellum iniustè illatum sustinere, ea est, quam ex iis, quæ antea disputaueras, colligis, & tamquam prçludii cuiusdam conclusionem, ante propositam quæstionem explicas pag. 5. Ais enim, cum in bello iniustè illato sustinendo agatur de tutandis & suis propriis, & patriæ bonis, virtutis, & iustitiæ publicæ desertorem esse illum, qui id facere negligat.

CAPVT I.

Hæc ratio nullius est ponderis. Virtus enim ista, iustitiaque publica christianæ virtuti, diuinæque iustitiæ posthabenda est. At christiana virtus, vt supra dictum fuit, est, se, suaque omnia non tanti facere, vt pro iis conseruandis cuiquam damnum aliquod, aut pernicies afferatur, vt euenire necesse est in gerẽdo cum hoste bello pro iis tutandis, quæ is inuadere tentat. & breuiter christiana virtus est, iniuriam patienter ferre potiùs, quàm sese vlla ratione vlcisci. Sed mundus, & cum eo hac in parte Pælogus hanc pro virtute vera nondum agnoscit. immo eam non contemnit modò, atque deridet, sed etiam, tamquam insigne vitium, damnat, atque reprehendit. Orandus est Deus, vt & tibi, & illis mentem illustret, & a terrena prudentia ad sapientiam cælestem vos aliquando traducat, nouosque homines faciat. Iam verò diuina iustitia omnino postulat, vt, quando Deus nobis cælestium

lestium æternorumque bonorum spem fecit, hæc terrena atque caduca pro nihilo habeamus, præsertim ipsius caussa. Qua de re maximè tunc agitur, cum de obedientia agitur, quæ illi præstari debeat, nec vlla re magis eius gloria a nobis amplificatur, quàm eius præceptorum conseruatione. potissimùm verò, si, vt illa conseruemus, eique obediamus, non tantùm alia nostra omnia, sed ipsam quoque vitam nostram nihili æstimemus. Præcipit autem Deus, quemadmodum sæpius dictum est, vt inimicis nostris bene faciamus. tantum abest, vt eos aut cædere, aut interficere, vt in bello sustinendo fit, nobis permissum esse voluerit. nedum id ab ipso mandatum fuerit, vt scilicet nos nostraque tutemur, quorum curam in se vniuersam reiici voluit, & hac in re principis dei, atque obedientiæ nostræ erga se publica & manifesta indicia extare.

1. Pet. 5. 7.

11. Sequitur ratio quædam ex Iohannis Baptistæ verbis desumpta, qui interrogatus a militibus, quid ipsi facere deberēt, respondit, *Ne quem concutiatis, ne quem calumniemini, & contenti estote stipendijs uestris.* Ex hoc enim responso apparere ais, Iohannem illud genus militiæ approbasse, in quo ad defensionem imperij alieni, & ad repellendum, atq; inuadendum hostem, & cædendum, aut occidendum arma, mercede accepta, gestarentur. Quod certè non fecisset, si hæc facere non licuisset. *cum* (inquis) *sanctus esset iste & Spiritu sancto plenus, adhuc ex utero matris suæ, & quo maior nullus erat inter natos mulierum, nisi unus Rex Israel Iesus Christus.* Hæc a te scripta leguntur pag. 13.

Luc. 3. 14.

Perfacilè dissoluitur tota ista argumentatio tua, si consideretur, etiamsi euangelica disciplina multa non permittat, quæ legalis disciplina permittebat, tamen Iohannis Baptistæ officium non fuisse aliquid mutare eorum, quę sub Lege erāt, quippe cum hoc munus ipsius Iesu Christi proprium esset, qui primus omnium cælestem quamdam doctrinam multò, quàm ea, quæ ante ipsum in Dei populo fuerat, perfectiorem mundo traditurus esset, quam ante ipsius prædicationem ipsi etiam Iohanni prorsus incognitam fuisse, credendum est, tantum abest, vt eam ipse publicare debuerit. Erat quidem magnus Iohannes, & spiritu sancto plenus, & quo maior propheta nondum extiterat, Sed adhuc tamen

men sub Lege erat, terrena loquebatur, nec per se, id est sine Christo cælestis regni erat particeps, adeò vt minimus eius regni ipso maior esset. Breuiter, etiamsi Iohannes ipse per se diuinæ voluntatis sub Euangelio scientissimus fuisset, tamen non ipsius, sed Christi erat hominum mentes noua atque admirabili Euangelii doctrina illuminare. Nam, vt ait Euangelista, *Non erat ille lux*, &c. Cum igitur milites interrogassent Iohannem, quid facere deberent, satis habuit is, qui viam tantummodo paraturus Domino venerat, monere eos, vt ex Legis præscripto viuerent, præsertim cum de æternæ salutis via nihil interrogassent, sed tantùm dixissent, *Et nos quid faciemus?* etiamsi tu scripseris eos petiisse, vt viam salutis sibi aperiret. Qua in re mirabili techna vsus esse videris, & Viam salutis dixisse, vt imprudens lector æternam salutem intelligeret, quemadmodum vsus loquendi sub Euangelio postulat, & interim tamen tu falsitatis conuinci non posses. sed, si quis tibi obiiceret, nullam salutis mentionem fieri apud euangelistam, retulisse, Ex præcedentibus autem manifestum esse, interrogationem istam ad minas Iohannis respicere, qui venturam iram omnibus, nisi resipiscerent, minabatur, & omnem arborem non ferentem fructum cædendam, & in ignem mittendam esse dicebat, Quocirca, cum milites, postquam alii interrogassent, *Quid ergo faciemus?* interrogant ipsi, *Et nos quid faciemus?* certum esse posse, eos vnà cum aliis interrogasse, quid sibi faciendum esset, vt ab ira illa, & clade futura seruarentur. teque de huius salutis via locutum fuisse. Concedatur istud tibi. Sed interim fallacia, quæ in verbis tuis subest, animaduertatur, & firmum, ratumque sit, milites istos nequaquam de via æternæ salutis interrogasse. Nam nec sanè de vita æterna, deque tam amplo Deo obediẽtibus præmio proposito quidquam apertè locutus est Iohãnes. Quare nec etiam ea præcepta attigit, quæ ad vitam æternam cõtendentium propria sunt. Nihil autem dico, quòd, cum euangelista milites seorsim a reliquo populo interrogantes inducat, & illos publicanis quodammodo pares faciat, qui & ipsi seorsim interrogant, satis intelligi potest, genus vitæ militare non minùs periculosum, nec magis Deo probatum fuisse, quàm publicanorum.

Ioh. 3. 31. *Matth. 11. 11.* *Ioh. 1. 8.* *Luc. 3. 1.* *Palæol. techna.*

qui vix ſine Dei offenſione ſuum vitæ genus retinere vllo modo poterant. Quamquam, ſi milites id facerent, quod militibus illis prçcepit Iohãnes, nullum periculum eſſet, ne militia eos ad Chriſti mandata violanda adigeret. Quamuis enim (vt tu quoque obſeruaſti) cum Iohannes illis prçcipit, ne aliquem concutiant, non de hoſtibus, ſed de aliis, qui hoſtes non erant, loqui cenſendus ſit, videntur tamen ea verba ita vniuersè concepta fuiſſe, vt poſtea ſuo tempore, quemadmodum prophetarum verba ſolent, non aliter, ac ſonant, accipi poſſent, & idcirco, ne hoſtes quidem ipſos concutiendos eſſe, & porrò militiam ipſam planè abiici debere, intelligeretur.

III. Sed eodem loco ſimul addis, & Iohãnem, & Chriſtũ (quamquam de Iohãne id apertè non explicas) tributum approbaſſe, quod Romanis pendebatur pro alendo milite intra Iudæam contra ipſam Iudæam, ne ſcilicet rebellaret. De Iohanne, vt dictum fuit, curandum non eſt. Quod ad Chriſtum attinet, fateor, me paullo hebetiorem eſſe, nec videre, quomodo Chriſtus, tributum approbando, id eſt illud (vt tibi quidem videtur) Romanis, ſeu Cæſari ſoluendo, &, vt ſolueretur, dignum eſſe affirmando, militiam in ſuis approbet, vel etiam permittat. Primùm enim haud veriſimile eſt, vniuerſum Iudeæ tributum approbaſſe, alendo in ea prouincia militi ſeruiſſe. Quinimmo credíderim, eo tempore haud ſanè magnam eius partem in eum vſum cõuerſam fuiſſe. Deinde, etiamſi militum ſtipendia totum tributum abſumpſiſſent, tamen, poſtquam tributum exactum erat, pecunia Cæſaris fiebat, &, cum militibus ſtipendia ſoluebantur, quamuis eadem ipſa pecunia ſoluerentur, quam populus publicanis dediſſet, tamen perinde erat, ac ſi ex ipſius Cæſaris theſauro pecunia fuiſſet deprompta. idque affirmo verum futurum fuiſſe, etiamſi tributum iſtud vniuerſum nominatim ad militem alẽdum fuiſſet imperatum, niſi velimus, nihil prorſus pecuniarum, præter Iudeæ tributi pecuniam, Cæſarem habuiſſe, vnde eius prouinciæ militibus ſtipendia ſolueret, eamque pecuniam nullo modo in alios vſus, præterquam alendi milites, potuiſſe conuerti. Sed facpoſtremò, ita eſſe, vt modo dixi, nõ ſolùm tributum iſtud vniuerſum nominatim propter alendos milites imperatum fuiſſe, ſed etiam

etiam sine eo tributo militem in ea prouincia a Cæsare ali non potuisse, num propterea militiam approbat is, qui eiusmodi tributum soluit, aut soluendum esse dicit? Regibus, ac principibus soluitributa imperata debent, quamcumque tandem ob caussam illa imperent. Sicut enim ipsis parêre debemus in iis omnibus, quæ Dei mandatis non aduersantur, siue ipsi boni sint, siue mali, ita iisdem tributa pendere omnino debemus, cum tributum pendere per se nulla ratione diuinis præceptis repugnet, siue bene, siue malè ipsi eo tributo vtantur. Debitum est enim omnino tributum principi, vt Paulus docet, & est tamquam æs alienum nostrum cum ipso principe. Quare ea pecunia, quam ad tributum pendendum exponimus, etiam antequam tributum pendamus, nostra censenda non est, sed ipsius principis. Bona enim nostra intelliguntur, deducto ære alieno. Præterea quæro abs te, quid facere, aut dicere Christus debuisset aliter, quàm dixit, aut fecit, si militiam minimè probasset. Numquid vel ipse tributum non pendere, vel, ne alii penderent, suadere debuisset? Atqui hoc nihil planè fuisset. nam vel nihilominus eam pecuniã princeps extorsisset, vel illi armata manu fuisset resistendum, & ita in illud ipsum incidendum, cuius vitandi caussa tributum negatum esset, immo in tantò maius malum, quantò grauius est committere delictum, quàm non impedire, ne committatur, & regi, ac principi suo damnum aliquod afferre, quàm hosti. Adde, quòd, cum dicimus, bellum gerere, seu militare homini christiano non licere, non de rege, aut principe, seu magistratu, sed de priuato loquimur. Quapropter, etiamsi Christus, dum vel ipse tributum (vt tibi placet) ad alendum militem soluit, vel, vt soluatur, aliis præcipit, videri posset consentire, vt is, cui tributum soluitur (magistratus scilicet) bellum gerere, & militiã instituere posset, nec tamen christianus non esse, aut esse desinere, tamen non idcirco priuato homini concederet, vt bellare, vel militare posset, & nihilominus christianus esse. Huc accedit, quòd non omnia, quæ christiano homini facere non licet, sunt per se ipsa mala, & reprehensione digna. Alioqui nullo pacto multa, vt fecit, per Mosem concessisset Deus, quæ per Christum interdixit, vt quidem nos sentimus, & supra satis ostendimus. Quocirca, quamuis apud

Rom. 13. 6. & 7

nos dubium non sit, quin priuatus homo, si bellum gerat, aut mi-
litet (nisi fortasse eiusmodi militia esset, quæ terrori tantummo
do incutiēdo inseruiret) a Christi regno excludendus sit, tamen,
si alioqui iustum sit bellum, iustaque militia, & ab omni scelere
aliena, non dicetur iste ex sententia nostra malum aliquod com-
mittere, aut reprehensione dignus esse, nisi quatenus interim se
pro Christi discipulo venditare vellet. & propterea nihil neces-
fuit, vt Christus, quacumque sibi oblata occasione, militiam, aut
bellum reprehenderet, vel minimè se approbare ostenderet. Sed
satis fuit, etiam prçcepta dedisse, quibus ista suis interdixisse me-
ritò dici posset, & nihil deinde aut dicere, aut facere, vnde colli-
geretur, milites, & bellatores ipsius discipulos, & regni cæleitis
participes esse posse, præsertim cum pro eo tempore, quo in ter-
ris versatus est, tametsi cæleſtem illam suam doctrinam mundo
exposuit, tamen non ita apertè eam explicauit, vt post suum in
cælum ascensum per apostolos suos fecit.

IV. Ex iis, quæ hactenus disputata sunt, responsio ad id colligi
potest, quod dicis, aut dicere vis, Cum Christo nulla vnquam
præterea occasio data fuerit loquendi de bello, aut de militia, aut
de iure armorum, &, prædictis occasionibus sibi oblatis, ita, vt
visum est, se gesserit, & potiùs ista omnia approbauerit, quàm re-
prehenderit, concludendum omnino esse, si de ipsis illi ex propo-
sito quæstio proposita fuisset, ipsum fuisse responsurum, ea cun-
ctis licere. Namque ex supra dictis patet, nec fuisse istas occasi-
ones aliquas de istis rebus loquendi, nec Christum aliquid isto-
rum suo facto, aut dicto comprobasse, præsertim ita, vt priuato
cuiquam ea licere indicauerit, multò autem minùs discipulis suis,
nec vllam causam fuisse, cur, etiamsi ista nulla ratione approban-
da censuisset, tamen vel ab iis faciendis, aut dicendis, quæ dixit, &
fecit, abstinere debuisset, vel ista reprehendere, aut vituperare.
Cæterùm, quid Iohannes, cum publicanis, & militibus ea dixe-
rit, quæ dixit, eadem sibi proposita quæstione, responsurus fuis-
set (nam de Iohanne quoque idem vrges) laborādum nobis non
esse, ex ante dictis intelligi potest. Quare, si quid præterea argu-
menti ex iis, quæ dixerit, aut non dixerit Iohannes, a te ductum
fuerit, non erit, quòd aliquid ampliùs respondeamus. At

V. At verò pergens, pag. 14. duorum exemplum affers, qui arma tractarent, quorum euangelica historia meminit, & eos laudat, nec tamen, vt arma deponerent, vllus Apostolorum eos monuisse legitur. 1. Vnũ exemplum est cẽturionis illius, cuius puerum Christus sanauit. *quem (ais) à fide in se summè commendat. sed quod gestaret arma, & pro Romanis militaret (occisurus si quis aut rebellaret, aut impressionem in Romana castra faceret) non uituperat.* Exemplum hoc vel ex eo nullius ponderis censeri debet, quòd centurio iste Ethnicus erat, necdum ad Ethnicos Euangelii prædicatio translata fuerat, nec vlli Ethnico Christus ipse vmquã viam salutis annunciauit. Quę igitur caussa erat, cur Christus eius militiam vituperaret? quasi verò tunc temporis Ethnici quoque regni cælestis capaces habentur, & periculum esset, ne populus, audiens istius in se fidem a Christo vehementer commendari, iam ipsum cælestis regni participem esse crederet, & propterea, illius exemplo, eius regni participes arma gestare, & militare iurè posse, sibi persuaderet. Itaq; etsi illum Christus a fide in se summè commendat, non tamen idcirco, in Dei regnum iam illum ingressum fuisse, affirmat, sed tantummodo, ea in re eum admiratus, Israelitarum incredulitatem tacitè notandi, ac vituperandi occasionem nactus est, & simul prædicendi, futurum, vt Gentes in cæleste regnum ascisicerentur, Israelitæ verò inde in imas tenebras eiicerentur. Nec verò, etiamsi ea centurionis fides in homine Israelita fuisset, is tamen vel non dignus, qui a Christo laudaretur, vel iam cælestis regni particeps fuisset. Quandoquidem fides ista, quamuis laude dignissima, non tamen ea fides erat, quæ Dei filios per Christum efficit. Neque enim ex eo, quòd centurio ille crederet, Iesum Christum diuina vi præditum esse adeò, vt absens quoque ęgrotos solo iussu sanare posset, continuò sequitur, illum ei fidem in salutis æternæ via iam habuisse, aut omnino habiturum fuisse, eique per omnia obtemperaturum. Nam, quod ais, Apostolorum neminem istum centurionem monuisse, vt arma deponeret, quid (quæso) id tandem est? Numcubi saltem legis, viuum centurionem istum fuisse, cum Apostoli Euangelium ipsis quoque Gentibus prædicare cœperunt? Desine aliquando Palæologe ineptire. & tibi cum hominibus, nõ autem cum truncis, & stipitibus (vt tu in extrema

Matth. 8. Luc. 7.

Palæologus ineptus.

trema pag. 311. aduersarios tuos appellas) rem esse interdum co-
gita. Quòd si hæc de Cornelio centurione dixisses, de quo alibi
ais, Petrum non coegisse illum, vt centurionis munus deponeret,
non tam ineptè locutus esses. Iam verò nihil necesse fuit, Petrum
cogere Cornelium munus illud centurionis deponere, etiamsi
munus ipsum centurionis omnino, & per se (quod tamen, pacis
præsertim tempore, vt tunc erat, non putauerim) Christi præ-
ceptis repugnasset. Sed satis fuit (ad hoc scilicet, vt eum per ba-
ptismum Ecclesiæ aggregãdum censeret) ex spiritus sancti dono
illi cælitus demisso animaduertisse, illum prędicationi suæ fidem
adiunxisse, & Christo Iesu sese obedientem præbere decreuisse.
Nam, quid post baptismum Cornelius fecerit, non narratur, nec
in munere illo perseueraſſe legitur.

2. Alterum exemplum est Iosephi ab Arimathęa, *qui decurio (in-*
quis) *Romanus erat, Iudæus gente, qui consultor in senatu de uita & nece ho-*
minum, & miles inter Romanas acies uersabatur. Turpis, isque multiplex
lapsus tuus est hìc Palęologe. Primùm enim credidisti, Iosephum
istum militem fuisse, nempe quia in vulgata latina editione apud
Marcum, & Lucam legisti, eum fuisse decurionem. Sed quomo-
do non animaduertisti, apud Latinos Decuriones appellari non
eos modò, qui equestribus decem militibus præsunt, sed munici-
pales senatores quoque? Num fortasse, nouo & inaudito exem-
plo, eamdem vocem duplici sensu, eodem tempore vsurpatam
fuisse, existimasti? Cur tu id fecisti, quod in Racouiensibus pag. 771.
reprehendis? Cur, inquam, exemplaria græca (homo præser-
tim græcus) non consuluisti? In græcis enim codicibus pro eo,
quod in latinis est Decurio, vtrobique βουλευτὴς legitur. quæ vox
nullo modo militarem decurionẽ significare potest. Sed quid di-
co? Consuluisti tu omnino græca exemplaria, vt ex eo appareret,
quòd cõsultorem in senatu Iosephum fuisse ais, vbi nomen βουλευ-
τὴν sine dubio exprimere voluisti. atque ita deinde in alium erro-
rem lapsus es, quòd, eumdem Iosephum & militem, & consulto-
rem simul in senatu fuisse, ex sacra historia colligi putasti, cum ta-
men nihil, quod huc pertineat, de eo ampliùs dicatur, nisi eum fu-
isse βουλευτὴν, siue, vt latinus interpres vertit, Decurionem. Sed
tu nimirum (nescio quo pacto) græcam cum latina appellatione
coniunxisti.

Palæologi lapsus multiplex.
Mar. 15. 43.
Luc. 23. 50.

cõiunxisti, & Iosephum, tamquam diuersis appellationibus, non decurionem tantùm, sed βουλευτὴν quoque nominatum fuisse somniasti. non animaduertens interea, quàm parum verisimile sit, Iudæum hominem, diuitem, & grauem in ipso Iudæorum senatu consultorem, siue senatorem, militem inter Romanas acies (vt ipse loqueris) versatum fuisse, & decem tantùm equitibus præfuisse, vt nomen ipsum Decurionis indicat, quamuis non desint, qui integræ turmæ decurionem præfuisse velint. Matth. 27. 57. Mar. 15. 43.

VI. Concludis tãdem, & pag. 15. ais, quæ supra dixeras, christiano homini satis esse debere, ad intelligendum scilicet, id verum esse, quod contendis, præsertim cum Christus nusquam aut in bellum, aut in militiam, aut in arma inuectus fuisse legatur. cum tamen inter hæc omnia viueretur eo tempore, & de iis defendendis ageretur, quę aliena erant, & Romani inuaserãt, & Iudęi contra Iudæos pro Romanis militarent. *quod* (ais) *grauius quiddam est, quam id quod proponitur: An liceat scilicet Christiano homini, militare militiam sumptis armis ut defendat suam uitam, suas opes publicas & priuatas, suam libertatem publicam & priuatam, suam pacem publicam & priuatam contra hostes inuadere uolentes & rapere aliena.* Quòd si (inquis) illa a Christo reprehensa non sunt, multò minus hęc reprehendi debent.

Si quis ea legat, quæ scribis, & historiæ illius temporis cognitionem non habeat, credet fortasse, Christi ætate in illis regionibus, in quibus ipse versabatur, id est in Iudæa, & Galilæa omnia armis perstrepuisse, & bella perpetuò gesta fuisse. nã quid aliud est inter bella, & arma viui, quod tunc ibi factum fuisse ais, nisi bella continenter geri, & vndique arma personare? Quod tamen falsissimum esse, omnes norunt, qui eorum temporum historiæ prorsus non sint ignari. Credet similiter, si quis tibi fidem adhibuerit, milites, qui in Iudæa alebantur, ferè omnes Iudæos fuisse. Quod tamen mihi nullo modo fit verisimile. immo crederim, perpaucos fuisse Iudæos milites, qui tunc ibi sub Romano imperio stipendia facerent. Cum enim, vt ipse ais, potiùs contra ipsos Iudæos, quàm externos aliquos hostes, milites in illa prouincia alerẽtur, credendum omnino est, exceptis admodum paucis, de quorum etiam fide minimè dubitandum aliqua singulari de caussa videretur, nullos Iudæos fuisse. Et sanè, nisi is Lucę locus

Luc. 3. 14. cus esset de militibus ad Iohannem Baptistam accedentibus, quos Iudæos fuisse necesse est, vix vllum Iudæum in ea militia fuisse, ausus essem affirmare. Quæ cum ita se habeant, quid oportuit Christum vel in bella, quæ nulla erant, vel in militiam, & arma inuehi, quę ab iis, ad quos eius prædicatio pertinebat, vix tractabantur? An nõ sine vlla vel necessitate vel caussa se Romano prę sidi suspectum planè reddidisset, quòd idcirco militem nullum ei se debere dixisset, vt, præsidio militari amoto, vel sui Iudæi faciliùs rebellare possent, vel ipse Iudęæ dominatum occupare, præsertim cum propter nomen Messiæ, id est Regis, quod ipse non renuebat, iam suspectus haud omnino iniuriâ esse posset? Satis, vt supra dictum est, Christo fuit ad suos discipulos a bello, armorumque tractatione deterrendos, illis præcipere, vt inimicis bene facerent, & alia eiusmodi mandata dare, quibus, quantumuis iusta ab iis non abstinendi caussa esse videatur, efficacius ista interdicuntur, quàm, si quis nominatim in ipsa inueheretur.

VII. Addis postremò Christi exemplũ, qui, sicuti antea minatus fuerat, armis carnalibus, postquam in cælum ascendit, regnum suum recuperauerit. eoque explicato, epilogum adiungis omnium hactenus dictorum. ex quibus, & ex iis præsertim, quæ Christus, dum hìc esset, se facturum comminatus est, concludis, Christum bellum iustum approbauisse, arma pro iustitiæ defensione gestanda esse, censuisse, & armis persequendos eos, qui vel nostra auferre tentarẽt, vel ablata restituere nollent, suo exemplo significasse.

Ad reliqua omnia, prę terquam ad ipsius Christi factum, modò responsum est. Ad Christi verò factum, quatenus de contumacibus Iudæis, supremam potestatem adeptus, dignas pœnas sumpsit, satis respondimus primæ partis cap. 2. Quatenus verò antea, se id facturum, quod fecit, minatus est, quid attinet respondere? Nam certè, si ex ipsa facti executione nihil ad tuam sententiam stabiliendam elicere potes, vt prędicto loco me demõstraturum confido, multò minùs ex comminatione elicies. Quamquam non pauca sunt, quę in vniuerso isto facto longè aliter se habent, ac narres, vnde, multò minùs etiam te eo adiuuari, constare potest, quàm hucusque constiterit. Sed ea, si opus videbitur, in sequen-

te

re responsionis nostræ parte explicanda reseruamus. Quòd verò in epilogo isto, plus colligēdo, quàm antea sparseras, ais Christum non fuisse vsquā vocatum, aut dictum legislatorem, & nusquam legi, aliquid illum in Dei lege per Mosem lata immutasse, ex quo, si verùm esset, caussa tua mirum in modum iuuari videretur, iam ad hoc pluribus in locis responsum est, præsertim verò primę partis cap. 7. ad finem. Et iam huius partis initio prædixi, me ad ea, quæ vel tacitè, vel apertè ex vetere testamento argumenta protulisses, nihil ampliùs hoc loco responsurum.

IIX. Sequitur mirabilis quędam argumentatio tua, quæ, siquis animum aduertat, integras quinque paginas, & eo ampliùs occupat. Incipit enim pag. 18. ab illis verbis, *Sed in exemplo Christi*, &c. & durat vsque ad verba illa, *Sed iam redeo*, &c. paginâ 23. In qua argumentatione explicanda præter errores alios non paucos, quorum pars aliqua fortasse infra a nobis indicabitur, ita teipsum implicas, vt, quid tibi velis, ipse prorsus nescire videaris. quemadmodum quilibet facilè animaduertet. Primùm enim ais, aliquando euenire, vt ministri verbi fiant ministri gladii a Deo. Deinde ostendis ex Paulo, ministerium gladii a Deo esse, & magistratui gladium gestanti omnes parêre debere. Hinc infers, si quis minister verbi ad ministerium gladii a Deo vocetur, debere illum parêre. alioqui aut cogitabit, ministerium gladii non esse ministerium Dei, aut putabit, se, quamuis magistratui gladium gestanti obedire debeat, posse tamen Deo ipsum a ministerio verbi ad ministerium gladii vocanti minimè obedire. Atque hîc exemplis aliorum munerum, ad quæ Deus homines vocat, qui, si non paruerint, peccant, ostendis, posse Deum ad gladii munus, quod ab ipso proficiscitur, ministrum verbi vocare, istumque, nisi obediat, peccaturum, nisi velimus verbi ministrum singulare aliquod Deo non obediendi priuilegium habere. quod tamen contrà omnino esse, Pauli verba demonstrare ais, quibus ab obligatione obediendi magistratui gladium gestāti nemo prorsus eximitur. Igitur (inquis) si minister verbi a gladii ministro ad gerendum gladium ob commodum reipublicæ sine verbi ministerii impedimento vocatus fuerit, obedire debet. Quamobrem (infers) multò magis Deo ipsum ad gladii ministerium vocanti

parendum illi erit. Quòd si (postremo ais) minister verbi ad pa-
triam iustētandam a gladii ministro vocatus, obedire debet, quid
faciendum (tua ipsius verba recito) *erit ciuibus, quibus dicitur: si eorum*
suorum non habent sunt infidelibus deteriores, & qui si Magistratui gestanti gla-
dium, iubenti non parent, iustè secundum leges Dei occidendi sunt, ne sine causa
& frustra Magistratus gladium gestare uideatur?

En tibi quàm pauciſsimis verbis potui comprehensa explicatio tua tam admirabilis argumentationis. Cuius explicationis, & ipsius argumentationis turpiſsima vitia, tamquam ea, quæ per hanc earum synopsim quamdam omnibus patere possunt, non est, cur ampliùs explicare curemus. Sed tantummodo, quoniam, si qua vis in argumentatione ista est, ea vniuersa in eo consistit, quòd magistratui gladium gestanti omnes parêre debemus, quamquam ad hoc per ea, quæ supra disputata sunt, abunde responsum est, tamen non abs re erit hoc quoque loco eadem dere aliquid dicere.

1. Igitur ex mente ipsorum Racouiensium in eorum scripto
Rom. 13. pluribus in locis, præsertim verò pag. 74, & 76. apertiſsimè ex-
Tit. 3. 1. posita, atque adeò ipsorum nomine dico, & vnà cum Paulo, Pe-
1. Pet. 2. 13. tro, Iuda, & aliis sacris scriptoribus palàm profiteor, magistra-
2. Pet. 2. 10. tui siue gladium gestanti, siue minùs, si aliquid fieri iubeat, ab ho-
Iud. 8. mine christiano omnino parendum esse non secus, atque si Deus ipse iuberet, dummodo id, quod iubet, Dei præceptis iam per Christum, apostolosque illius nobis traditis minimè aduersetur, vsqueadeo, vt ne ipsi quidem vitæ nostræ, vt magistratui obediamus, parcendum nobis sit, siue is bonus sit, siue malus, siue tyrannus, siue iustus princeps, siue fidelis, siue infidelis. At verò, si aliquid iubeat, quod prædictis diuinis præceptis cõtrarium sit, tunc vniuersa scriptura, ratione, hominum consensu approbante, dico, palamque profiteor, qualiscumque ille tandem sit, ei minimè obediendum esse, etiamsi alioquin (vt vno verbo dicam) totus mundus periturus esset. Quocirca, quidquid & hic, & alibi ſapiſsime de magistratu disputas, qui quibusdam Christi præceptis comprehensus non fuerit, deque obedientia, quę illi debetur, tantopere vrges, id omne superuacaneũ in hac quęstione est, vtrùm homini christiano, qui priuatæ conditionis sit, iubente, aut permittente

mittente magistratu, arma capere, bellum gerere, & hostes interficere liceat. nec aliquid ages vnquam, nisi prius ostenderis, nihil horum omnium Christi, & apostolorum eius præceptis vllo modo aduersari. Id autem te minimè facturum esse, & penitus mihi persuadeo, & ex iis, quæ supra differui, satis constare arbitror. Cætera, quæ in tua argumentatione continentur, vt dictum est, nullam vim omnino habere possunt. 2. Nam quis est, qui neget, si Deus aliquem ad gladium gestandum vocet, eum protinus obedire debere? Quis porrò nescit, etiamsi Deus iuberet, vt parentes ipsos nostros interficeremus, nihilominus parendum nobis esse? Nihil denique hîc efficis Palæologe, nisi in iis casibus, de quibus ambigitur, istam Dei vocationem, & iussum manifestè demonstres. 3. Iam verò, quod ais, dictum esse, eos, qui suorum curam non habent, infidelibus esse deteriores, tametsi per ea, quæ in huius cap. initio dicta fuere, satis responsum esse videtur, tamen considerandum præterea arbitror, quo sensu, & qua de re agens, ea verba scripserit Paulus, ex quibus ista sententia colligi videtur. Loquebatur Paulus de viduis, quę paullo ante dixerat, si filios, aut nepotes haberent, addiscerent primùm pietatem exercere in propriam familiam. quò sine dubio respiciens, ait deinde, eam viduam fidem abnegasse, & infideli deteriorem esse, quę suorum, maximè verò domesticorum, curam non haberet. Proptera græca illa verba, εἴ τις non sunt conuertenda Si quis autem, vt a vetere inrerprete factum est, vel Quòd siquis, sed Quòd siqua, vt alii omnes fecerunt. vt non sit vniuersalis quædam sententia ad omnes ciues pertinens, quemadmodum tu, non rectè locum perpendens, putasti, sed singularis de viduis, quæ filios, aut nepotes habent. Quę tamen sententia, si ad alios quoque trahenda est, in eumdem sensum profectò est accipienda, quo prolata fuit. Cum igitur cura, quam eo loco Paulus intelligit, nihil aliud esse possit, nisi educatio, & institutio, quid commune habere potest cura ista, quam vniuersam Deus hominibus cõmendauit, cum defensione ab hostibus, quę cum vindicta necessariò coniuncta est, quam sibi integram Deus reseruauit?

1. Tim. 5. 8.

Palæol. error.

Rom. 12. 19.

IX. Sed ad tributum pendendum reuerteris, & ais, cum Paulus dicat, omnino soluenda esse vectigalia non solùm propter iram, sed

Rom. 13. 5, & 7.

sed etiam propter conscientiam, & Romani ex vectigalium solutione colligerent vires, & arma ad defendendum imperium, manifestum esse, hunc Pauli sensum fuisse, *ut si* (inquis pag. 24) Pilatus, *aut quiuis alius, qui Pilato in magistratu successit, iussisset ut omnes ciues Romani sumerent arma, & starent ad mœnia ad repellendum & occidendum hostem, si aliter reiici ex mœnibus non posset, quod ipse Paulus inter alios, ut pareret suo magistratui, accepisset arma & pro mœnibus steterisset, inuasisset que & repulisset hostem, ne suo magistratui infideliter suam operam nauaret & Deo inobediens esset.*

1. Ad hanc argumentationem tuam iam satis responsum est per ea, quæ ante disseruimus. Nam, si, vt demonstratum fuit, ex approbatione tributi pendēdi non sequitur militiæ approbatio, etiamsi omnino propter alēdum militem tributum penderetur, multò minùs ex eo, quòd quis tributum pendi debere dicat, aut vectigal solui, quod militi alēdo inseruiat, sequetur, istum ipsum, si fuerit iussus, militem futurum, & arma contra hostes sumpturum. Non enim omnia omnibus conceduntur, aut idem omnibus licet. 2. Verumtamen verba argumētationis tuę recitare volui, vt in ipsis ea perpendantur, *si aliter reiici ex mœnibus non posset.* Nam ex istis verbis colligi potest, te ipsum non tanti facere magistratus mandatum de capiendis armis ad repellēdum hostem, vt semper isti mādato parendum sit, sed tunc demum, cum aliter, quàm armis, repelli hostis non potest. Quòd si dicas, tua ista verba ad verbum Occidendi tantummodo, quod antecesserat, referenda esse, vt sententia illorum sit, tunc demum ab iis, qui vrbem defendunt, occidendum esse hostem, si aliter reiici a mœnibus non possit, rogo, cur istam quasi moderationem, & distinctionem in occidendis hostibus adhiberi velis. Nonne, quia mandatum Dei extat, Ne occidito, & pluris Dei mandatum fieri debere censes, quàm magistratus iussum, qui fortasse iussit, vt hostes omnino occiderentur, vel saltem nullius moderationis, aut distinctionis, dum iuberet, vt arma contra hostem caperentur, nec meminit, nec rationem habuit? Atqui, si ita est, vt diuinum mandatum de non occidendo, quidquid iusserit magistratus, adhuc vigere velis, eiusque rationem habendam esse statuas, ab occidendo homine hoste planè abstinendum erit. In eo enim mandato homicidi-

um

tum planè interdicitur. Nam, si dicas propterea occidere hostem licere, quia ex sacra veteris testamenti historia constat, mandatum illud ad hostes non porrigi, iam confiteberis ipse, aliunde, quàm ex magistratus auctoritate, pendere, vt hostes interficere liceat. Deinde, si veteris testamenti exempla attendenda essent, & ex temporis, ac iuris illius ratione de occidendis hostibus statuendum, nihil ista tua moderatione, aut distinctione opus esset. Non enim sub vetere testamento tunc demum hostes in prœlio occidere licebat, cum aliter vinci, aut repelli non poterant, sed omnino eos occidere iurè quisque poterat, nisi aliter expressè a Deo mandatum fuisset. Ex quibus omnibus apparet, te tibi ipsi non constantem, ac teipsum refellentem, statuere, nec magistratus iussum diuina præcepta priuatis data tollere, nec ampliùs testamenti veteris ius, atque exempla, quod ad hostes interficiendos attinet, attendenda esse.

Palæologus sibi non constat, & seipsum refellit

X. Ex iis, quæ scribis totâ pag. 26, & 27, & in initio 28. argumentatio quædam tua colligitur, quæ, ex ipsis verbis tuis concinnata, huiusmodi est. Apostoli Petrus, & Paulus optimi Christi gloriæ assertores disertè præcipiunt, vt magistratui omnes obediant, nec vllam mentionē faciunt exceptionis alicuius, quam fecerit Christus in aliqua parte legis diuinę in parendo magistratui gladium gestanti. Ergo Christus nullam legem tulit de bello, aut de armis, sed omnia ad legis Dei olim per Mosem latæ præscriptum integra reliquit.

1. Ad argumentationem istam sic respondeo. Vt certum esset, Christi discipulos non debere arma contra hostes capere, etiamsi magistratus id iuberet, quamuis, magistratu iubente, olim sub Mosaica lege arma contra hostes capi deberent, nihil opus fuit, vel ipsum Christum disertè, & nominatim præcipere, ne magistratui hac in parte obtemperaretur, vel, si hoc ipse præcepisset, eius apostolos, dum, vt magistratui obtemperetur, præcipiunt, istius exceptionis mentionem facere, aut alibi vspiam eam commemorare. Satis enim fuit, vt non semel dictum est, Christum (quod & fecit) præcipere, vt inimicis bene fieret, & alia mandata dare, ex quibus iniurias suas nullo modo vlcisci licere, apertum esset, præsertim cum ius arma contra hostes capiendi sub ip

sa lege Mosis non ex magistratus auctoritate, sed ex ratione vni-
uersæ illius religionis, & ex antiquissimo ac manifesto Dei con-
cessu penderet. Quocirca, religionis ratione sub Christi euan-
gelio mutata, & concessione illa diuina, nouo præcepto dato,
reuocata, quid attinebat magistratus vllam rationem habere?
Itaque apostoli præcipiunt, vt magistratui omnes obediant, nul-
la vsquam mentione facta, ne id fiat, cum iubet, vt arma contra
hostes capiantur, quia certum est, eiusmodi præceptum semper
ita accipiendum fuisse, vt interim propter magistratus mandata
Dei mandata non negligantur, sed hæc illis perpetuò antepo-
tur. 2. Quinimmo, cum tantopere vrgent apostoli, vt magi-
stratibus obtemperetur, eisque, quantumuis malis, minimè rebel-
statur, nouum simul Christi mandatum de summa iniuriarum pa-
tientia, ac tolerantia non obscurè inculcant, & in armis capien-
dis sub Euangelio non idem licere significant, quod sub Lege li-
cuit. Neque enim crediderim ego, sub lege Mosaica Deo popu-
lo non licuisse, cum alienigenæ tyranni alicuius seruitute preme-
rentur, sese armis, si potuissent, in libertatem vindicare, & ipsum
tyrannum interficere, præsertim si tyrannus ille ipsos ad diuinas
leges violandas adigere voluisset. Historia libri Iudicum multis
exemplis id docere potest, potissimùm verò exemplo eius, quod
fecit Ehud, & Iael vxor Heber Kenæi, quorum ille Eglonem Mo-
abitarum regem, hæc verò Siseram ducem exercitus Iabini Cha-
nanæorum regis, qui Israelis populum seruitute premebant, do-
lo interemerunt. Iud. 3. 4.

Certè hodie, eius, quod olim sub Lege liceret, obtentu, non
contra alienigenas modò, qui per vim imperium occupauerint,
sed cõtra proprios & naturales reges, vt se in diuini cultus liber-
tatem populus vindicet, arma ab ipso capi posse, receptum iam
ferè vi[illegible]demus. Atqui hoc pernegant apostoli, dum potestatibus
omnibus, [illegible]ue bonis, siue malis neutiquam resistendum esse præ-
cipiunt, & sati[illegible] apertè docent, vitam potiùs ipsam esse deseren-
dam, quàm aliquio[illegible]contra eos, qui dominantur, tentandum, ne-
dum arma aduersus ip[illegible]os capienda, etiamsi alioqui causa iustissi-
ma videretur, & sub Mo[illegible]s lege Deo probatam fuisse constaret.
tantum abest, vt præceptione[illegible]ista parendi magistratui ea omnia
confirmem,

confirment, quæ in armis capiendis sub lege Mosis fieri, aut poterant, aut etiam debebant.

XI. Ad apostolorum facta postmodum venis, & pag. 28, & 29. Pauli factum narras, quo omnino probari existimas, tanti apostoli exēplo licere homini christiano armis sese cum inimicorum pernicie defendere. Quod factum cum a te fideliter, quod ad propositam quæstionem attinet, exponatur, hîc illud repetere non est necesse. sed satis est ostēdere, quàm Pauli exemplum istud longè ab eo absit, quod quærimus. Cum enim nec Paulum ipsum arma sumpsisse appareat, nec milites, qui eum ad Felicem præsidem deducebant, quemquam, vt ipsum defenderent, interfecisse, aut vulnerasse, aut percussisse contigerit, quid tandem ex facto isto ad id probandum, quod quæris, elicere potes? At enim ais, si coniurati illi, secum aliis acceptis, Paulum adorti fuissent, sine dubio, milites, qui ipsum deducebant, pro eo defendendo, contra istos pugnaturos fuisse. Quinetiam inquis, *Existimo Paulum Civem Romanum inter Romana constitutum arma, Romanis ipsum defendentibus, contra sicarios Iudæos, ne omnino proditor sui & sociorum uiderctur, sibi non defuturum fuisse.* Act. 23.

I. Non animaduertis Palæologe, quàm frustra tecum istas rationes deputes. Nam, quod ad milites attinet, quidquid illi fecissent, nulla prorsus Pauli culpa fuisset, qui, se eo præsidio armari, nequaquam curauerat (quod tamen tu, non leui sanè errore, eum curasse affirmas pag. 213. idque non obscurè repetis pag. 239.) sed tantummodo per sororis filium adolescentem tribuno insidias sibi paratas significari voluerat. quas insidias vitandi caussa satis fuisset, si tribunus eum numquam ad populum produxisset, sed castris incluſum tenere perrexisset. nec sanè aliud adolescens ille a tribuno petierat, nisi, ne postero die, id licèt Iudæis roganti bus, Paulum ad populum produceret. Deinde, cum Paulus Dei spiritum ducem suarum actionum haberet, euentus rei omnino considerandus est, non autem id, quod euenire potuisset. Dei autem consilio sine dubio factum est, vt coniurati illi Paulum adorti non fuerint, nec vllum periculū Pauli caussa aliquem cædendi extiterit. Sed nec vllo pacto erat verisimile aliter futurum, cum coniurati illi homines minimè mulitares vix numerum quadraginta Palæologi error.

quadraginta excederent, milites verò ad Pauli custodiam, dum deduceretur, adhibiti quadringenti septuaginta essent, presertim quòd vix facta erat coniuratio, cum Paulus deductus est. Quare, etiamsi Paulus ipse curasset, vt præsidio illo militum armaretur, nec euentus, sed id, quod euenire potuisset, spectandum esset, quorum vtrumque, vt ostendimus, falsum est, tamen nulla ratione dici posset, Paulum in periculũ milites illos adduxisse quemquam sui caussa cædendi, sed tantummodo coniuratos illos ab incepto penitus absterrere voluisse.

2. Nam quid dicam de eo, quod ipsum Paulum, si coniurati eum adorti essent, facturum fuisse existimas? Qua ratione (quaeso te) non defuisset sibi Paulus, id est, vt interpretari est necesse, ipse quoque armis inimicos suos repulisset? Num fortasse armatus erat Paulus, & apostoli arma gestare consueuerant? Num arma ex manibus alicuius ex illis militibus extorturus erat, vt & ipse pugnaret, nec, vt ais, sui ipsius, & sociorum proditor videretur? Sed quomodo vel id fieri poterat, vel armatum fuisse Paulum, credendum est, cum ipse vinctus duceretur ad præsidem? *Palæologi incogitantia.* Certè de Pauli vinculis cogitare tibi non succurrit, cum ista scriberes. alioquin a tuis istis mirabilibus cõiecturis abstinuisses. Verùm quid præterea insulsius, quàm pro facto ponere id, quod ex coniecturis tantùm colligi dicatur, & eiusmodi coniecturis, quæ, non dicam incertissimæ sint, sed ne coniecturę quidem appellari mereantur, quippe quæ potiùs rationes sint, quibus in omni facti specie, vbi, an arma capere liceat, dubitari queat, te vti posse speras? An non idcirco arma cõtra hostes inuadẽtes capi & poterat, se, & debere credis, quia, qui aliter facit & sui, & suorũ desertor, ac proditor sit? Quid igitur attinuit, vt probares, arma cõtra hostes capi ab homine christiano iurè posse, historiam narrare, vnde, Paulum, si casus quidam incidisset, arma aduersus inimicos suos sumpturum fuisse, nulla præterea alia coniectura suadente concludatur, nisi hac, quòd alioqui sui ipsius, & sociorum proditor visus fuisset? Iam ratio ista quanti æstimanda sit, ex iis intelligi potest, quę & paullo ante, & ab initio disputata sunt. Vtinam prorsus caussa fuerit historiam istam commemorandi. tantum abest, vt ea, tamquam Pauli factum tuam sententiam confirmans, in medium

in medium afferri potuerit. Et tamen tu ad finem argumentationis tuæ inde ductæ, in extrema pag. 29. hæc verba scribere non dubitasti, *Mihi planè uidetur hoc Pauli factum plus ualere debere, apud Christianum hominem, quàm omnium quorumuis hominum incertæ sententiæ.* Qua in re quàm confidenter te gesseris, nemo facile dixerit. *Palæologi confidentia.*

XII. Postremò, antequam ad ea respõdeas, quę tuę sentētię opponi posse videntur, statim post modò recitata verba tua, ex tribus, quæ ab aduersariis concedi existimas, eam confirmare conabis agere, tributa, quibus alitur miles, soluere, & alium, excubias qui sui loco militet, & gestet arma, conducere.

1. De tributorum solutione, supra satis explicatum est. 2. De excubiis verò, quænam aduersariorum tuorum sententia aut aliquando fuerit, aut etiamnum sit, non ausim affirmare. Hoc tantùm dicam, me credere, eos minimè tibi concessuros, excubias illas homini christiano agere licere, quæ, nisi interficere, aut ferire hostes liceat, nullæ sint futuræ. Quod tu quoque cum suspicatus esses, aggressus es demonstrare, nihil impedire, quominus christiano homini excubias agere liceat. Itaque pag. 31. ais, malum esse non posse vigilare ad mœnia pro defensione patrię, quin simul malum sit, malum declinare. Sed hoc non est. Igitur ne illud quidem. Et quasi aliquod dubium esset, ne homini christiano malum declinare liceret, Christi ipsius, & apostolorum Petri, & Pauli exemplis id confirmare voluisti. quibus expositis, & argumentatione tua concluſa, addis, *Ad quid enim diceremus: Ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo, si prudentes & scientes studere debemus in mala incidamus?* Quis vmquam credidisset, ex precatione dominica, in qua petimus a Deo, vt sic nobis nostrorum in se delictorum veniam det, vt nos iis, qui in nos deliquerint, veniam damus, argumentum duci posse ad probandum, nobis licere eos, qui in nos delinquunt, id est hostes nostros vlcisci? Hoc primus, vt arbitror, tu nos Palæologe docuisti, qui dormiens id vides, quod alii vigilantes ne suspicantur quidem. Sed ad rem. Declinare malum vtique licet, sed non cum Dei mandatorum contemptione. Aliter, vt mortem saltem, si non alia minora mala, vitaremus, & idolis sacrificare, & Christo maledicere, eumque abne-

gare liceret, immo & Deum ipsum. & stulti fuerunt ii omnes (qui tamen præ cæteris fidelibus ex sacrarum litterarum sententia ab vniuersa Ecclesia commendantur) quos miserrimè mori potiùs voluisse constat, quàm aliquid istorum facere. Quòd si mori satius est, quàm vel minimum Dei mandatum transgredi, sequitur, non posse nos ita malum declinare, vt interim aliquod Dei mandatum transgrediamur. Quocirca, etiamsi tibi concedatur, idem esse Vigilare, ne in malum aliquod incidas, & Malum declinare, tamen certissimum erit, non posse quemquam ita vigilare, ne in malum aliquod incidat, vt interea diuinum aliquod mandatum transgrediatur. Ex quo consequitur, illas excubias, siue pro patriæ defensione, siue pro qnacumque re alia, agere christiano homini non licere, quæ cum hostium plagis, aut interitu sint coniunctæ, id est, quæ eò tendant, vel ex quibus facilè consequatur, vt hostes cædãtur, aut interficiantur. Et quia, nisi excubiæ eiusmodi sint, vt ex iis facilè hostium plagæ, aut interitus consequatur, nihil inde elicere potes ad sententiam tuam confirmandam, propterea futilis atq; inanis redditur vniuersa argumẽratio tua.

3. Restat tertium de aliquo pecuniâ cõducendo, qui pro te militet. Hoc iurè fieri posse, crediderim aduersarios omnino concessuros, dummodo rectè intelligatur. Vt scilicet conductio ista non sit voluntaria, nec propriè conductio, sed pecuniæ solutio a magistratu imperata, qua alius conduci possit, qui pro te militet, id est id faciat, quod tu facere recusas. Nam istud idem est, quod imperatum tributum pendere. quod, quamcumque tãdem ob causam imperatum a summo magistratu fuerit, non modò ab homine christiano pendi posse, sed etiam omnino debere, supra ostensum fuit, nec tamen inde vllo modo sequi, vt ea facere homini christiano liceat, propter quę tributum illi fuerit imperatum.

Ab argumentis, & rationibus pro tua sententia afferendis ad obiecta, siue obiectiones quasdam aduersariorum (vt eæ in tui scripti marginibus appellantur) id est eorum, qui tecum non sentiunt, diluendas pertransis, quas nec propositi, nec muneris mei est a tuis responsionibus vindicare. Tantùm, si quid, dum respondes, dictum a te fuerit, quod tuam sententiam confirmandi præter ea, quæ antea attulisti, vim aliquam habere videatur, id, quemadmo

quemadmodum propositum fuit, diligenter refutare conabor.
XIII. Igitur ex responsione tua ad quinctam obiectionem pag. 42, & 43. hoc argumentum pro sententia tua elici potest. Omnes Christiani, tam boni, quàm mali, populus Dei sunt, sicut erat populus Israeliticus. Ergo poterit Christianorum magistratus vnà cum populo christiano iurè bellum gerere pro tuēdis finibus imperii sui, non secus atque id iurè facere poterat vnà cum ipso populo magistratus populi Israelitici.

Hoc argumentum duplici ratione potissimùm non rectè concluditur est. Primùm enim falsum censeri debet, omnes Christianos, siue bonos, siue malos, perinde Dei populum esse, vt populus Israeliticus erat. Israeliticus enim populus vniuersus non nomine tantùm, sed reipsa Dei populus erat. Suum enim populum ipse Deus eum millies appellat, & filium adeò suum primogenitum vocat, quamuis (vt ipse ais) esset maxima pars malus. At nusquam reperies, omnes Christianos, bonos, & malos, Dei populū apud sacros scriptores vocari, nedum vt ipse Deus eos vocet. Ii enim demum inter eos, qui Christiani nominantur, ex Dei populo sunt, qui ipsi per christum obediūt atq; cōfidunt, ob idq; non mali sunt Christiani. nam & christiani verè isti sunt. Cæteri, vt nomine tantùm sunt christiani, sic ex Dei populo non sunt reuera. Vocat quidem Petrus apostolus eos, ad quos scribit, Dei populum. verùm, nō ad malos, sed ad bonos Christianos se scribere, ipse testatur, cum ait, ab illis Christum diligi, atque in eum credi. Deinde, vt Israelitici populi exemplo iustè bella geri possint ab aliquo populo pro tutandis finibus, non satis est, eum Dei populum esse. sed necesse est præterea, vt ei a Deo regio illa, cuius fines tutari velit, eamq; sibi conseruare, donata fuerit, &, tamquam propria possessio, data, vt terra Chanaan ipsi populo Israelitico fuerat. Christianus populus nullam hîc in terris regionem habet propriam, sibique a Deo assignatam, sed perpetuò peregrinus est, & in terra aliena. Quare non est, quòd quis dicat, eum vel debere, vel posse arma capere pro finibus suis tutandis, quos hic nullos habet. Cœlum petit populus iste, quemadmodum olim Israeliticus populus terram Chanaan petebat. Hæc est illi a Deo possessio assignata, Pro hac sibi conseruanda, & reipsa

Exo. 4. 22.

1. Pet. 2. 10. 1. 8.

plenè posidenda belligerandum illi est, & quibuscumque eam si-
bi quauis ratione eripere conantibus fortiter resistendum. Sed,
vt alibi dictum fuit, nec isti sunt homines, nec humanis armis bel-
lum istud geritur, sed dæmones sunt, & cupiditates malæ, quæ
non nisi diuinis armis superari, ac vinci possunt.

XIV. In responsione ad obiectionem septimam pag. 45. ficra-
tiocinaris. *Cum pax est fructus belli, Christianus licere sibi putabit frui pace,*
fructu scilicet belli, & bello exorto fugiet? ut in bonis scilicet sit amicus, in ma-
lis uerò amicitiæ desertor? At ubi nam erit charitas publica, ubi mandatum Dei.
diliges proximum tuum sicut te ipsum?

Quamquam ad vniuersam hanc ratiocinationem tuam satis
per superiora responsum esse videtur, tamen quædam pauca, quę
magis propriè huc spectent, addenda censui. 1. Dico igitur,
cum pax fructus est belli, id planè ex accidente fieri, non autem
vllo modo ex natura rei, cum naturâ pax bellum antecedat, bel-
lum autem ipsam pacem funditus euertat, atque aboleat. Vnde
constat, vix pacem belli fructum dici posse, aut ne vix quidem.

2. Quod ais de homine christiano, qui putet sibi licere pace
frui, quæ belli sit fructus, & interim bello exorto fugiat, id ridi-
culè a te dictum est. quasi homo christianus, cum pax est, data
opera pace fruatur, & a pace fruenda honesta aliqua ratione ab-
stinere possit, & non necessariò vnà cum aliis, nisi grauissimè in
Deum, & homines peccare velit, ei pacis fructus sentiendus sit.
Quocirca futile planè illud est, quod addis, non debere eum, qui
in bonis amicus sit, in malis desertorem esse, hoc enim ad eos per-
tinet, qui sua sponte aliquorum amici fiunt, vt eorum bonis fru-
antur. Præterea istæc humana iustitia est, cui diuina perpetuo
anteferri debet. quę, vt supra expositum fuit, ab homine christi-
ano priuatæ conditionis bellum geri non debere, manifestè do-
cet. 3. Idem dico de publica charitate, quam vrges. Hæc enim
publica charitas non tanti esse debet, quanti charitas ipsius Dei,
qui per Christum iubet, vt iniuriarum omniũ patiẽtissimi simus,
sibique nos, nostrosque vlciscendi curam penitus relinquamus.

4. Sed quid dicam, quòd Dei mandatum de diligendo proxi-
mum, sicut seipsum, ad bellum gerendum, & hostes interficien-
dos accõmodas? Quis tui ingenii acumen non admiretur, præ-
sertim

Palæologus ridiculus.

sertim cum mandata dilectio ista hodie ad hostes ipsos porrigatur, quos, sicut nos ipsos diligere debemus, quippe qui & ipsi proximi nomine censeantur? Ergo, si tibi credimus, proximum interficiemus, vt mandato de proximo diligendo satisfaciamus. Quis tam stupidus est, qui hęc duo simul cōsistere non posse, non planè agnoscat? Neque enim, si quis arma aduersus inuadentes hostes capere, eosque interficere negligat, suorum proximorum interfector dici potest, etiamsi certissimum esset, nisi id faciat, futurum, vt hostis ciues omnes trucidet, vnde concludi debeat, istum effugere non posse, quin proximos occidat, aut hostes arma capiendo, aut ciues ab iis abstinendo, pręstare autē hostes, quàm ciues occidere. Quādoquidem tunc demum is, qui homicidium, cum posset, non prohibuit, particeps illius homicidii dici potest, si id nulla cum iuris, & diuinarum legum offensione facere potuit. At si vel minima ex parte ius lædendum, aut diuina præcepta negligēda fuerunt, tunc nullo prorsus pacto illius homicidii reus dicendus est. Quòd si nos ipsos interfici permittere potiùs debemus, quàm vel minimum peccatum admittere, minimumue Dei mandatum transgredi, cur, vt alii interficiantur, permittere non possumus, & debemus potiùs, quàm ipsi quemquam interficere, quod grauissimum peccatum est, & cum diuino mandato manifestè pugnat? Non sunt facienda mala, vt eueniant bona, *Rom. 3. 8.* multò minùs, ne eueniant mala. Deo est cura ista tota relinquenda euitandorum malorum, cum id a nobis, nisi aliquod malum perpetremus, fieri non potest. Nec vmquam homo christianus in angustias istas coniicitur, vt aliquid mali perpetrare ei sit necesse. sed semper in eius potestate est nihil prorsus mali admittere, nec vllum ex diuinis mandatis negligere, si, vti debet, pluris iustitiam, & Deum ipsum facere velit, quàm cætera omnia. Ex quo intelligi par est, quàm præposterè ii se gerant, qui arma aduersus eos, qui dominantur, capiunt, vt (quemadmodum aiunt ipsi) Dei cultum, ac religionem tueantur. Vt enim Deum colere possint, Deum, quantum in ipsis est, dedecorant, & stultè ipsius Dei aperta mandata contemnunt. quasi verò quisquam sit, qui nobis, vt Deum colere possimus, eripere queat, dummodo omnia potiùs perpeti, quàm Dei cultum abiicere parati simus. Quis

verò Dei cultus præstãtior, quàm vitam ipsam negligere, atque profundere, vt ne minima quidem in re contrà facias, ac Deus fieri iusit? Si igitur is, qui tibi in terris dominatur, prorsus iubet aliquid, quod Dei mandatis aduersetur, morere potiùs, quàm illi obtemperes, & ita Deum maximè coles, non autem armis vim, quam tibi facere conatur, repellere tenta. istud enim non quidem Dei cultum defendere est, sed suam ipsius vitam, aliaque huius mundi bona conseruare velle.

Verùm ad te redeo, qui, tamquam id, quod contendis, iam planissimum feceris, hoc loco in eos, qui arma capere, & insultantes hostes repellere, atque interficere recusant, non secus inueheris, ac si pessimi omnium hominum forent, eosque pag. 46. nefarios, proditores, desertores, infidos appellas. sed & antea quoque, pag. videlicet 32. eiusmodi homines impios prorsus, & christiano nomine indignos esse dixeras. Miser nescis, cuius spiritus sis. Ergo homines innocentissimos, qui ipsi mori malunt, quàm alios damno afficere, quique sua sponte, vt Deo obediant, tamquam oues, atque agni sunt, quos lupus inuadat, hos, inquam, tu istorum turpium scelerum insimulare non vereberis? Vide quid agas. Nam profectò, nisi resipiscis, graues pœnas istarum blasphemiarum in Dei cultores ipsi Deo dabis. Quid enim ampliùs conuiciorum in illos iácere posses, si tibi constaret, eos præignauia, & timiditate a belligerando abstinere? Nunc, quando certum est se potest, nec ipse, nisi omnem prorsus pudorem exuere velis, id negare sis ausurus, plerosque saltem ex ipsis, quominus arma capiant, non nisi religione teneri, etiamsi in maximo errore versarentur, nonne planè immeritò turpissimis istis nominibus eos appellares? Resipisce igitur aliquando, & bellum eo modo, quo potes, cum sanctis Dei gerere desine.

XV. Dum obiectionem, quam facis, aduersariorum decimam diluere conaris, huiusmodi argumentationem pro sententia tua nectis pag. 51. Christus, cum iam in Iudæorum manus tradendus esset, monuit discipulos suos, vt nõ ampliùs, sicut antea iusserat, sine gladio essent, sed gladium, vendita tunica, emerent. nempe quia & ipsum pater deserturus erat, & ipse illos. Igitur idem monere censendus est, vt, Deo precibus, & pœnitentia placato, gladio

Luc. 22. 36.

gladio aduersus hostem nos armemus, cum id magistratus iubet.

Hæc tua argumentatio non vna de caussa ineptè concluſa est. Primùm enim figuratum ſermonem Chriſti non intelligis, qui ni hil aliud monere vult, quàm ſummum periculum impendêre. Atque hoc loco libet ex bibliis, quas Vatabli vocant, aureolam ad Chriſti verba annotationem, quales ferè ſunt in illis bibliis, deſcribere. quę ſic habet, *Hac parabola ſignificat Chriſtus impẽdêre magnum periculum, ut ſi quis præſidijs humanis uti uoluiſſet, nihil conſultiùs facere potuiſſet, quàm ſibi parare gladium, uel uendito pallio, ſi aliunde non poſſet.* Hac tenus annotatio. Patet autem, in hunc ſenſum Chriſti verba accipienda eſſe, quia alioqui, ſi, vt tu putas, verè monuiſſet Chriſtꝰ diſcipulos, vt ſeſe armarẽt, id eſt, vt tu interpretaris, legitima præſidia ſibi pararent, an non prorſus inanis fuiſſet monitio iſta? Nam quænam legitima præſidia ſibi parare poterant, cum magiſtratum ſibi infenſum haberent, immo magiſtratus potiſsimùm is eſſet, a quo illis metuendum erat? Num voluit Chriſtus, vt ſui diſcipuli contra ipſum magiſtratum armis ſeſe defenderent, & hoc legitimum præſidium eſſe ſtatuit? Certè ex interpretatione tua iſtud omnino conſequitur. quod, quàm ſit abſurdum, & iis contrarium, quæ alicubi in hac diſputatione ipſe ſcripſiſti, quiuis facilè iudicabit. Illud etiam, quod, duobus gladiis a diſcipulis oſtenſis, vel indicatis, dixit Chriſtus, *Satis eſt*, demonſtrat, aliud Chriſtum ſenſiſſe, quàm ipſa verba ſonent. quod quia diſcipuli non intellexerant, nec, vt intelligerent, multùm intererat, propterea ita reſpondit Chriſtus, & anſam vlteriùs quærendi illis præcidit. Interim tamen, ſe aliud dicere voluiſſe, quàm illi eximaſſent, docet. Nam, ſi reuera de gladio ipſo ſibi comparando, quemadmodum illi putabant, locutus fuiſſet Chriſtus, numquam dixiſſet, duos gladios eſſe ſatis, cum illi multò plures eſſent & vnicuique ex ipſis, qui gladium non haberet, vt, vendita tunica, eum emeret, ea Chriſti verba præcepiſſent. Deinde non videres, ex ipſis verbis tuis, Chriſti præceptum iſtud tunc demum locum habere, cum quis ab ipſo Chriſto deſeritur. Atqui nemo affirmare poteſt, etiamſi hoſtem videat, aut ſentiat in ſe irruẽtem, a Chriſto ſe deſertum fuiſſe. Viuit enim hodie perpetuò, & regnat Chriſtus, nec ampliùs, vt tunc fecit, ad tempus moritur, & ſuos deſerit.

Palæologus abſurda dicit, & ſibi ipſi aduerſatur.

deserit. Quare nullum argumentum ex isto præcepto duci potest ad arma hodie a Christi discipulis contra hostes capienda. Et, qui, cum priuatus sit, ea capit, nec ab ipso Deo illa iam antea sibi ad gestandum, iisque feriendum tradita habet, satis ostendit, vel se arbitrari, Christo se curæ non esse, vel Christi præsidio se parum confidere.

XVI. Addis prædicto loco, charitatem inter Christianos minimè simulatam esse debere, vt Paulus præcipit. Ex quo sequitur, charitatem hominis christiani in patriam suam non debere esse simulatam. *Quid autem (inquis) simulatum magis quam temporibus serenis omnem speciem amoris in patriam, cum forte necesse non est, declarare, & tempestate exorta nolle sumere arma, & si sumas, nolle illa vibrare in hostem, sed uersari in militia ueluti insensibilis truncus, qui publicis malis non commouetur, nec auertere malum publicum conetur?*

Hæc ratio tua abunde supra confutata est, cum charitati publicæ Dei ipsius charitatem anteferendam esse diximus. Nec eiusmodi rationibus tuis aliquid vmquam efficies, nisi priùs, tollitonia aduersariorum diluens, docceas, sub Euangelio a Deo vetitum non esse, ne hostes armis repellamus, etiamsi id fine ipsorum pernicie fieri nequeat. Præterea animaduertendum est, hominem christianum, quemadmodum, vt dictum est, nullam in terris possessionem habet, sic etiam reuera nullam hic patriam habere. *Non enim* (ait scriptor ille diuinus) *habemus hic ciuitatem permanentem, sed futuram inquirimus.* Quare non est, quòd ad hominem christianum attinet, hęc patrię charitas admodum vrgenda, quatenus si propter patriæ salutem ius aliqua ex parte violari posse videtur, atque, vt patriam seruemus, nihil non fieri debeat, quod fortasse concedi posset, si veram hîc patriam haberemus. Sunt igitur ab homine christiano pro patria ea omnia facienda, quæ Christi legibus, vnde omne ius nobis petendum est, minimè aduersantur. Nec vlla ferè inter patriam, aliosque locos differentia cõstituenda est, nisi quòd, si cætera omnia prorsus sint paria, paullulum quid prę cæteris locis patrię concedere licebit. Alioqui facillimè fieri poterit, vt homo christianus alia loca patriæ suæ anteferre debeat, & præ illis patriam contemnere. Id quod homini politico vix, aut potiùs nullo pacto conceditur, quippe qui patriæ charitate

Heb. 13. 14.

charitate nullam maiorem habeat, tamquã is, qui patriam istam, de qua loquimur, pro vera patria agnoscit, adeò vt præ illa suas ipsius voluptates, ac commoda omnia, famam denique, & vitam ipsam negligere, vt æquum, sic glorioſum sibi esse existimet. At homo Christianus, qui cælum ipsum pro patria habet, & cuius πολίτευμα, quemadmodum Paulus ait, in cælis est, sæpissime vel minimũ ex hominibus diuinis & cælestibus, hoc est ex suis veris ciuibus, quantumuis alioqui extraneum, vniuersę terrenę patrię meritò anteponet. se autem ipsum, suaq; non propter terrenam patriam, sed propter cælestem, vbi opus fuerit, planè despiciet. *Phil. 3. 20.*

2. Similitudo, siue exemplum, quod addis de succurrẽdo, ne nauis dissoluatur, quodque nouæ cuiusdam rationis loco esse potest, adeò nugatorium est, vt nihil supra. Nam quomodo probas id, quod ita constanter affirmas, si homini christiano licet succurre-re, ne nauis, quæ, carinâ resutâ, submergitur, penitus dissoluatur, eidem licere contra nauem exurere volentes cum eorũ detrimen to opem ferre? Certè eius, quod in posteriore parte exempli im-pedire potest, quominus homo christianus opem ferat, hoc est aliorum detrimenti, nulla ne vmbra quidem in priore parte ap-paret. Quocirca valde mirum videri debet, te nihilominus ista duo paria facere ausum fuisse. *Palæologi mira audacia.*

3. Cæterùm, quòd arma sumere, ~~nec~~ eaq; (vt ais) in hostem vi-brare nolle tantopere damnas, ne in eo quidem tecum omnino sentio. Fieri enim potest, vt ad territandum dumtaxat, & ab in-cepto hostẽ absterrendum repente arma a populo capiantur, cui si armatum eodem consilio, de quo planè constet, christianus ho-mo sese adiungat, non video, cur damnandus sit. Potest etiam fi-eri, vt homo christianus arma, magistratu iubente, sumat, publi-cè antea protestatus, se iis hostem iam iam vrbem inuadẽtem mi-nimè percussurum, sed tantummodo, quatenus cæteroquin licu-erit, seipsum, alioſque defensurum, idque satis magistratui esse vi-deatur. Nam, si id præstet, quod dixit, reprehendendus non vi-detur. præsertim, si ex eo, quòd arma sumat, certum sit, eum non plus periculi vitæ suæ perdendæ subiturum, quàm, si ea sumere negligeret. Nec enim temere homini christiano vitæ pericula a-decunda sunt, ipsiusque iactura facienda, sed tũc demum, cum Dei

gloria, proximique salus id postulat. Hæc autem idcirco homini christiano concedo, quòd non ipsa arma manibus tenere, sed iis aliquem ferire illi interdicitur. nec porrò eorum cõsilium laudo, qui ne ad canes quidem, aut lupos, aliasue feras bestias pro sua vita tutanda feriendas gladium secum habere sustinent, cum tamen iidem innocẽtissimas pecudes ad se earum carnibus alendos iugulare, aut iugulandas curare non dubitent. Superstitio semper vitanda est, tamquam ea, quæ religioni, ac pietati veræ sensim, nisi diligentissimè caueatur, ruinam struit. Præstat tamen perpetuò inermem esse, & se siue hominum, siue ferarum omnibus iniuriis exponere, quàm armis ad homines feriendos vllatenus abuti.

XVII. Pergis autem, & pag. 52, & 53, si rectè mentem tuam percepi, ita argumentaris. Vt hostis, qui nostras ædes ingressus uxori, & filiabus virginibus vim facere tentat, deterreatur, & a malo inferendo desistat, licet obiurgare, inclamare opem, socios adsciscere, de iniuria, quæ tibi infertur, docere, & turbas excitare. Ergo & manum admouere, & verberibus iniuriam inferentem repellere, &, si verba non prosint, ad ferrum tandem confugere licebit. Vt autem consecutionem istam probes, ais istorum omnium eamdem rationem esse. Quòd si arma ad repellendum, id est, nisi aliter ab iniuria faciẽda desistere nolit, feriẽdum, & occidendum hostem capienda non sunt, ne malo resistatur, nec etiam aliquid istorum faciendum erit. nam vbiq; malo resistitur.

Respondeo primùm, causam, siue rationem, cur hostis a nobis occidendus, aut feriendus non sit, non eam solam esse, quòd malo resistere non debeamus, vel, vt apertiùs loquar, non ex eo solo præcepto, ne malo resistamus, colligi, hostem a nobis occidendum, aut feriẽdum non esse, sed ex aliis etiam, in quorum vestigio non perinde ludere, & cauillari potes, atque in istis facis. Iubemur enim, vt vnum tantùm commemorem, nullo modo malum pro malo reddere. Qui ea omnia facit, quibus hostis ab iniuria inferẽda deterreri possit, nec tamen interea eum vel ipse ferit, vel feriendum curat, nihil mali pro malo reddit. At is, qui vt iniuriam non patiatur, arma ad occidendum, aut feriendum hostem capit, profectò, non dicam malum pro malo reddit, sed quod

Matth. 5. 29.

Rom. 12. 17. 1. Thes. 5. 15.

quod multò plus est, ad euitandum malum prior ipse malum inferre studet. Deinde, etiamsi nullum prę terea præceptũ extaret, nisi illud de non resistendo malo, dico, illum, qui omnia tentat, vnde hostis ab iniuria inferenda deterreri possit, nisi illi manus afferat, aut afferẽdas curet, nihil aduersus præceptum illud committere, nec malo resistere ea ratione, quam Christus fine dubio intellexit. qui, vt alibi docuimus, eo præcepto non omnem resistentiam, quæ malo homini fiat, sed eam, quæ vltionem, seu vindictam coniunctam habeat, interdicere voluit. Itaque ex vi præcepti illius rectè cõcludetur, non licere hostem armis repellere, hoc est cum, nisi aliter ab iniuria abstinere velit, ferire, atq; interficere. nec idcirco tamen sequetur, eum obiurgare, clamare, terrorem illi incutere, & eiusmodi alia facere non licere. illa enim vindictam, siue vltionem continent, hæc verò minimè. Non necesse autem fuit ea omnia singulatim, diligenterque examinare, quæ tu homini christiano licere pro concesso sumis. Nam satis est, ex sacris litteris regulam statuisse, qua non de iis tantùm, sed de aliis, eiusmodi omnibus, quæ excogitari possunt, iudicari queat. Ea est, Homini christiano malum pro malo reddere, seque vlla ratione vlcisci non licere. Quæ huic regulæ non aduersabuntur, ea omnia concessa erunt nobis. Quæ verò cum ea non conuenient, prorsus interdicta censebuntur.

XIIX. Sequitur eadem paginâ 53. mirabilis quædam responsio tua ad testimonia aduersariorum, quæ pro sententiæ tuæ confirmatione habenda est. Ais enim, Etiamsi extaret præceptum aliquod a Christo datum de non sumendis armis, tamen non debere præceptum istud plus stabilitatis, aut ponderis habere, siue, vt tu loqueris, maius esse, quàm præceptum a Deo datum de Sabbati die seruando. Sed, Christo ipso docente, præceptum istud Dei tunc locum non habet, cum de seruanda anima agitur. Ergo nec Christi præceptum, si quod esset, de non capiendis armis, tunc locum habere censendum foret, cum de animis seruandis ageretur, vt scilicet agitur, cum hostis nos, nostraque inuadere conatur.

Atqui, Palæologe, si rectè argumentatus es, vbicumque de anima seruanda agetur, nullus diuinis præceptis erit locus. Ita-

que ipsa etiam idola, Deo posthabito, colere, vt cætera omittam, tunc licebit, immo verò opus erit, cum alioquin anima aliqua peritura fuerit, id est aliquis mortem obiturus sit. Quinetiam, si Christi verba ex ipsius factis interpretanda sunt, non necesse erit de vita alicuius agi, sed, dummodo de sanitate agatur, satis erit. Nam, vt, in die Sabbati homini alteram manum aridam habenti eam sanam reddere sibi licere, demonstraret Christus, ea verba de diei Sabbati obseruatione dixit. Qualem igitur Dei cultum argumentatione ista tua nobis obtrudis, qualemue Deum colere, datorum conseruationem esse debere statuis, si nec Deum colere, nec eius mandata seruare tunc debemus, cum, si id fiat, de vita, aut sanitate alicui periclitandum est? Itane, quasi per cuniculos quosdam, vniuersam religionem subruere tentas? Nam qui fit, vt non videas, Christum, cum ægrotos in die Sabbati sanaret, nihil feciisse, quod verbis Legis de sabbato seruãdo rectè interpretatis aduersaretur, nec illum exceptionem aliquã ad præceptum illud attulisse, cum dixit, licere Sabbatis animam seruare, cum de eiusmodi operibus id præceptum minimè loqueretur? Nonne ipsi Iudæi, qui, vt, ipse ais, præceptum istud admodum superstitiosè seruabant, suum tamen vnusquisque asinum, & bouem, qui in puteum decidisset, protinus die Sabbati extrahebant? Mirum sanè est, te, qui tam acriter contendis, Christum, quod ad præcepta attinet, Legis simplicem interpretem fuisse, in præcepto Legis de Sabbato seruando plus, quàm interpretem, egisse, & exceptionem quamdam illi adiunxisse, affirmare. Nam, si Interpretis nomen tam latè patere velis, vt ista etiam comprehendat, quibus de eo, quod interpretandum est, detrahitur, nulla causa erit, cur non concedas, Christum, quamuis simplicem Legis interpretem, præceptis Legis quędam addidisse. quod tamen in vniuersa disputatione audacter negas. Quandoquidem non modò eadem ratio est detractionis, quæ additamenti, sed multò plus præcepti auctoritatem conuellere videtur is, qui ei aliquid detrahit, quàm qui addit. immo, qui detrahit, aliqua ex parte præceptum verè labefactat, qui verò addit, potiùs illud magis confirmat. Itaque, te non satis tibi ipsi hac in re constitisse, non iniuriâ dici posse crediderim. Præterea dic, quæso te, qualem-

Mar. 3. 4.
Luc. 6. 9.

Luc. 14. 5.

Palæologi inconstantia.

nam

nam putas, aduersarios tuos existimare, Christum legem tulisse de non capiendis armis? Numquid non animaduertis, ipsos contendere, cum eiusmodi legem tulisse, qua apertè interdicatur, ne arma ad feriendos, & occidendos hostes capiantur, tunc etiam, cum maximè nos lædunt, & vitam eripere conantur? Quomodo autem, si eiusmodi lex lata esset, posset ei accommodari exceptio ista, Nisi si de seruandis animis agatur, cum istius salutis rationem haberi non debere, in ipsa lege expresse cautum fuisset? Quamquam satis esset, legem Christi extare, quæ simpliciter veteret, ne arma contra inuadentes hostes caperentur. Semper enim, cum hostes nos inuadunt, de salute periclitamur. Quamobrem, si exceptio ista admittenda esset, tota lex subuerteretur, nec ei vllus locus esse posset. Et tu sine dubio ista exceptione tua efficere vis, vt, etiamsi lex de non sumendis armis a Christo lata esset, tamen contra inuadentes hostes eas semper sumere non liceret solùm, sed etiam opus esset. Postremò, quid tu præceptum seruandi sabbati, quod vmbratile, & temporarium erat, cum solidis & sempiternis Christi mandatis confers, &, si quid ex eo a Christo detractum fuerit, a nobis de ipsius Christi mandatis aliquid eadem ratione detrahi posse, concludis? Quid tu nos Christo exæquas, immo verò anteponis, & eamdem auctoritatem, quam ille in Mosaicis legibus habuit, nobis in ipsius legibus tribuis? An nescis, Christum tantò Mose præstantiorem esse, quantò præstãtior est is, qui domum aliquam extruxit, quàm ipsa domus, & filius, quàm seruus, & is, qui domui præpositus est, quàm is, qui in ipsa domo famulatur? *Hebr. 3. 3. &c.*

2. Iam, quòd ex iis, quæ supra dixeras, hîc colligis, Christum dixisse, vt quædam animæ omnino seruentur, vnde concludis, si hoc de priuatis rebus, & priuatis hominibus dixit, multò magis de magistratu, & patria idem dicturum fuisse, ne diligentiùs huius tuæ argumentationis futilitatem explicemus, satis est, ostendisse, te pessimè tantam istam curam, quæ a nobis animarum seruandarum haberi debeat, ex Christi verbis collegisse. ex quibus nullo modo concludi potest, vel minimum quidem Dei mandatum posse infringi, tunc etiam cum de anima seruanda agitur.

3. Quare, quod ais, cum animæ, quas seruare debemus, seruari non

ri non possunt sine perditione illarum animarum, quas, vt seruemus, nobis mandatum non est, debere nos potiùs has perdere, quàm, vt illæ pereant, permittere, hoc, inquam, a te ineptissimè concluſum fuit, cum nec vllæ sint animæ, quas, cæteris posthabitis, omnino seruare debeamus, sed omnes nobis, cum id sine alicuius diuini mandati violatione fieri potest, seruandę sint, & quamuis Deus non iusserit, vt omnino quasdam animas seruemus, tamen per Christum mandauerit, vt nullas omnino perdamus. Ex quo fit, vt priuati homines, quibus gladius a Deo datus non est ad perdendos eos, qui malè faciunt, si Christo, Deoque obedire velint, vel cum totius mundi salute, ne vnam quidem, eamque minimam animam perdere vlla ratione possint.

Hæc erant ferè, quæ mihi aduersus ea, quę in priore tuo scripto ad tuam de bello a christianis hominibus gerendo sententiam confirmandam attuleras, dici posse videbantur. Animus autem erat ea quoque refutare, quæ in posteriore scripto ad idem probandum vel tacitè, vel apertè dixisti. Sed nihil mihi hucpertinens in eo animaduertisse sum visus, quod priuata refutatione indigeat, quodque vel a te iam in priore scripto dictum non fuisset, vel a me in superioribus disputationibus abunde confutatum non fuerit. Quare ad alterum vniuersę disputationis caput veniendum est, &, quam vim ea argumenta habeant, quibus, vtdictam acceptarum iniuriarum homini christiano expetere ope magistratus licere, ostendere conatus es, diligenter inspiciędum.

CAPVT II. Iam verò, antequam aliud agamus, animaduertendum est, te non vno in loco, vt supra ex parte visum est, aduersariis obiicere, quod omnia iudicia Christianis interdicta esse velint, & sua per iudices repetere nulla ratione illis concedant. Quod tamen ego ipsos sentire, non putauerim, sed tunc demum ista christiano homini haudquaquam permittere, cum vindictæ expetitionem quoquo modo coniunctam habent. quemadmodum satis constare videtur ex eo, quòd pag. 62. cum dixissent, iudicia, seu lites iudiciales piis interdictas esse, illico addunt verba illa, *ut statim expectes Christi uerbis & Apostoli etiam audiemus.* Christi enim verba, vt alibi a nobis demonstratum fuit, de non retalianda iniuria omnino agunt, nec aliter aduersarii tui ea vbique accipiunt, sed semper, vindictam

vindictam per iudices expetēdā iis interdictā esse, aiunt. vt patet ex illis, quę modò recitatis verbis statim subiiciūt, *Post hæc nec uindicādū esse ullo modo siue per se, siue per iudices docet*, &c. Et pag. 63. *Ad hæc expressis uerbis uindictā per iudices expetēdā uetat. Nam cum dicit: Si quis uelit tecum iudicio cōtendere*, &c. Pag. verò 65. in ipso initio sic loquūtur. *Deinde uerò & hoc expēde quid esset ad rem, præcipere ut alterā maxillā obuertat, ut scilicet grauius quam pro una à Magistratu puniretur accusatus, & dare aduersario palliū ad momentum, ut statim illud repeteret per Magistratū, cū eius infamia & uindicta grauiore.* & pag. 69. *Mercedem quoque illis repositam in cœlis (nō apud Iudices si se ulciscātur per eos) toties ingeminat, ne præ hac terrena illius obliuiscātur. Et filij quidem huius seculi hanc præcipuā esse reputantes, quia de illa cœlesti nihil sciunt nec cogitāt, nihili faciunt illā centupli mercedem, pluris æstimantes, si talionem per Iudices extortam receperint.* Et denique pag. 70. *Summa uerò hæc sit: Si à Deo uindictam expetere in aduersarios non licet, quomodo uindicare apud Magistratum licebit?* Ex quibus omnibus Racouiēsium verbis apparet, eos non modò Christi præceptum, quo suam de litibus iudicialibus sententiam confirmare studeant, ita accipere, vt tunc locum habeat, cum de vindicta, & talione agitur, verùm etiā nihil aliud vrgere, nisi homini christiano vindictam, seu talionem per magistratum expetere non licere. quæ satis, superque esse videntur ad demonstrandum, ipsorum sententiam de litibus forensibus eam esse, quam supra diximus, nec negari ab ipsis, tunc posse christianum hominem sua per magistratum repetere, cum id fine vltione, & pœna aliqua alicui infligenda fieri potest. Nam, quòd eius quoque Christi præcepti meminerunt, quod est apud Lucam de non repetēdis sibi ablatis ab eo, qui abstulit, & ad iudicia illud quoque retulerunt, in quo tamen nullius vltionis, aut talionis repetendæ fit mentio, sciendum est, ipsos Christi verba de rebus violenter, aut certè per manifestam malitiam ablatis accepisse, vel teipso teste, vt perspicuum est ex iis, quæ scribis pag. 237, & 238. quod ipsorum verba sanè docent. quæ sic habent pag. 63. in fine, *Et adhuc apud Lucam apertè dicit, res ablatas ab aduersario non repetendas.* Certè per iudices intelligit, quod sub lege latet. Nam si non liceret per teipsum repetere, quanto magis per Iudices, quibus aduersarij malicia patefacienda foret, & cum eo contendendum. Atqui, cum de rebus per violentiam, aut manifestam malitiam ablatis repetendis

Luc. 6. 30.

tendis agitur, tunc neceſſe eſt ferè, vt de vltione ſimul, ac pœna agatur illius, qui abſtulit. Atq; huc neceſſariò referenda ſunt Racouienſium verba, quæ, concludentes, ſtatim ſubiiciunt, *Non eſſe ergo licitam pijs prouocationem ad iudices, quod ſub lege ſingulis licuit, aperte hic Chriſtus docet.* Quod verò attinet ad Apoſtoli verba, fateris ipſe, ibi de iniuria, & fraude agi, vt ex iis apparet, quæ ſcribis pag. 161, & 162. quod ſanè indicare videtur apertè ea, quæ poſtmodum ab apoſtolo ſubiiciuntur, *Sed uos iniuriam facitis, & fraudatis.* Quam-
1. Cor. 6. 8. quam tu ita Pauli monitionem illam accipis, vt non a litigando, & ſuis per iniuriam, & fraudem ſibi ablatis per magiſtratum repetēdis, ſed ab alienis magiſtratus ope rapiendis Corinthios deterrere velit. Immo ex Pauli verbis rerum ſuarum per iniuriam ablatarum apud magiſtratum repetitionem confirmari velle videris. qua de re poſtea videbimus. Aduerſarios autem tuos Pauli verba ad vltionem per magiſtratum expetendam retuliſſe, indè conſtare poteſt, quòd pag. 64. eorum verborum ſententiâ recitatâ, ſtatim ſubiungunt, *Et alias ultionem Deo commendandam, non alicui homini, docet.* Cæterùm, quòd ſupra dicta pag. 62. non ſolùm dicunt, lites iudiciales piis interdictas eſſe, ſed ob eam cauſſam iuramentorum forenſium nullum vſum futurum aiunt, vnde perſpicuum eſſe videtur, omnes prorſus iudiciales lites piis interdictas eſſe, ipſos cenſuiſſe, Conſiderandum eſt, eius, quod frequentiùs euenire ſolet, habitā ab illis fuiſſe rationem. Vix enim (præſertim in certis quibuſdam regionibus) ſuum per iudices repeti, & litigari poſſe videtur, quin ſimul aduerſæ parti alicuius grauioris mali periculum creetur. Non igitur dubito, quin Racouienſes non omnes iudiciales lites, omnemuc ſuarum rerum per iudices repetitionem Chriſtianis interdici exiſtiment, ſed illas tantùm, quç vltionem quamdam ſecum coniunctam habeant. Quòd ſi tamen omnes interdictas eſſe velint (id quod vt credam, adduci prorſus nequeo) ego id tantùm, quod iampridem dixi, defendendum mihi ſuſcepi. His ad hunc modum explicatis, nunc ad tua pro contraria ſententia argumenta veniamus.

1. Primùm igitur pag. 37. per magiſtratum malo reſiſti poſſe, nequaquam id Ieſu prohibente, ex eo oſtendere conaris, quod Ieſus dixit, *Obnoxius erit iudicio*, & alibi ait, *teſtimonium perhibe* (addis autem
Matth. 5. 22. Ioh. 18. 23.

autem de tuo Et accusa) *de malo*, & illa quoque verba protulit, *ne quando tradat te aduersarius iudici.* Post quæ verba addis, *Eo pertinent & sequentia* (videlicet post præceptum illud *Non resistere Malo*) *ne patiamur trahi in iudicium ab eo, cui abstulimus sua, ne cogamur iudicio confecto perdere & sua & nostra, Et ne ab illo expectemus uocari in ius, cui onus aliquod contra ius imposuimus: Ne cogamur per iudicem eadem quæ alijs intulimus mala in duplum referre.* Hactenus verba tua. Ex quibus sine dubio, quemadmodũ ex pluribus posterioris tui scripti locis apparet, & quæ in margine hoc loco adscripta sunt, demonstrant, id potissimùm probare in animo habes, Christum iudicia non abrogare, sed approbare. 1. Et quamquam in prima responsionis nostræ parte cap. 5. satis disputatum est, locorum, quos hìc citas (præter illum *testimonium perhibe de malo*) vel te ipso teste, eum sensum esse, vt humana & ciuilia iudicia iis minimè confirmentur, tamen quia nos ea a Christo approbari vltro concedimus, tamquam si id rectè a te, iis citandis, probatum fuisset, dicimus, istud nihil ad rem facere. Etsi enim Christus politica iudicia approbat, id est suis dictis ciuilem magistratum confirmat, non tamen ei, qui iniuriam passus est, ope magistratus vindictam expetere, atque ea ratione Malo resistere permittit. Sed tantùm ipsi magistratui, vel ex officio, vel si is tamen qui læsus est, accuset, aut alius quispiam deferat, in eum vindicare concedit, qui alteri iniuriam fecit. 2. Nec verò, cum ait, *ne quãdo tradat te aduersarius iudici*, eius, quod fieri ab homine christiano iure possit, sed eius, quod a quouis homine fieri contingat, rationem habuit. 3. Cum autem ait, *testimonium perhibe de malo*, etiamsi coram magistratu vterque esset (si modò pontifex ille magistratus, qualem hoc loco intelligere debemus, censendus est) non tamen magistratus rationem aliquam habuit Christus, cum ad eum modum ei, qui se percusserat, respondit. quasi dicere voluerit, Hic coram magistratu me accusa, si malè locutus sum. Nam quomodo accusationi locus esse poterat, si cum ipso magistratu ea verba fecerat Christus, propter quæ ille ipsum cæciderat? Nonne perspicuum est, Testimonium perhibe de malo, eo in loco nihil aliud esse, quàm, Doce, cur malè sim locutus? Namque Docendi vim, præsertim apud eumdem euangelistam, alibi quoque verbo μαρτυρεῖν inesse, quod verbum in vulgata editio-

Matth. 5. 26.

ne est Perhibere testimonium, inter alios demonstrat locus ille,
Ioh. 7. 7. *Non potest mundus odisse uos, me autem odit, quia ego testimonium perhibeo de illo, quòd opera eius mala sunt.* Ibi enim sine dubio Testimonium perhibeo idem valet, quod Doceo, & demonstro. nam simplex de suis malis operibus Iesu testimonium parui fecisset mundus, nisi
Palæologi confidentia. simul, id ita se habere, Iesus apertè ostendisset. Propterea tu ea, qua soles, cõfidẽtia & hîc, & pag. 153, & 236, & 248. tamquã ab ipso Christo dictum, verbum Accusandi eius verbis admiscuisti, immo pro verbo Perhibendi testimonium substituisti, vt scilicet, accusare coram magistratu per Christum licere, confirmares, nihil interim animaduertens, non de qualibet accusatione hîc quæ-
Palæologi incogitantia. ri, sed de ea tantùm, quæ sui vlciscendi gratia instituitur. qualis certè non fuisset ista, cum Christus suum illum percussorem, a quo accusari debuisset, nec vlla ratione læsisset, nec ipsi percussori Iesisse visus esset, sed dumtaxat summo sacerdoti superbè nimis respondisse.

11. Quoniam, vt supra monuimus, ex iis, quæ Paulus prior ad Corinthios epistola cap. 6. scribit, colligere videris, licere christiano homini per magistratum res suas sibi per iniuriam ablatas repetere, nec vllam distinctionem adhibes, an id cum pœna, aut detrimẽto auferentis fiat, nec ne, siue vtrùm cum vltione aliqua id sit coniunctum, an secus, operæpretium erit ostendere, ex Pauli verbis nihil tale colligi posse. Pag. igitur 161. breuiter ais, Paulum eo in loco nihil aliud agere, nisi vt eos reprehendat, qui aliena in iudicio petebant, & suis rebus fraudare alios tentabant. Pergens autem in initio pag. 162. hæc verba scribis, *Hic est sensus uerborũ Pauli, quibus legitimus Magistratus & legitima iuris dicendi forma suffragio Pauli confirmatur, & dicitur sua defendere, ne alieni illa rapere, per iniuriam debeant, & per legitimum Magistratum sibi addicere, quærere & petere licere christiano homini.* Iam verò finge, sensum verborũ Pauli eum esse, quem supra dixeras, quomodo (quæso) audes affir-
Palæologi audacia. mare, Paulum hæc dicere? Nam quæ conclusio fuerit ista? Non licet aliena in iudicio petere, & suis rebus alios fraudare. Ergo sua in iudicio, ne per iniuriam rapiantur, defendere, & sibi addicere per legitimum magistratum licebit. Certè hac eadem ratione sic concludere poterimus. Non licet extra iudicium aliena rapere,

rapere, vel rapta retinere. Ergo sua extra iudicium, ne rapiantur, defendere, & rapta repetere licebit. Quamquam tu, vt vidimus, non quidem ex Pauli verbis id, quod quæris, cõsequi ais, sed (vt nimirum de audacia tua multò euidentiùs constaret) in eius verbis id dici affirmas. Præterea, qua ratione defendere potes, Paulum ibi non quidem lites illas simpliciter detestari, sed aliena in iudicio petentes damnare, cum ea verba dicat: *Quare non magis iniuriam accipitis? Quare non magis fraudem patimini?* Hinc enim apparet, eum velle potiùs, vt quis & iniuriam, & fraudem sibi fieri sustineat, quàm, vt litiget. Itaque necesse est, istum, quem a litigando dehortari vult, in hasce difficultates cõiectum esse, aut certè coniici posse, vt aut litiget, aut iniuriam, fraudemque patiatur. Hoc autem neutiquam de eo dici potest, qui aliena petit, sed de eo dici necesse est, a quo aliquid vel petitur, vel aufertur. Hoc ipse animaduertens, conatus es verba Pauli ita interpretari, vt non ad rem præsentem, sed ad id, quod fieri, nescio quo modo, posset, accommodentur. Sic enim ais, *Qui cum inter duo mala constitutus, perdere sua bona & rapere aliena, potius sua perdere deberet, quam aliena rapere, oblitus legum christianarum cum periculum nullum sit ut perdat sua, conatur rapere aliena.* Atqui hoc tuo commento nihil aliud agis, quàm ostendis, Paulum de istiusmodi homine in prædictis verbis loqui non posse, cum tu hominem istum in nullo periculo esse dicas perdendi sua, & Pauli verba, vt paullo ante dictum est, de eo manifestè agãt, qui iniuriam accipere, & fraudem pati possit, & sic suis bonis periclitetur. Præterea vix vmquam contingere poterit, vt quis inter hæc duo mala sit constitutus, vt vel aliena rapere, vel sua perdere cogatur? Vnusquisque enim in ciuili ac priuata vita (nam extra hos fines saltem vagari Pauli oratio non debet) si velit, vel sua cõseruare posse videtur, etiamsi aliena non rapiat, vel nullo modo, ne aliena quidem rapiendo, sua conseruare. Quocirca ridicula planè ista tua verborum Pauli interpretatio censeri debet. At enim (dices) Paulus ea verba addit, *Sed uos iniuriã facitis, & fraudatis, & hoc fratribus.* ex quibus apparet, eum non de iis loqui, qui in periculo essent perdendi sua, sed de iis, qui aliis, quod suum erat, eriperent. Respondeo, Paulum de vtrisque locutum fuisse, nam vtrique in Corinthiorum

Palæologus ridiculus.

ecclesia erant. & quia ad vtrosque simul scribebat, propterea inter ipsos minimè distinxisse, sed, tamquam vnum quempiam hominem, totum illud ecclesiç Corinthiorum corpus considerasse. Cum igitur in ea ecclesia essent, qui iniuriam, & fraudem non quidem in iudicio, sed priuatim fratribus facerēt, & rursus, qui ne iniuriam, & fraudem paterentur, ad iudices decurrerent, vtrosque vnica appellatione complectens, hos primùm reprehendit apostolus, & dicit, satius esse, vt damno afficiantur, quàm vt cum fratribus litigent. deinde illos, tacitè a minore ducto argumento, acriter increpat. Ac si diceret. Si illi inter vos digni sunt reprehēsione, qui non potiùs damnum æquo animo ferunt, quàm vt cum fratre litigent, quantò magis alteri illi ex vobis reprehendi sunt, qui damno fratres afficiunt? Et sanè vehementer cupandi estis, postquam inter vos non tantùm iniuriarum impatientes reperiuntur, sed etiam ipsis fratribus inferentes iniuriam. Hanc Pauli mentem esse cōfitebitur (credo) quisquis rem ipsam, & apostoli verba paullo diligentiùs expenderit.

III. Ex iis, quæ pag. 236, & 237. scribis, hoc tuum argumentum apertè colligitur ad probandum, licere homini christiano alterum de iniquitate coram magistratu accusare. Cuicumque licet prouocare, eidem de iniquitate alterum coram magistratu accusare licet. Sed homni christiano licet prouocare. Igitur homini christiano alterū de iniquitate coram magistratu accusare licet. Vt autem tui argumenti propositionem probes, ais, prouocationem nihil aliud esse, quàm accusationem ad superius iudicium (sic enim loqueris) de iniquitate iudicis. Assumptionē verò Pauli exemplo confirmas, qui Cæsarem appellauit. Affers prætereà

Act. 25. 11.

Acto. 5. 29.

Apostolorum exemplum, qui dixerunt, magis obediendum esse Deo, quàm hominibus, Nam, cum hoc dicerent (inquis) ad superius tribunal prouocauerunt.

Ista tua argumentatio pluribus de caussis nihili est facienda. Primùm enim illud animaduertendum est, etiamsi probares, posse hominem christianum accusationem de iniquitate alterius coram iudice instituere, non tamen necessariò aliquid contra Racōuiensium sentētiam, quam nos defendendam suscepimus, probatum iri. Potest enim fieri, vt quis alterius iniquitatem ad magi-

strarum

stratum deferat, & tamen nullam interim vindictam expetat, nullumque illi periculum creet. Exemplum ex iis peti potest, quę alibi supra de rebus suis a prędonibus ablatis per magistratum repetendis disputauimus. Et sanè in ista iniquitatis accusatione, quā tu prouocationi inesse vis, nec vindicta expetitur, nec alicui vllum periculum creatur. vt mox videbimus. Nam quid deinde est, quod ais, prouocationem nihil aliud, quàm accusationem esse ad superius iudicium de iniquitate iudicis? Est quidem prouocatio instituta, vt, si quis a iudice contra se iniquam sententiam latam esse arbitretur, ea vt reuocetur, curare possit, non tamen, verè ac propriè loquendo, iudex iste in prouocatione coram superiore iudice iniquitatis accusatur, nec contra ipsum iudicium aliquod instituitur. Sed id tantùm quęritur, ne eius sententiæ stetur, &, vt caussa coram alio tribunali cognoscatur. Euentus autem prouocationis id manifestè ostendit. Nam, etiamsi a superiore iudice inferioris sententia reuocetur, & rescindatur, non tamen inferior iudex ob eam rem vlla ratione punitur, aut vllū ex ea re damnum sentit. Cum iudex ob sentētiam iniquè latam, siue dolo malo, siue per imprudētiam id fecerit, accusatur, & punitur, non per prouocationem ad superiorem iudicem illud fit, nec (nisi fortasse, cum de ipsius dolo agitur) donec prouocationi est locus, sed contra ipsum iudicem, qui iniquam sententiam tulit, nominatim iudicium instituitur, cum iam eius sententia in rem iudicatam transiit, ex qua læsum quis se esse sentiat. Hæc dum a te non animaduertuntur, in turpe erratum es lapsus, prouocationem inquiēs nihil aliud esse, quàm accusationem ad superius iudicium de iniquitate iudicis. Ex quo apparet, argumenti tui propositionem non modò a te probatam non fuisse, sed etiam falsam esse. præsertim, quatenus ea ad propositam quæstionem de vindicandis per magistratum iniuriis pertinere possit.

Palæologi erratum.

Iam assumptio etsi vera est, tamen perperam omnino tu eam probare tentasti. Quare, quod ad disputationem ipsam attinet, ea pro falsa haberi potest. Nam quid habet commune Pauli appellatio cum prouocatione, de qua in tuo argumēto agitur? Neque enim Paulus de iudicis alicuius iniquitate conqueritur, tamquam iniquam sententiam contra se tulerit. quippe cum nulla ad-

huc sententia in eius causſa a quoquam lata fuiſſet. Sed tantum-
modo, tamquam minùs competentes iudices, eos, qui ſibi pro-
poſiti erant, reiicit, & vnum Cæſarem pro competente ſibi iudi-
Palæologus de- ce agnoſcit, eumque appellat. Sed tu nimirum, verbi Appellan-
cipitur. di ambiguitate deceptus, inter appellationem, & appellationem
non diſtinxiſti. Appellat is, qui ſententiæ iam a iudice inferio-
re latę, tamquam iniquę, ſtare non vult, & a iudice ſuperiore caul-
ſam ſuam cognoſci petit. & de hac appellatione, ſeu prouocati-
one loquitur argumentum tuum. Appellat is etiam, qui ante iu-
dicium cœptum, non a ſibi propoſito iudice, tamquam ſibi mi-
nus competente, ſed ab alio quopiam cauſſam ſuam vult cogno-
ſci, ad quem propriè cauſſę cognitionem pertinere contendat. &
hæc fuit appellatio Pauli, cum Cæſarem appellauit. Propterea,
antequam ea verba protuliſſet, *Cæſarem appello, ſic locutus fuerat,*
Act. 25. 10. *Ad tribunal Cæſaris ſto. ibi oportet me iudicari.* Nec verò Paulus, cum
Cæſarem appellauit, ſua ſponte id fecit, idue ſibi præcipuè pro-
poſuit, vt iniquum iudicium vitaret, nedum vt de iniquitate iu-
dicem aliquem accuſaret, ſed (vt ipſe & cõfiteris ſimul, & virges)
id inſtinctu ſpiritus ſancti factum eſt, vt ea ratione Paulus Ro-
Act. 23. 11. mam perduceretur, atque ibi, quemadmodum dominus Ieſus illi
prædixerat, de ipſo Ieſu teſtaretur, idque ſub iniquis iudicibus,
vt euentus manifeſtè comprobauit. eorum enim iuſſu tandem in-
terfectus eſt. Et certè, ſi Paulo ſuum ipſius commodum propo-
ſitum fuiſſet, haud veriſimile eſt, eum Cæſarem appellaturum fu-
iſſe. hac enim ratione videre poterat, ſe a Feſto reſponſum illud
accepturum, quod accepit, *Cæſarem appellaſti, ad Cæſarem ibis,* & vix
futurum, vt liberaretur. quod alioquin facilè fieri poſſe appare-
Act. 26. 32. bat. vt res ipſa oſtendit. Nam & rex Agrippa dixit, *Dimitti poterat*
homo hic, ſi non appellaſſet Cæſarem.

Quid autem eſt, quod ais, Apoſtolos ad ſuperius tribunal
prouocaſſe, cum dicerent, Deo magis obedire oportere, quàm
Palæologi er- hominibus? An non hic error eſt nulla prorſus excuſatione di-
ror. gnus? De nullo enim iudicio loquuntur Apoſtolorum verba, ſed
tantùm de imperio. Vt non modò prouocationis, ſiue appella-
tionis, de qua loquitur, argumentatio tua, nullum in ipſorum
verbis iudiciũ extet, ſed ne alterius quidem illius, de qua paullo
ante

ante egimus, & ita nihil penitus ad id, de quo argumēti tui assumptio loquitur, exemplum istud Apostolorum pertineat.

IV. Sed video, magnum aliquod momentum tibi ad vindictam per magistratum expetendam in eo inesse videri, quod ais, Paulum minatum magistratui fuisse, qui se Romanum ciuem contra leges Romanas virgis percuti, & cædi iussisset. Non enim solùm pag. 239. id affirmas, vbi argumenta profers mentis Pauli in iudiciorum materia, sed idem quoque antea pag. 231. obiter affirmaueras, addens expressiùs, Paulum ibi minari, se delaturum iniuriam ad magistratum superiorem.

Atqui, Palæologe, insigniter hac in re hallucinaris. Neque enim Paulus aliquid minatur. & eius verba, ex quibus tu eum minari colligis, aliò, quàm, quò tu putas, referuntur. Sunt autem ea verba Act. 16. ℣ 37. Cum enim Paulus, & Silas Philippis, postquam magistratuum iussu virgis cæsi fuissent, in carcerem coniecti essent, miserunt magistratus lictores ad carceris custodem, iubentes, vt eos dimitteret. Quod audiens Paulus, etsi iam diuina ope vnà cum Sila liberatus erat, sic eis dixit, *Cæsos nos publicè indemnatos homines Romanos miserunt in carcerem, & nunc occultè nos eijciunt? Non ita, sed ueniant ipsi, & nos eijciant.* Vbi (quæso) hîc minæ apparent, præsertim deferendi iniuriam ad superiorem magistratum? Ego sanè nihil aliud video, quàm Paulum noluisse, se, & Silam occultè dimitti, sed, quemadmodum publicè, tamquam sontes aliqui ac malefici, cæsi, & carcerati fuissent, sic etiã publicè, tamquam insontes, liberari. vt ipsorum innocentia patefieret, ne aliquo Iesu Christi nomen, cuius ipsi legati erant, malè audiret, & euangelicæ prædicationis cursus per ipsos institutus ea ratione impediretur. quod vt faciliùs obtineret, iniuriam sibi, & socio factam commemorauit, &, quòd ciues Romani essent, addidit. Nam certum erat, hoc audito, plus etiam, quàm ipse petiisset, magistratus illos præstituros, qui, etiamsi planè compertum habuissent, Paulum iniuriam suam numquam delaturum, tamen, cum iam ipsi per se eum vnà cum socio dimittēdum censuissent, deinde verò, propterea quòd ciues Romani essent, haud leuiter se errasse, animaduertissent, omnino, vt errorem suum aliqua ex parte emendarent, id, quod petitum a Paulo fuerat, ipsi sua sponte

Palæologus hallucinatur.

feciſſent,

feciſſent. præſertim, cum citra Pauli ipſius delationem ſuperiori magiſtratui omnia, quæ geſta erant, patefactum iri, admodum veriſimile eſſet. qui ciuibus Romanis grauem factã iniuriam, nec vlla ratione (vt ita dicam) correctam non planè impunitam eſſet relicturus. Nullæ igitur prorſus ſunt hîc Pauli minæ, ſiue verba, ſiue ſentẽtiam ſpectes, quamuis tu, ne tibi vſquam hac in parte ſis diſsimilis, ſatis confidenter Paulum, ſe iniuriam ſibi factam delaturum, comminantem facias.

Palæologi confidentia.

V. Verùm quid dicemus de tua illa argumentatione, quæ pag. 246. continetur? Ais enim, *Si pro inflicto colapho, ſi pro euerſis bonis pro ui non licet ad iudicem accedere Chriſtiano homini, nec licebit Chriſtiano homini in his cauſis, iudicio præſidere. Quod enim non licet petere non licet redere, & frigeret Iudex ſi nullus ad iudicem accedere poſſet.*

Certè, cum iam ſæpiſsime, qualia ſint argumenta tua, experti ſimus, non ampliùs mirari debemus, te ita pueriliter argumentari. 1. Primùm enim, quòd affirmas, non licere reddere id, quod petere non liceat, quis vmquam tibi iſtud concedet, qui nouerit, Deum poſſe eos, qui iniuriâ nos lædunt, vlciſci, cum tamen nobis a Deo contra ipſos vindictam petere non liceat, vt a nobis ſupra, quidquid tu aduerſus hanc certiſsimam veritatem attuleris, demonſtratum eſt? Præterea, an non ipſe pag. 252, 253, & 254. apertè fateris, per Chriſti præcepta nobis præciſam eſſe viam decurrendi ad magiſtratum, ſi eum, qui nos læſerit, facinoris in nos admiſsi pœniteat? Quid igitur, ſi iſte nihilominus a nobis accuſatus fuerit, & in vindicta a magiſtratu contra eum pœtenda nos ipſi perſiſtamus, numquid propter eius pœnitentiam non poterit magiſtratus in eum vindicare? &, cum nos peccemus, & iuſtè coram Deo non poſsimus aduerſus iſtum iniuriã, qua nos affecit, vltionem a magiſtratu petere, ipſe quoque magiſtratus peccabit, nec iuſtè coram Deo poterit ab iſto nobis factæ iniuriç pœnas ſumere, cumque pro merito vlciſci? Profectò, ſi ita rem ſe habere velis, tu is es, qui magiſtratus gladium geſtantis auctoritatem labefactas, eamque otioſam atque inutilem reddis. Vix enim inuenietur, quomodo eam exercere poſsit, ſi omnes impunè habituri ſunt, quos admiſsi facinoris pœniteat, id eſt, vt ipſe pag. 252. tua verba interpretaris, qui ab ſe offenſo dicunt

Palæol. aut ſe ipſum refellit, aut abſurdiſſima dicit, & in eo ipſo peccat, quod aduerſarijs obijcit.

cant per pœnitentiam, Parce mihi. Huc accedit, quòd magistratus eum puniens, qui in alterum iniurius fuit, non illi tantùm, qui iniuriam accepit, sed reipublicæ quoque suum reddit, cuius maximè interest neminem iniuria affici, & iniuria afficientes puniri. Quare, etiamsi alioquin verissima esset, tamen inanis prorsus hic foret regula ista tua, Quod non licet petere, non licet redde-re. neque propterea sequeretur, iniuria afficientem vindicari a magistratu non posse, quamuis is ipse, qui iniuria affectus est, id non possit petere, nisi ipsam quoque rempublicam ea petitione interdici constaret. Mitto quòd, vt tibi pag. 271. & alibi placere apparet, ipsius Dei in facinorosis puniendis caussa agitur, nec eorum punitio sine numinis diuini offensione negligi potest. Itaque (te iudice) ipsi Deo, dum facinorosi puniuntur, suum quodammodo redditur, non modò priuato læso, & reipublicæ.

2. Iam, quod deinde addis, inquiēs, *Frigeret Iudex si nullus ad iudicem accedere posset*, non semel, vt arbitror, a nobis supra confutatum est. cum, vt ibi diximus, nihil impediat, quominus iudex ex officio punire sontes possit. Nec verò, si is, qui iniuriam accepit, ipse accusare non potest, & sui vlciscēdi gratia ad magistratum accedere, vt ue accedatur, curare, idcirco alii innumerabiles accusare non possunt in iis omnibus iudiciis, quæ publica dicuntur, quamuis in ipsis de priuata iniuria agatur. qualia sunt de adulteriis, de sicariis, de vi, de veneficiis, & alia id genus.

Vide Iustiniani imper. institut. lib. 4. cap. ultimo.

VI. Sequitur mirificum quoddam argumentum, quod colligitur ex iis, quæ scribis pag. 248. in fine responsionis ad aduersariorum obiectionem 15. Ais enim, ipsum Christum iniuriæ accusasse illum, qui se coram pontifice cæcidisset, quòd scilicet sine caussa id fecisset. Nam (inquis) *cur me cædis est, sine caussa cædis.* Quòd si Christus ipse magister noster, & exemplar, ad quod nos conformare debemus, de iniuria accusauit, cur nobis idem facere non liceat?

Ioh. 18. 23.

Equidem nescio, an meritò reprehendendus sim, qui huiusmodi tua argumenta commemorem. Quis enim vmquam præter te vel somniasset quidem, christum accusare, quia dicat alicui coram magistratu (si tamen magistratus erat, ad quem scilicet eius rei cognitio spectaret) se propter aliqua verba, quæ dixisset,

percutienti, Si bene locutus sum, cur me cædis? Numquid isto pacto, atque istiusmodi verbis accusatio instituí solet? Annon admonitio, & reprehensio potiùs cēsenda est vnà cum sui extra iudiciali quadam defensione coniuncta? Nonne is, qui cum percussserat, vnus e ministris illius magistratus erat, vnde ab ipso magistratu percussus videri poterat, vt nullus accusationi locus esset? Quid (quæso) efficere in animo Christus habuisset, istum accusando? Num verisimile erat, magistratum illum iniquissimum & ipsi infensissimum ipsius accusationem suscepturum, eique ius redditurum, præsertim contra ministrum suum, qui eam sui causa id fecerat, propter quod accusaretur? Adde quòd, vt modò, & ante submonuimus, haud verisimile est, ad magistratum istum, hoc est ad summum sacerdotem, eiusmodi causarum cognitionem spectasse, sed præsidem, quique ab ipso iudices delegati essent, de iniuriis priuatorum ius reddere consueuisse.

VII. Eadem pag. 248. denuo argumentaris, & ais, *Si licet mihi ea quæ uolens do mutuo, sperare tempore constituto, inter me & illum cui mea pecuniam dedi, recipere, cur non debeo sperare ea quæ mihi per uim sunt ablata, per accessum ad Deum, hoc est, Magistratum, uicarium Dei recuperare?*

Egregia sanè argumentatio, & duarum rerum, tamquam similium, ingeniosa collatio. Quasi verò, cum mutuò datum recipitur, aliquo vel leuissimo quidem damno is, qui acceperat, afficiatur, quemadmodum grauissimo is affici solet, ex cuius manibus per vim ab ipso ablata magistratus ope recuperātur. Nemo enim nescit, quàm graues raptoribus sint constitutæ pœnæ præter ipsarum rerum raptarum restitutionem, præsertim vero hac ætate nostra, in qua plerisque in locis vel propter simplicissima eaque admodum leuia furta homines, magistratu iubente, suspenduntur. Quòd si tamen contigerit, per vim rapta, magistratus ope, sine raptoris damno recuperari posse, eiusce rei causa ad magistratum accedere licere, vt alibi dictum fuit, & ipse cōcedo, nec aduersarii tui negant.

IIX. Supra visum est, te iniurias per magistratum vlcisci licere, ex eo argumentatum fuisse, quòd Christus apud Matthæum ea verba dicat, *ne quando te tradat aduersarius iudici.* Ad quod breuiter mè respondimus, Christum ibi non de eo, quod fieri debeat, sed de

Matth. 5. 25.

de eo, quod fieri contingat, verba facere. Nunc alia ratione ex vniuersa admonitione illa argumentaris. Pag. enim 252. ais, Christum eo loco indicasse, offenso semper licitum esse accessum ad magistratum, cum non moneat offensum, vt parcat, nec ad iudicem accedat, sed offendētem, vt acceleret satisfacere pro iniuria illata.

Hæc tua argumētatio ex simplici coniectura ducta, nihili est æstimanda. & fallacissima est coniectura ista. Quandoquidem non, vbicumque aliquid dici conuenienter potuisset, ibi etiam dictum est, quamuis verisimum sit. Sed necesse est, vt dici non solùm potuerit, sed etiam debuerit. Quid, quòd nullo pacto consentaneum erat, vt Christus eo loco offensum moneret, ne ad iudicem accederet? Nam ibi de iis tantùm agebatur, quæ ad præceptum non occidendi aliquo modo pertinerent, & propterea non de offenso, sed de offendēte verba fieri debebant. præsertim, cum de offenso infra proprio loco agendum esset, vbi videlicet de lege talionis sermo futurus erat. nec tractationes istas confundere decebat. Quod tu minimè vel animaduertens, vel certè cogitans, ineptam istā tuam coniecturam ex Christi verbis duxisti. *Palæologi incogitantia.*

IX. Pergis autem, & eadem pag. 252. ita reipsa argumentaris. Christus apud Lucam monet, vt fratri offendenti, si eum iniuriç nobis factæ pœniteat, ignoscamus. Ergo, si eum non pœniteat, poterimus non ignoscere, & proinde ad magistratum iniuriç nostræ vindicandæ caussa accedere. Atque eadem pag. & pag. seq. affirmas, hanc esse legem charitatis latā a Christo omnibus Christianis, vt tunc demum ab vlciscenda per magistratū iniuria abstineamus, cum facinoroſum admissi in nos facinoris pœnitet. *Luc. 17. 3. & 4.*

Hic Palæologe grauiter es lapsus, qui non animaduerteris, quo sensu Christus apud Lucam dicat, ignoscendum, siue, vt ibi scriptum est, dimittendum esse fratri pœnitenti. Non enim de non vindicanda tantùm iniuria ibi agit Christus, sed etiam, idq; præcipuè, de non reiiciendo aliquem, tamquam minimè verum fratrem, omnino loquitur. quemadmodum Matthæi locus cap. 18. qui Lucę loco, vt ex antecedētibus apparet, sine dubio respondet, manifestum facit. Sic enim apud Matthæum Christus loquitur, *Si peccauerit in te frater tuus, uade, & corripe eum inter te, & ipsum* *Palæologi lapsus.*

ſolum. Si te audierit, lucratus es fratrem tuum. En tibi, quid potiſsimùm ſit apud Lucam pœnitenti fratri ignoſcere, ſiue dimittere. nempe illum pro vero fratre agnoſcere, qui antea non erat, id eſt, per peccatum ſuum eſſe deſierat. Siquidem iſta apud Matthæum verba, *Si te audierit, lucratus es fratrem tuum*, non tam conſecuti effectus, quàm officii admonent. Perinde eſt enim, ac ſi dictum foret, Si te audierit, cum operâ tuâ factum ſit, vt frater tuus verè denuo extiterit, eum cõplectere, nec ampliùs illi negotium faceſſe. Itaque, ſicut verba illa apud Lucam, *Si peccauerit in te frater tuus, increpa illum, &, ſi pœnitentiam egerit*, idem prorſus declarãt, quod illa apud Matthæum, *Si peccauerit in te frater tuus, uade, & corripe eum inter te, & ipſum ſolum. Si te audierit*, ſic neceſſe eſt, vt, quę vtrobique ſtatim inferuntur, & imperfectum ſermonem concludunt, eamdem ſententiam contineant, & idcirco idem re ipſa ſit apud Lucam Dimitte illi, quod apud Matthęum Lucratus es fratrem tuum. Fateor igitur, ſi quis in nos iniurius fuerit, &, a nobis priuatim monitus, nolit peccatum ſuum confiteri, & emendare, nos non modò poſſe, ſed etiam debere illi non dimittere, vt a contrario ſenſu ex Christi verbis apud Lucam colligi poteſt, id eſt, vt ex Matthæo liquet, non debere nos eum pro vero fratre agnoſcere. Sed quid faciendum eſt? Illud nimirum, quod ibidem apud eumdem Matthæum dilucidè Chriſtus explicat. Monendus eſt iſte iterum, adhibito adhuc vno, aut altero teſte. quòd ſi ne tum quidem reſipuerit, ecclesiæ illius loci res tota patefacienda eſt. Cui ſi iſte morem gerere noluerit, tum nobis, tamquam membrum a reliquo corpore ſeparatum, eſt habendus. & hoc eſt Illi non dimittere. Quocirca tantum abeſt, vt ex domini Ieſu verbis apud Lucam colligi poſsit, nos poſſe ad ciuilem magiſtratum eum deferre, qui, cum nos iniuria affecerit, reſipiſcere nolit, & illum puniendum curare, eaque ratione iniuriam nobis ab eo factam ſarcire, vt ſi, quemadmodum fieri decet, Matthæus interpres adhibeatur, inde omnino colligi debeat, in non remittenda iniuria non poſſe nos vlteriùs progredi, quàm, vt eum, qui nos iniuria affecit, ad eccleſiam deferamus, &, ſi peccatum ſuum agnoſcere recuſet, pro fratre ampliùs non habeamus.

Erras igitur vehementer, cum verba Chriſti apud Lucam ad aliquam

aliquam offensæ, condonationem accõmodas ab ea cõdonatione
separatam, quæ illi (vt ita dicam) non-cõdonationi opponitur,
de qua apud Matthæum agitur. Certum enim esse debet, Chri-
stum condonationem istam suis verbis complexum fuisse, deque
ea potissimùm egisse. Alioqui sequeretur, nos nullo modo con-
donare iniurias posse, aut saltem debere, nisi iniuria afficientem
pœniteat, quod & falsissimum est, & a te ipso, vt statim videbi-
mus, negatum. Nam quòd in initio pag. 253. non obscurè inter
condonationem, quæ corde fit, & eam, quam extrinsecam recon-
ciliationem appellas, distinguere videris, & tacitè verba Christi
apud Lucam ad extrinsecam tantummodo istam reconciliatio-
nem refers, quasi Christus offendentis pœnitentiam non ad cor-
dis interiorem, sed ad externam condonationem concedendam
requirat, quam externam cõdonationem in eo potissimùm con-
sistere vis, ne offensus, sui vlciscendi gratia, ad magistratum acce-
dat, totum, inquam, istud nulla ratione admitti potest. Primùm
enim Christi verba generalia sunt, & indistinctè prolata. nec de
tua ista distinctione quidquam alicubi apparet. Inquit enim sim-
pliciter, idq; bis, Dimitte illi. quę verba sine dubio omnem con-
donationem complectuntur. Deinde distinctio ista tua rationi
minimè est consentanea, duplici de causa.

Vna causa est, quòd nemo ex corde remittit, qui extrinsecus
non reconciliatur, ea præsertim ratione, quam ipse hoc loco in-
telligis, id est, qui a magistratu adeundo contra offendentem non
abstinet. quemadmodum, vt manifestissimas huiusce rei rationes
omittam, ex eo ipso loco apparet, vbi Christus monet, vt vnus-
quisque fratri suo ex corde iniurias condonet, quem tu ad distin-
ctionem istam tuam confirmandam attulisti. Is est in extremo 18.
cap. Matthæi. Etenim in parabola illa, ex qua Christus moniti-
onem suam deriuat, cuique ipsam accommodat, seruus ille con-
seruum suum sibi pauxillulum pecuniæ præ illa, quam ipsi domi-
nus sibi ab eo debitam condonauerat, debentem in carcerem
cõiici curauit, nec inde exire permisit, donec debitum solueret.
quod audiens dominus, condonationem suam reuocauit, istum-
que seruum tortoribus tradidit, vsquequo id omne, quod sibi de-
bebat, exolueret. Et Christus statim addit, *Sic & pater meus cælestis*

faciet uobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus uestris. Ex quo perspicuum est, seruum istum non remisisse ex corde. Vnde verò id colligitur, nisi ex eo, quòd factis ius suum est persecutus, & externam, siue extrinsecam istam tuam reconciliationem non præstitit? Immo istud est Ex corde, siue Ex animo non remittere, Factis scilicet ius suum persequi. Itaque is, qui ex corde condonat, ei opponitur, qui externis factis non reconciliatur. apparet enim istum, si dicat se iniuriam condonare, ex animo non loqui, tantum abest, vt ex corde facta condonatio ab externa reconci-

Palæol. error. liatione distinguatur, & ab ea seiungi possit, vt tu grauissimo er-

rore satis apertè affirmas. Nec verò est, quòd dicas, istum, qui offensus est, ab externa, quam tu intelligis, reconciliatione, nisi offendentem pœniteat, abstinere (ipsa tua verba adscribam) *non propter se, sed propter disciplinam, quam tenentur tueri omnes.* Hic enim

Palæol. error. adhuc grauiùs, id est periculosiùs erras. Nam, si istud verum est, non modò poterit offensus offendentem istum accusare, atque, vt in eum per magistratum vindicetur, curare, sed etiam omnino debebit. quo, vt alibi diximus, nihil iniquius excogitari potest.

Altera causa, cur distinctio ista tua reiici debeat, est, quòd ex ea sequitur, licere quidem eum, qui nos offenderit, ad magistratum deferre, sed non, si priùs eum sui facinoris pœniteat. Cuius tamen diuersitatis nulla ratio reddi potest. præsertim, si tibi ipsi constare velis. Si enim idcirco licet offenso offendentem accusare, vt publica disciplina conseruetur, certè, cum de pulica disciplina conseruanda non minùs in eo puniendo agatur, quem facinoris pœniteat, quàm eo, quem minimè pœniteat, nulla inter vtrumque, quod ad ipsos accusandi potestatem attinet, differentia esse debet. Nam quid (obsecro) facinoroſi pœnitentia, id est ab eo ipso, quem suo facinore maximè læsit, veniæ petitio ponderis habere potest ad legalem vindictam reprimendam? Certè nullam. Docere nos hoc debet id, quod in Israelis populo ex diuina lege per Mosem lata fiebat, & iure ciuili Romanorum, vt arbitror, receptum est. Sub lege quidem Mosaica non modò veniæ implo-ratio ab eo, qui maximè læsus fuerat, sed ne ipsa quidem veniæ impetratio aliquid proderat, quominus de delinquente pœnæ in ipsa lege constitutæ sumerentur, atque hoc idem hodie multis in locis

locis fit. Idemque crediderim in publicis iudiciis, de quibus paulo ante locuti sumus, iure ciuili constitutum esse. Quamuis enim ei, qui iniuriam accepit, satisfactum fuerit, non tamen reipublicę est satisfactum. Vbi verò est illa tanta Dei iustitia, quam tantopere alibi vrges, vt mali malè pereant, & vindicentur malefacta, nec, cum ea de re agitur, proximi dilectionis vlla ratio habeatur, vt legitur libri tui pag. 271. si solâ delinquentis pœnitentiâ, id est veniæ petitione, fieri vis, vt is, contra quem delictum commissum est, non possit curare, vt delinquens puniatur? Nec verò hęc idcirco a me dicuntur, quia in eo te reprehendam, quòd velis, aliquando ad magistratum acceptæ iniuriæ vindicandę causa accedere non licere, in quo etiam te vehemēter laudo, sed vt ostendam, teipsum hac ratione axiomata tua quædam, contra quę supra disputatum est, conuellere, & doceam, nullam distinctionem a te adhiberi rectè posse inter eum, a quo veniam petit is, qui ipsum offendit, & eum, a quo non petit, quod attinet ad accusationem coram magistratu instituendam, &, quando omnino concedis, alterum accusare non debere, alteri quoque accusare non licere, concedendum tibi esse, demonstrem.

X. Ex iis, quæ pag. 267. scribis, huiusmodi tuum argumentum elicitur. Paulus monet, vt a Christianis christianus magistratus constituatur in Ecclesia, qui querelas audiat Christianorum, qui ab aliis Christianis rapinis, & fraudibus offensi fuerint, iisque ius reddat. Igitur, Paulo auctore, christiano homini acceptæ per rapinam, aut fraudem iniuriæ vindictam per magistratum expetere licet. 1. Cor. 6.

Duobus potissimùm modis ostendi potest, ista tua argumentatione nihil effici, quod Racouiensium sententiæ repugnet. Primùm enim, etiamsi, vt supra disputatum fuit, dubium esse non videatur, quin in iis litibus, de quibus eo in loco Paulus loquitur, de fraude vindicanda ageretur, non tamen in eiusmodi caussis a christianis hominibus iudicium ferri, simpliciter laudat Paulus, sed comparatè. Siquidem, vt ante ostendimus, damnat omnino Paulus tales lites, presertim inter Christianos, & potiùs iniuriam, & fraudem patienter ferendam esse docet, quàm harum rerum caussa litigandum. Itaque eius sententia est, Si quis nihilominus

minus pati iniuriam, & fraudem nolit, atque a litigando abstine-
re, præstare saltem sub iudicibus christianis & fidelibus litigare,
quàm sub infidelibus. Atque idcirco rectè a Racouiensium scri-
ptore pag. 64, & 77. dictum fuerat, propter impatientes de iudici-
bus in ipsa ecclesia deligendis Paulum locutum fuisse. Deinde
animaduertendum est, cum de fraude, aut rapina, quam quis pa-
sus sit, iudicabit in ecclesia Christi christianus iudex, eum in sen-
tentia ferenda christianę æquitatis, atque clementiæ fines præte-
riturum nō esse, & satis habiturum, si is, qui rapinā, aut fraudem
fecerat, quod vi, aut dolo alteri abstulerat, id vniuersum restitu-
at. neque id fortasse perpetuò, sed tum demum, si ex ea restitu-
tione summa restituentis inopia, quæ ante ablationem non esset,
consecutura non sit, cum interim is, cui restituendum fuerit, cō-
modè vitam transigere queat, etiamsi aut partem, aut totum eti-
am id, quod suum erat, non recuperauerit. Aliam præterea pœ-
nam fraudis, aut rapinæ nomine iudex iste neutiquam reo infli-
get. Ex quo sequitur, actorem nihil tentasse, quod Christi præ-
cepto, quod extare Racouienses contendunt, de non vlciscenda
per magistratum iniuria, vllo modo aduersetur, & propterea ip-
forum hac de re sententiæ repugnare censendum sit.

XI. Ex supra dictis patet responsio ad id, quod pag. 276. ex Chri-
sti præcepto Matth. 18. colligis, de quo antea egimus. vbi mo-
dus prescribitur agendi cum fratre, qui in nos peccauerit. Nam,
cum Christus dicat, si iste alioqui resipiscere nolit, deferendum
esse ad ecclesiam, Ergo (inquis) *vindicare licet per Ecclesiam, quod per
nos non licet.*

Patet, inquam, ex supra dictis ad tuam istam argumentatio-
nem responsio, cum certum sit, ecclesiam non vindicaturam in-
iuriam alicuius ad se delatam vlla ratione, quę cum Christi præ-
ceptis de iniuriis non retaliandis planè non consentiat, sed tan-
tummodo curaturam, vt is, qui iniuriam fecit, tum demum eam
resarciat, si id sine eius magno malo fieri possit. Sed quid dico?
quasi verò in ea Christi prescriptione aliquid insit, quod ad iniu-
rias aliqua ratione vindicādas vllo modo pertineat. Certum est
enim, Christum, eum agendi modum cum eo, qui in nos deliqué-
rit, præscribendo, nullam prorsus rationem iniuriæ nostræ vin-
dicandæ

dicandæ habuisse. sed tantummodo, vt ille resipiscceret, nos verò charitatis officia illi præstaremus, & interim ecclesia, si opus esset, perpurgaretur, curasse. Nam quantus est error ille tuus, qui verbis, quæ prædicto loco statim addis, continetur! Ea sunt, *Deferre enim ad Ecclesiam erat eius, qui culpam & offensam non poterat conquere.* Dupliciter omnino hîc erras Palæologe. Primùm, quòd, vt satis apertè antea feceras, his verbis tacitè affirmas, de modo acceptam iniuriam vlciscendi in Christi præceptione agi. Deinde, quòd, dum expressè hîc eius rei rationem affers, ex præceptione permissionem facis. *Palæol. error duplex.*

Prius erratum vel ea Christi verba satis coarguunt, *Si te audierit, lucratus es fratrem tuum.* ex quibus apparet, Christum, vt diximus, admonitione sua curare, non vt offenso satisfiat, sed vt offendens offensi operâ, ac diligentiâ resipiscat. Nec verò mutatur hîc Christi admonitionis finis, cum offendentem, qui priuatim monitus resipiscere non vult, ad ecclesiam tãdem deferri iubet. Immo tum maximè id, quod diximus, curat Christus. Nam, qui, vel eo solo, quem offẽdit, vel altero præterea, duobusue aliis monentibus, non mouetur, mouebitur fortasse, si tota ecclesia eum moneat, ipsaque hortante, resipiscet. Quod si non faciat, non tamen quidquam fieri vult Christus, quo vel is, qui offensus fuit, iniuriam suam vlciscatur, vel ipse offendens a resipiscendo retrahatur. Nam quis futurus est, qui, grauissimâ aliquâ iniuriâ accepta, sese probè vindicatum esse existimet, si is, qui ei iniuriam fecit, pro alieno ab ecclesia habeatur? Vbi etiam obseruandum est, Christum nõ ipsi ecclesiæ disertè præcipere, vt iniurioſum istum non resipiscentem a sui consortione separet, atque excludat, quasi hanc pœnam, qua aliqua ratione iniuria vindicetur, & ei, qui eam accepit, satisfiat, isti infligi velit, sed ad ipsum offensum verba sua dirigere, ac dicere, *sit tibi, sicut ethnicus, & publicanus.* Ex quo certum esse potest, potiùs offensum admoneri, vt supra etiam factum fuerat, quid eius officii sit, quàm aliquid ecclesiæ contra offendentem exequendum præscribi. Iam verò nulla commodior, aut aptior ad istum ab errore suo retrahendum, adque resipiscentiam inuitandum ratio excogitari posse videtur, quàm, si tantisper, dum resipiscat, a reliquorum societate separetur, & interim,

2. Thes. 3. 15. vt Paulus monet, non pro inimico habeatur, sed, vt frater, mo-
neatur. Nam, vt ibidem Paulus indicat, facilè ipsum pudebit. &
tandem, si sanabilis fuerit, ad pristinam mentis sanitatem reuo-
cabitur. Vide, quid tu ipse, qui hoc loco, vindicari in istum, af-
firmas, non omnino tibi constans hac de re scripseris pag. 281. in
Palæologus nõ omnino sibi constat. initio, & tota etiam pag. 282. Et hæc quidem, quod attinet ad pri-
us erratum tuum.

Alterum tuum erratum ex eo manifestè coarguitur, quòd
Christi verba in vniuersa illa monitione non permittentia sunt,
sed præcipientia. Vade, & corripe, Adhibe tecum, Dic ecclesiæ,
Sit tibi, &c. Quocirca, etiamsi iste, qui iniuria affectus est, cul-
pam (vt tu loqueris) & offensam optimè concoqueret, ea tamen
omnia facienda essent, quæ ibi Christus monet, & iste nihilomi-
nus iniuria se afficientem ad ecclesiam deferre deberet, nisi prius
vel sibi soli, vel alteri secum, duobusue monentibus auscultasset.
Perperam igitur dictum a te est, deferre ad ecclesiam eius fuisse,
qui offensam concoquere non posset, quasi ei, qui concoquere
posset, vel deferre non liceret, vel certè deferendi nulla necessi-
tas incumberet.

XII. Eadem pag. 276. ad finem hæc tua verba leguntur, *Si licuit Petro non cedere Ananiæ, id quod Ananias donauerat, licebit etiam cuiuis non cedere raptori absque iure suum pallium.* Atque idem repetis pag. 322.

Vix dici potest, quàm insulsa sit hæc argumẽtatio tua, quotque
manifesti errores, ac fallaciæ in ea contineantur. Primùm in eo
Palæol. error. vehementer erras, quòd ais, Petrum quiddã Ananiæ non celsisse,
Act. 5. 3, &c. cum in ipsa historia nihil aliud dicatur, nisi Petrum Ananiæ eius
grauissimum peccatum acriter exprobrasse, qui venditi prædii
tamquam integrum pretium, partem tantummodo quamdam ad
pedes Apostolorum deponens, spiritui sancto, vel potiùs spiri-
tum sanctum mẽtitus esset, eique dixisse, non hominibus, sed Deo
ipsum mentitum fuisse. Non igitur repetiit, seu non celsit quid-
piam Petrus Ananiæ, neque id curauit, vt integrum venditi ab
ipso prędii pretium in Apostolorum, & Ecclesiæ manus deueni-
ret. sed tantùm, vt eius ingens scelus patefieret, ne aliquis inuilis
Ecclesiæ initiis cum spiritu sancto quodammodo ludere, seque
pro eo, qui non esset, Ecclesiæ, atque adeò ipsi Deo venditare
assuesceret.

assueſceret. Deinde in eo erras, quòd affirmas, Ananiam aliquid donaſſe præter id, quod dedit. Credis enim, eum prædii venditi integrum pretium donaſſe. quod tamen aliter ſe habet. Namque aliud eſt donare, aliud ſe donare profiteri. Ananias integrum venditi prædii pretium donare quidem ſe profeſſus eſt, non tamen donauit. Atque eius peccatum non in retinendo eo, quod iam donaſſet, ſed in profitendo, ſe id donare, quod non donabat, fuit. Propterea verbum νοσφίζεσθαι, quo bis in ea hiſtoria vtitur Lucas, potiùs Seponēdi verbo vtrobique interpretādum eſt, quàm Fraudandi, & legendum potiùs Sepoſuit de pretio, & Seponere de pretio, vt doctiſsimis viris viſum eſt, propria & ſimplici verbi ſignificatione retenta, quàm Fraudauit de pretio, & Fraudare de pretio, vt veteri interpreti placuit, tranſlatitia & figurata, licèt vſitata, ſignificatione aſcita. Syriacus quidem interpres priore loco verbo, quod ſimpliciter accipere, ſeu tollere ſignificat, poſteriore verò, verbo, quod abſcondere declarat, vſus eſt. Non fuit autem prædictus tuus error ſilentio prætereundus, vt tantò magis alter appareret, quem ante notauimus, ex quo ſolo manifeſtæ vanitatis tua argumentatio conuincitur, id eſt, Petrum ab Anania nihil repetiiſſe, ſiue illi non ceſsiſſe, euidentiùs conſtaret, cum aliquid ab eo repetendi, ſiue illi non cedendi nullum ius, aut cauſſam haberet. Hoc dico, quia alioquin haud ignoro, quò minor ipſius Ananiæ aliquid dandi obligatio fuiſſet, eò magis ab ipſo ad raptorem argumentum ducere te rectè potuiſſe. *Palæol. error.*

Verùm fac, Ananiam integrum venditæ poſſeſsionis pretium Eccleſię donaſſe, & Petrũ ex eo nihil ei cedere voluiſſe. Nonne conſiderandum eſt, qua ratione id factum fuerit? Quomodo igitur non ceſsit Petrus Ananiæ reliquum illius pretii? Num ſimpliciter id repetendo? Atqui hoc nihil ad rem facit. Nemo eſt enim qui neget, licere a raptore ea, quæ rapuit, ſimpliciter repetere. Num per vim ipſe exigendo, & auferendo? At primùm hoc manifeſtè falſum eſt, cum nec ipſe Petrus illi vllam vim adhibuerit, nec veriſimile ſit, pretium illud integrum ab Eccleſia vnquam receptum fuiſſe. vt nihil dicam, quòd in hiſtoria eius rei nulla fit mentio. Deinde, ſi per vim Petrus ipſe eam pecuniam abſtulit, certè, ſi eius factum in exemplum trahere velis, & rectè

argumentationem tuam concludere, poterimus & nos ipsi ra-
ptore nostra, quæ rapuit, per vim auferre, quod tamen fieri non
posse, ipse concedis, sed per magistratum id fieri vis. Numquid
fortasse Petrus magistratum aliquem adiit, & eius opem ad pre-
tium illud integrum consequendum implorauit? Sed quem, ro-
go, cum ibi nullus nominetur? Deum fortè dices. Sed vnde istud
colligitur? Num ex eo, quòd Ananias repente concidit, atque
expirauit? Quasi verò Deus Ananiam interimere, Petro ad se
propter integrum prædii illius pretium consequendum mini-
mè confugiente, non potuerit, aut quasi ex Ananiæ morte fa-
ctum sit, vt pretium illud integrum ad Apostolorum manus per-
uenerit. Quid, quòd ipse tibi istud subterfugium eripuisti, cum
paullo post pag. 277. dixisti, Deum Petri factum approbasse?
Nam hoc profectò significat, non quidem Deum aliquid fecisse,
vnde Petri ad ipsum confugiētis petitioni satisfactum fuerit, sed
ipsum Petrum id fecisse, quod volebat, Deū autem ipsius factum
Ananiæ morte comprobasse. Sed fac rursus, Petrum Dei opem
ad consequendum pretium illud imploraſſe (quo tamen nihil in-
eptius, aut absurdius dici potest) quid inde sequetur? Certè ni-
hil aliud, quàm nos posse Dei opem implorare, vt ea recupere-
mus, quæ raptor nobis abstulerit. At non idcirco concederetur
nobis contra raptorem ciuilis magistratus opem petere. Nam,
si dicas, Petrum ideo ad Deum confugisse, quia Deus ipse tantùm
in ea causa iudex esse poterat, ad ciuilem magistratum alioquin
accessurũ, si ciuilis aliquis magistratus fuisset, qui ius in ea causa
reddere potuisset, hoc ad excipiendum quidem fortasse aliquid
valere potest, sed ad probandum, prorsus nihil. Nimis enim lon-
gè petitum est, & non probabili aliqua coniectura, verùm inani
dumtaxat quadam opinione nititur, adeò vt istud non coniicere
sit, sed diuinare velle. Quocirca ex eo nullo modo effici potest,
perinde censendum esse, ac si Petrus ad ciuilem magistratum ac-
cessisset, & proinde Petri exemplo nobis ad ciuilem magistratum
accedere licere. nedum, vt eiusdem exemplo acceptæ iniuriæ vin-
dictam per ciuilem magistratum nobis expetere liceat, quemad-
modum probandum tibi est, si Petri, & Ananiæ historiam istam,
quam attulisti, ad rem pertinere velis. Itaque tandem vides, ve-
niueriam

niuersam argumentationem tuam, vti prędixeram, insulsam omnino, atque erroris plenam esse.

XIII. At verò nihil tibi feciſſe videbare, niſi Racouienſes ſuo met gladio (quod aiunt) iugulare tentaſſes. Nam, cum ipſi pag. 71. dixiſſent, per excommunicationem, quam Chriſtum in Eccleſia conſtituiſſe volunt, hominem non tortori, ſed Satanæ tradi, non ex aliqua politia, ſed e cælo excludi, non denique temporali morti, ſed æternæ addici, tu pag. 284, & 285. ex hoc ita reipſa argumentaris. Si homini chriſtiano verbi magiſtratum eiuſmodi gerere licet, quo anima vincîtur, flagellatur, occiditur, & non corpus terrena vita, ſed anima vita æterna priuatur, Ergo chriſtiano homini licebit ad iſtum magiſtratum accedere, &, ſui iuris conſeruandi cauſſa, ab eo petere, vt in eos, qui id meriti fuerint, iſtam poteſtatem exerceat. Quamobrem, ſi quis iniuriam paſſus fuerit, iure poterit curare, vt is, qui ſe iniuria affecit, niſi peccatum ſuum emẽdet, excommunicetur, id eſt tortori Diabolo tradatur, & æterna morte occidatur. quandoquidem, qui in peccato perſeuerat, meritus eſt, vt excõmunicetur. Quòd ſi ita res ſe habet, multò magis homini chriſtiano licebit ad gladii magiſtratum accedere, vt ipſe ſua repetat, is verò qui abſtulit, ſi obedire nolit, tradatur lictori, & tamdiu in carcere teneatur, donec reddat vltimum quadrantem. Quandoquidem hæc ſine dubio illis ſunt minora, & in his minùs læditur proximus, & ipſa charitas, quàm in illis. propter quam proximi, & charitatis læſionem non dubium eſt, quin Racouienſes hæc fieri poſſe negent.

Hęc argumentatio tua ex aduerſariorum dictis deriuata non rectè cõcluſa eſt. idq; quatuor potiſsimùm de cauſsis. Vna eſt, quòd, quamuis aduerſarii tui, cum de excõmunicatione loquuntur, iis verbis vtantur, quæ ſupra commemorauimus, non tamen intelligendum eſt, ipſos ſentire, per ipſam excommunicationem, ſiue ipſius excommunicationis vim hominem æternæ morti addici, vel etiam alia fieri, quæ ibi dicuntur, ſed tantummodo, per excommunicationem declarari, aliquem ęternę morti addictum eſſe, & in illa mala incidiſſe. Nec ſanè inter ipſos Romanæ eccleſiæ theologos deeſſe arbitror, qui de excommunicatione ita ſentiant, quamuis eaſdem locutiones, quibus vſi ſunt Racouienſes,

in ipsius vi explicanda & ipsi vsurpent. Illud certum est, eos, qui a Romana ecclesia desciuerunt, omnes ita sentire, & tamen abeiusmodi locutionibus non abstinere. nec id quidem iniuriâ. Non solùm enim in sacris litteris vsitatum est, vt verba nõ rem ipsam, quam propriè designant, sed eius rei declarationem significent, verùm etiam, cum de iis agitur, quæ ab excommunicatione non longè absunt, nempe de sententiis a iudice ferendis, (est enim excommunicatio sententia quædam lata) proprium quodammodo videtur ista loquendi figura vti. Hinc Iustificare pro Iustum pronunciare, seu declarare, & ex altera parte Impiificare (hic enim propriè sonat vox hebræa) pro Impium declarare, seu pronunciare. vt Deut. 25. ℣ 1, & Prouer. 17. ℣ 15. Quinetiam in eo ipso, quod in Lege euangelicæ excommunicationi planè respondere videtur, id est in separandis leprosis a reliquo populo hac phrasi perpetuò vtitur scriptura. Toto enim cap. Leuit. 13, vbi ea de re agitur, pro eo, quod est Sacerdos eum pollutum, seu contaminatum declarabit, aut pronunciabit, scriptum est in hebræo codice Sacerdos eum polluet, seu contaminabit. quod etiam plerisque in locis a vetere latino interprete retentum est. vt ℣ 11, 30, 25, 27, & 30. Quemadmodum ex altera parte ibidem passim legitur Mundare pro Mundum pronunciare. Quid, quòd, cum de ipsa excommunicatione agitur, eadem locutio vsurpatur? Nam illud, *quæcumque alligaueritis*, nihil aliud esse videtur, quàm Quæcumque ligata esse pronunciaueritis. Quòd si minùs hoc concedatur, Certè verba illa, *quorum retinueritis* (peccata) *retẽta sunt*, idem, vt plerisque placet, significant, quod Quorum peccata retenta esse pronũciaueritis, &c. quod ad excommunicationem accommodari posse, nemo negauerit. Id sanè pleroque sensisse, vel illud demõstrat, quòd locus iste, tamquã superiori respondens, in omnibus latinis codicibus in margine annotatus fuit. Itaque satis constat, te iniuriâ Racouiensibus obiecisse, idque tantopere, vt facis, a pag. 281. vsque ad pag. 287. exaggerasse, & pag. 301, & 311, repetiisse, quòd per ipsam excommunicationem animam occidi velint. Et quamuis fortasse, cum eorum verba id præ se ferant, dici possit, te calumniatum non fuisse, insignis tamen hic planè fuit error tuus, quòd ex consuetudine loquendi ipsarum sacra-

Matth. 18. 18.

Ioh. 20. 23.

Palæol. error.

rum

rum litterarum ea interpretatus non fueris. Atque hæc, quod attinet ad primam ex illis quatuor cauſsis, quæ ſola ſatis eſſe poteſt ad vniuerſam argumentationem tuam diſſoluendam. Sed tamen de reliquis videamus.

Altera igitur cauſſa illa eſt, quam ipſi Racouiēſes eadem pag. 71. afferunt, nempe in excommunicatione locum eſſe reſipiſcentiæ, qui nullus eſt, cum quis a ciuili magiſtratu punitur. Ex quo etiam ſuperior cauſſa confirmatur, & apparet manifeſtè, Racouienſes, cum dixerunt, per excommunicationem animam occidi, nihil aliud ſenſiſſe, quàm declarari, ſi is, qui excommunicatur, in eo ſtatu perſeuerauerit, animam eius perditum iri. adeò vt ne planè quidem iam occiſam eſſe declarari velint. Ridiculum autem prorſus illud eſt, quod pag. 286. ais, quòd excommunicati anima per pœnitentiam reuiuiſcat, id beneficium eſſe temporis, & animæ ipſius, non autem ab excommunicationis natura proficiſci. Ridiculum, inquam, omnino eſt iſtud, ſi alioqui, per excommunicationem verè animam occidi, ponatur. Nam, ſi excommunicatio iam planè hominis animam occidiſſet, vt ciuilis gladius corpus occidit, quid vel animę natura, cum anima nulla eſſet, vel temporis beneficium prodeſſet? Igitur, ſi eius, qui excommunicatur, anima, etiamſi eam occidi velimus, reuiuiſcere poteſt, certum eſſe debet, per excommunicationem nō ita occidi animam, quemadmodum per ciuilem gladiū occiditur corpus. quare non mirum eſſet, ſi priuato homini id curare concederetur, hoc verò minimè. Nam quod ais, eum, qui excommunicatus fuerit, ſi paulo poſt moriatur, Racouienſium iudicio in Tartara præcipitari, idque ſcilicet vi excōmunicationis fieri, non ita ſe habet. ſemper enim reſipiſcere poteſt. Quare, non quia excommunicatus fuit, ſed quia non reſipuit, in Tartara detruditur, & omnino eius anima interimitur. Poteſt autem is, qui excommunicatur, ſi velit, vel in ipſa excommunicationis ſententia ferenda reſipiſcere, & ita animam ſuam omnino conſeruare. Quod longè aliter eſt in iis, qui a ciuili magiſtratu morti addicuntur. corpora enim ſua nullo pacto ipſi ſeruare poſſunt. Et ita inter vtramq; rem apertiſsima differentia eſt, eaque maximi momenti, vt nulla ratione ab vna ad alteram per ſimilitudinem argumētum duci queat. nedum

Palæologus ridiculus.

dum vt, quia earum altera, quę minus detrimenti proximo allatura est, tentari potest, multò magis alteram tentare liceat, vt ex argumentatione tua, si ea admittenda esset, omnino sequeretur,

Sequitur tertia caussa, quæ ex iis colligi potest, quę supra diximus, ostendentes, delationes, quæ fiunt ad ecclesiam, non eò tendere, vt is, qui defertur, puniatur, & multò minùs, vt delator suas iniurias vlciscatur, aut, quod suum est, repetat, nec voluntarias, sed necessarias esse. Quocirca falsum est id, quod in argumentatione tua assumis, &, tamquam ex Racouiensium sententia proficiscens, pag. 284. his verbis scribis, *Licere Christianum hominem ad huiusmodi* (verbi Dei) *magistratum accedere, conqueri & petere sua bona, ut sibi reddatur de iure quod fuerit per uim ablatum, & si non fuerit redditum occidatur ille morte æterna.* Hoc, inquam, prorsus falsum est, cum in eo ad ecclesiam deferendo, qui, si respicere nolit, excommunicandus est, nihil istorum a deferente quæratur, sed tantummodo Christi præcepto obtemperetur. quod aliò respicit, quàm, vt deferenti isti satisfiat. Eò enim respicit potissimùm, quemadmodum alibi dictum fuit, vt is, qui defertur, vel respiscat, vel ex ipsius Christi cœtu eiiciatur, & excludatur. Quamobrem, quid quid ea in re agitur, quod ad deferentis commodum, & satisfactionem pertinere queat, id totum ex accidẽte est, & idcirco nulla hoc loco eius ratio est habenda.

Restat quarta caussa. Ea autem est, quòd falsum est illud, quod in argumentatione tua pro concesso sumitur, aut certè, vt sumatur, necesse est, Racouienses idcirco negare, homini christiano ad ciuilem magistratum suarum iniuriarum vlciscendarũ gratia accedere licere, quia hoc contra christianam charitatem sit, contraque Christi præcepta de dilectione omnium, & alia eiusmodi, quemadmodum ex iis colligitur, quæ scribis statim post paullo ante recitata verba tua. & ex verbis illis pag. 285. *Quoniam, inquiunt, hæc sunt contra charitatem.* exque iis, quæ ibidem contra ipsos disputas. vbi tandem pag. 286. ita cõcludis, *Quare si hoc in Ecclesia Christiana esse non potest, ne uioletur charitas, nec illud eadem ratione esse poterit, quoniam magis per illud uiolatur charitas.* Falsum, inquam, hoc est, cum ista nec sola, nec potissima ratio sit, cur Racouienses id negent. Potissima enim ratio est, quia id nominatim a Christo interdictum

ctum fuit, cum de Legis præcepto agit, *Oculum pro oculo, dentem pro dente*, vt supra satis demonstratum est. Quocirca, etiamsi in excommunicatione persequenda plus læderetur proximus, quàm in ciuili magistratu vlciscendæ iniuriæ caussa adeundo, & nihil præterea esset, quod suadere non videretur, si illud cõcessum est, hoc quoque concessum esse debere, tamen nihil ratio ista contra aduersarios tuos valeret, qui non rationibus, sed expresso Christi mandato nituntur. contra quod nullæ rationes quidquã possunt, nec vllo modo licet, etiam (vt leguleii loquuntur) ex maioritate rationis, ab eius concessione, quod nulla ratione fuerit interdictum, ad concessionem eius, quod planè interdictum fuit, argumentari.

Spero, me id satis præstitisse, quod pollicitus fueram, & non indiligenter ea examinasse, quæ toto tuo libro attulisti ad probandum, licere homini christiano per magistratum iniurias suas vlcisci, & pœnas ab aduersario expetere. nec alicuius momenti ea esse, demonstrasse. Cumque nihil præterea in hac tertia meæ responsionis parte exequendum restet, iam reliquam quartã, Deo annuente, aggrediar.

RESPONSIONIS AD IACOBVM PALÆOLOGVM PRO RACOVIENSIBVS PARS QVARTA.

SI quis, Palæologe, quot hactenus, tecum disputando, certissima errata tua ostẽderimus, animaduerterit, vix fieri posse existimabit, vt aliqua adhuc patefacienda restent. Et tamen tot admanifesta facere, hoc responsionis huius meæ additamentum potiùs, quàm pars, vniuersa reliqua responsione maius futurum sit. Quare, vt ab ipso initio sum pollicitus, insigniora tantummodo quædam colligam, & patefaciam. Insigniora autem ea appello, quæ vel crassiora sunt, licèt minus periculosa, vel maioris momenti

menti esse videntur, & facilè incauto lectori perniciem allatura. Rogo autem te, ne vel hoc factum meũ ægrè feras, vel animi mei ipsius opinione id a me fieri existimes. Nam nec tibi nocere animus est, &, me hominem eumque vulgarem esse, atque idcirco non tantùm errare, sed sæpe etiam, ac grauiter errare posse, satis perspectum habeo. Sed, cum multos esse animaduerterim, qui tibi in rerum sacrarum cognitione plurimùm tribuunt, adeò vt, quicquid de religionis nostræ placitis a te dictum fuerit, facilè arripiant, & inter ea, quæ a te affirmantur, pleraque mihi esse videantur non modò falsa, sed etiam vehementer pernicioſa, quorum in libro tuo, contra quem calamum arripui, non semina tantùm sparseris, sed plantas quoque ipsas non paucas conseueris, haud quidem vt te læderem, sed vt aliis opem ferrem, auctoritatem istam tuam minuẽdam hac ratione esse censui, paratus æquo animo a te vicissim publicè argui, sicubi lapsus fuissem deprehẽsus fuero. Etsi enim nullum periculum est, ne auctoritas mea alicui imponat, quippe quæ nulla sit, & porrò vix vlla causſa esse videatur, cur id facias, meque hac in re quodammodo imiteris, tamẽ æquum est, vt si, dum te reprehendo, temere ipse, quæ reprehensione digna fuerint, effutiero, temeritatis meæ pœnas luam. Sed iam ex reliquis insigniora quædã errata tua enumerare, & quàm pauciſsimis verbis potero, in apertum producere instituo.

I. Palæologus de Christo exiliter sentit.

Ais in priore scripto, pag. 5. Iesu Christi nomen Dei ecclesiam nobilitasse. Ex quo apparet, quàm exiliter de Christo sentiras, & quantùm illi adimas. quasi verò Iesus Christus Ecclesiam iam constructam inuenerit, & non ipse eam construxerit, atque fundauerit. quod tamen disertè satis ipsemet testatur inquiens, Mat. 16. 18. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam.* Erat quidem ante Iesu Christi aduentum Dei ecclesia, sed non eadem, quæ fuit postea. Itaque non priorem illam nobilitauit Iesus Christus, sed aliam ipse, Deo mandante, formauit, quam, vt vides, suam etiam appellat. quippe cuius non modò dominus sit factus, sed conditor etiam fuerit. Omnia enim per ipsum facta sunt, & sine ipso Ioh. 1. 3. Eph. 3. 9. factum est nihil, quod factum sit, omniaque per Iesum Christum Deus condidit, & creauit.

II. Pag. 7. ita scribis. *Missus Iesus Christus à Deo patre, tanquam propheta ille*

ta ille ſuſcitatus ex fratribus Iſraelitici populi, ut audiretur à populo, & abs quo moneretur populus de uoluntate Dei, quæ erat ut ipſum Ieſum pro Rege acciperent, eius ductum ſequerentur, ſperarentque per ipſius Ieſu ductum & auſpicia libertatem, quam perdiderant, recuperatum iri, receptus non eſt à populo: ut autem melius ſuſciperetur, prænuncius miſſus erat Iohannes.

Quatuor (ni fallor) in hiſce verbis errata tua deprehenduntur. 1. Primum illud eſt, hanc Dei de Ieſu voluntatem fuiſſe, vt ipſe Ieſus eiuſmodi rex populi eſſet, cuius auſpiciis ex Romanorum ſeruitute populus eximeretur, & quem ante ipſius mortem pro terreno ſuo rege populus agnoſceret. Hunc autem errorem non vno in loco libri tui modò apertiùs, modò obſcuriùs inculcas. Ex quo, vt cætera omittam, id conſequitur, vel Ieſum populi Dei regem hactenus reuera non fuiſſe, vel, ſi reuera Ieſus rex populi Dei aut eſt, aut fuit, ex accidente quodammodo, quod ad regnandi ſaltem rationem attinet, id factum eſſe, non autem ex Dei propoſito immutabili. Quorum vtrumque quàm non modò falſum, ſed pernicioſum ſit, non eſt hic demonſtrandi locus. Satis erit per ea, quæ mox dicentur, errorem iſtum tuum manifeſtè coarguere.

2. Alterum igitur erratum tuum in prædictis verbis eſt, Ieſum monuiſſe populum, ſe eſſe regem iſtiuſmodi. Id enim numquam fecit. quod tamen ſæpiſsime feciſſet, ſi ea voluntas Dei fuiſſet. atque, vt id facere conſueuerit, omnino ferunt verba tua. Nam vbi nam ſcriptum eſt, Ieſum dixiſſe, ſe a Deo miſſum eſſe, vt populum Iſraeliticum ex Romanorũ ſeruitute liberaret? aut quando vnquam Ieſus, ſe hìc in terris, præſertim ante mortem ſuam, terrena ratione ſuper populum ex Dei volũtate regnare debere, præ ſe tulit? Dices, vt ex ſequentibus verbis tuis apertè colligitur, hoc ab ipſo factum eſſe, vbicumque docuit, ſe eſſe Chriſtum. Chriſtus enim nihil aliud eſt, quàm Rex. Hæc ratio nihil valet. Nã rex quidem erat Ieſus a Deo ſuper populum conſtitutus, non tamen vt terrena ratione regnaret, ſed cæleſti. quod demum poſt ipſius mortem & fieri debebat, & reipſa factum eſt. quemadmodum ex pluribus ſacrarum litterarum teſtimoniis apparet, præſertim verò ex eo, quod ſcriptum eſt Petrum populo dixiſſe, *Hunc Ieſum reſuſcitauit Deus, cuius nos omnes teſtes ſumus.* Dexterâ igitur Dei exal- Act. 2, 32.

tatus, & spiritus sancti promissione accepta a patre, effudit hoc, quod nunc vos uidetis, & auditis. Non enim Dauid ascendit in cælos. dicit autem ipse, Dixit

Psal. 110. 1. Dominus domino meo, sede a dexteris meis, donec ponã inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Certissimè ergo sciat omnis domus Israel, quia & dominum eum, & Christum fecit Deus hunc Iesum, quem uos crucifixistis. En tibi, quid sibi vellet Iesus, cum se Christum esse dicebat. &, qua ratione a Deo rex super populum constitutus fuisset. Hoc tu ipse fortasse animaduertens, hanc scilicet regnandi rationem, quam sacræ litteræ Iesu post mortem tribuunt, a terrena valde diuersam esse, nouum regnum, id est diuersum ab eo, quod ei ante mortem donatum a patre fuerat, Iesum post mortem, & per mortem accepisse somniasti. vt ex iis perspicuum est, quæ scribis in initio pag. 16, & ad finem pag. 91. Qua de re infra pluribus agemus. Præterea, etiamsi Iesus nõnumquam, se Christum esse, vel dixerit, vel non negauerit, non tamen apertè, ac disertis verbis ea de re populum monuit. quippe quæ aliter, quàm verbis, patefacienda, & confirmanda foret. Immo legimus, ipsum Iesum ante mortem discipulis

Matth. 16. 20. Mar. 8. 30. Luc. 9. 21. suis seuerè interminatum esse, ne vlli dicerent, ipsum esse Christum. 3. Quare vix dici potest, quantùm a scopo aberres, vel potiùs, quàm turpiter hallucineris, cum eadem pagina 7. ais, Iesum docendo (verbis videlicet) se esse Christum, suo esse perfunctum officio visum fuisse, & nihil aliud ante mortem tam sedulò omnibus inculcasse, quàm, quòd ipse esset Christus.

4 Tertium erratum tuum est, quòd ais, Iohannem missum fuisse, vt Iesus pro rege, qui populo libertatem, quam perdiderant, restitueret, meliùs susciperetur. Quod profecto necesse esset, si ei rei Iesus a Deo destinatus fuisset. Missus enim fuit Iohannes, vt de ipso testaretur. Atqui nihil tale de Iesu testatus est Iohannes. Ex seruitute quidem eius ope populum eximendum, & in libertatem vindicandum esse, reipsa est testatus, Verùm alia fuit ista seruitus, istaque libertas, quàm tu hoc loco sine dubio intelligis. Peccati ea seruitus fuit, ex qua per Iesum populus eximendus erat, & in spiritus libertatem vindicandus. idque ipse quoq; deinde pag. 8. agnoscis in illis verbis, *cuius opera si populus illum recepisset, condonationem peccatorum impetrare à Deo potuisset.* Itaque dicebat Iohannes, illum esse Dei agnum, qui mundi peccatum auferret,

Ioh. 1. 29. 33.

ret, atque ipsum eum esse, qui spiritu sancto baptizaret. De terrena autem Iesu regnandi ratione, deque populo e Romanorum seruitute eius ope liberando, ne verbum quidem Iohannes fecisse legitur. Nam, quod de ipso similiter ais, docuisse illum, Iesum esse Christum, hoc primùm, vt diximus, nihil ad rem facit. Deinde neque ex professo, neque omnino apertè id dicebat Iohānes, sed interrogatus, an ipse esset Christus, negabat, seque ante Christum missum fuisse aiebat. 5. Quocirca hic quoque turpiter erras, cum ais, Iohānem, docēdo, Iesum esse Christum, officio suo perfunctum fuisse, visum esse, & nihil ante Iesu mortem tam seduld omnibus inculcasse, quàm ipsum Iesum esse Christum. Quamuis enim Iohannes multa de Iesu diligenter testaretur, quæ Christi futura erant propria, tamen id plerosque latebat, nec ipse vel Christi nomen ipsum vrgebat, vel de Iesu regno disertis verbis docebat. quod tamen ad rationem tuam concludendam necessariò requiritur. *Ioh. 1. 20. 3. 28.*

6. Quartum erratum, quod ex supra recitatis verbis tuis, iis præsertim, quæ sequuntur, adiunctis, satis apertè colligitur, est, Non solùm voluntatem Dei fuisse, vt Christus hîc in terris ante mortem super Israeliticum populum regnaret, eique libertatem, quam paullo ante perdiderat, restitueret, nec solùm ea de re populum ab ipso Iesu admonitum fuisse, sed etiam, vt id populum moneret, potissimùm, ac præcipuè Iesum a Deo fuisse missum. Nam, si hoc verum est, igitur, cum Iesus apud Marcum, & Lucam ait, se propterea egressum esse, & missum fuisse, vt prædicaret, & regnum Dei euangelizaret, id dicere voluit scilicet, se a Deo fuisse missum, vt omnibus palàm denunciaret, se esse illum, qui rex Israelis a Deo in terris constitutus ex Romanorum seruitute populum liberaturus esset, Et quia non modò apud vtrumque euangelistam ibidem dicitur, Iesum & in Capernaum, & in reliqua Galilæa id fecisse, ad quod se missum esse dixerat, verùm etiam ex pluribus aliis locis colligitur, eum & in Iudea, & in Galilæa, idque in singulis vrbibus, ac vicis prædicasse, & euangelium regni annunciasse, apostolosque suos ad Dei regnum prædicandum misisse, necesse est, vt vniuersam illam regionem eo rumore impleuerit, si se regem agnouissent, propediem futurum, vt ipsi- *Mar. 1. 38. Luc. 4. 43. Matth. 3. 35. Luc. 8. 1. 9. 2.*

us ductu Romanorum iugum excutere possent. Atqui, si ita res se haberet, quomodo non statim oppressus fuisset? quomodo, inquam, eum locorum præfecti tulissent? Nonne Iudæi, qui ab ipso ferè eius prædicationis initio illi infensi fuerunt, vtque eum perderent, quæsierunt, eiusce rei modum, atque rationem in prõ-

Matth. 26. 59, & 60. ptu habuissent? & tamen testantur Matthæus, & Marcus euan-
Mar. 14. 55, & 56. geliste, cum iam in Iudæorum manus Iesus traditus fuisset, quæ-
siisse principes sacerdotum, seniores, & vniuersum consessum, vt per falsos testes Iesum interimerẽt, & testimonium ex multis re-
stibus sibi consentaneum inuenire non potuisse. Nam quid opus fuisset falsis testibus, aut quomodo testes non conuenissent, si pu-
blicè Iesus se pro eo rege iactasset, quem tu dicis, & reipublicę sta-

Luc. 23. 2. tum se mutaturũ dixisset? Accusarunt quidem Iudęi Iesum, quod diceret, se Christum, id est regem esse, neque id ipse aut coram pontifice, aut coram præside negauit. sed non propterea vel po-
pulum Iesus peruertebat, vel Cæsari tributa soluenda esse nega-
bat, vt & Iudæi illi obiiciebant, & omnino verum fuisset, si fe ta-

Luc. 23. 13, &c. lem regem dixisset, qualem tu opinaris. Liquet autem, Pilatum præsidem, Iesum innocentem esse censuisse. Ex quo apparet, eum
intellexisse, ac deprehendisse alio sensu, quàm Iudæi dicerent, &

Palæologus Iudæorum similis Ioh. 19. 13. tu illorum hac in parte similis, affirmas, non negatum fuisse a Ie-
su, se Iudæorum regem esse. quæ tamen simplex appellatio tanti
apud ipsum fuit, vt veritus sit, ne fortè Cæsarem sibi inimicum
redderet, si Iesum absoluisset, & ob eam caussam eum tandem Iu-
dæis crucifigendum tradiderit.

III. Sequitur ridiculus quidam error tuus pag. 12. Ibi enim ais, ne-
uum dilectionis genus Iesu Christi fuisse erga discipulos suos, vt
eos multis discriminibus obiiceret, quemadmodum ipse a patre
nouo amoris genere periculis, & morti expositus fuisset. Quod
quàm rectè a te dictum fuerit, aliorum erit iudicium. Sed ibidem
affirmas, hoc esse illud genus dilectionis, de qua nouum manda-
tum Christus se discipulis suis dare dixit, vt ipsi scilicet se diligę-
rent, sicut ipse eos dilexisset. Ergo, si vera loqueris, Christi di-
scipuli ex ipsius Christi mandato alii alios discriminibus obice-
re debebant, atque ea ratione potissimùm nouo illi mutuæ dile-
ctionis ad ipsius imitationem Christi præcepto satisfacere. Pe-
tatur

tuitne aliquid insulsius dici? Certè longè aliter & ipse Dominus
sua verba explicat, & Iohannes eius apostolus ea se interpreta-
tum fuisse ostendit. Ille enim sic discipulos suos monet. *Hoc est* Ioh. 15. 12.
præceptum meum, ut diligatis inuicem, sicut dilexi uos. Maiorem hac dilectio-
nem nemo habet, ut quis animam suam ponat pro amicis suis. Hic verò ait. 1. Ioh. 3. 16.
In hoc cognouimus charitatem, quoniam ille animam suam pro nobis posuit, &
nos debemus pro fratribus animas ponere. Non igitur fratres discrimini-
bus obiiciendo, sed pro ipsis moriendo, Christum imitari debe-
bant eius discipuli, eiusque de mutua dilectione nouo mandato
satisfacere.

Eadem pag. 12. ais, cum Iohannes prædicaret, sedecim ferme IV.
annos intercessisse, ex quo Iudæi exì liberis serui facti essent Ro-
manorum. & pag. 14. scribis, cum Christus interrogatus fuit, v-
trùm Cæsari soluere tributum liceret, ante septem & decem an-
nos Iudæos liberos fuisse. Verùm in posteriore scripto pag. 172,
affirmas, cum Christus longiorem illam cõcionem, de qua apud
Matthæum, habuit (quod inter vtrumque ex prædictis tempo-
ribus factum fuit) Iudæam iampridem Romanorum prouinci-
am fuisse factam ad minimum ab annis viginti. Quare necesse est, Palæologus sibi
vel, quæ antea dixeras, falsa esse, vel id verum non esse, quod po- non constat.
stea dixisti.

In fine pag. 13. & initio 14. sic scribis, *Iesus autem Christus interpel-* V.
latus ut solueret tributum, quo alebatur miles & ciuis & peregrinis intra Iudæ-
am contra Iudæam, ne rebellaret, persoluit. Locus autem, vnde id pro-
bari existimas, est sine dubio apud Matthæum cap. 17. circa finem.
Sed falsus es opinione tua. non enim de tributo ibi agitur, quo a-
leretur miles, sed de dimidio sicli Sanctuarii, quod ex Legis præ-
scripto Israelitæ censiti pendebant, vt habetur Exo. 30. ℣ 13. idq;
vel ex eo patet, quòd nihil aliud ibi dicitur, nisi, eos, qui didrach-
ma accipiebant, venisse ad Petrum, eique dixisse, *Magister uester non*
soluit didrachma? tantumdem enim valebat dimidium sicli Sanctua-
rii. quod didrachmũ ipsi Deo dari, siue offerri dicebatur, vt præ-
dicto loco in Lege apparet. Sed idcirco fortasis de tributo ali-
quo, quod Principi penderetur, ibi agi credidisti, quia mox Chri-
stus ait, *Quid tibi uidetur Simon? Reges terræ a quibus accipiunt tributa, uel*
censum? &c. Cum tamen hæc ipsa, & sequentia Christi verba a-
pertè

pertè doceant de censu, qui Deo solueretur, ibi actum fuisse. Sic enim a simili argumentatur Christus. Reges terræ tributa, aut censum non a filiis, sed ab alienis exigunt. Ergo Deus quoq; non a filiis, sed ab alienis censum exigit. Ex quo sequitur, nos, qui filii Dei sumus, esse liberos ab hoc censu soluendo. Ad se enim, & Petrum sine dubio totum sermonem accommodat, vt ex sequentibus verbis apertum est, *Vt autem non scandalizemus eos, vade*, &c. Quòd si alia ratione christi verba explicẽtur, nihil dicetur, quod cum explicatione nostra, quam aliorum quoque esse credimus, comparatum, frigidissimum non sit, immo planè falsum atq; inceptum esse non constet. vt infra, dum suo loco explicationem tuam examinabimus, apertè coniici poterit.

VI. Vt supra visum est, in initio pag. 16. & ad finem pag. 91. ais, Iesum Christum per mortem nouum regnum quæsiisse, & recepisse. Videndum est autem, quid Noui regni nomine intelligas. Nam, si diuersam regnandi rationem ab ea intelligis, qua ante mortem regnare debuerat, quasi antea terrena ratione regnare debuisset, postea verò cælesti, vel non terrena tantùm, sed etiam cælesti regnauerit, iam hoc ex iis, quæ ante disputata sunt, falsum esse apparet, cum satis ostendimus, nec verum, nec verisimile esse, Christum Iesum, vt terrena ratione ante mortem regnaret, a Deo missum fuisse. Quòd si Noui regni nomine non diuersam regnandi rationem, sed regnum super nouum populum, nempe super Gentes intelligis, hoc similiter falsum esse, ex iis, quæ ante disseruimus, aliqua ex parte constare potest. Cum enim, vt visum fuit, Iesus missus non fuisset, vt reipsa ante mortem regnum aliquod administraret, etiamsi per mortem regnum Gentium postea adeptus esset, non tamen per mortem nouum regnum acquisiuisse dici posset, cum antea nullum haberet. Nam, si diuersis, destinatione Iudæorum regnum antea habuisse, respondebo, destinatione pariter ante mortem Gentium regnum illi datum fuisse, vt ex innumeris veteris testamenti locis manifestum est.

Act. 2, 32. &c. Nec verò ipsa iura Iudaici regni, quod Petro apostolo, vt videmus, teste, post mortem obtinuit (nulla enim adhuc, cum Petrus ea verba dixit, Gentium ratio ab ipso habebatur) ante mortem aliter habere potuit, quàm sub conditione, si Dei patris mandatis

tis paruisset, & opus perfecisset, quod ipsi perficiẽdum ab eo datum fuerat. Inter cætera verò Dei patris mandata illud accepe- Ioh. 10. 17, & rat præcipuum, vt animam suam poneret, eam iterum sumptu- 18.
rus. Quamobrem, vt dictum est, etiamsi per mortem Iesus Gentium regnum fuisset adeptus, tamen nullo nouo regno per mortem auctus fuisse dici posset. Atqui falsum est, Iesum per mortem Gentium regnum adeptum fuisse. Illud enim reuera non antea est adeptus, quàm eius euangelium, post ipsius mortem ab apostolis prædicatum, publicè a Iudæis reiectum fuit. Vt ex iis intelligi potest, quæ scribit Paulus ad Rom. cap. 11. & ex aliis diuinis testimoniis. Sed id apertiùs demonstrandi nunc tempus esse non videtur. Itaque ad alia transeamus.

VII.

1. Etenim errore errorem cumulando, eâdem pag. 16. asseris, Iesum Christum post mortem regnum illud, ad quod accipiendum inermis ante missus fuerat, carnalibus armis recuperasse, id est, vt seq. pag. te explicas, Romanorum armis. Nam quomodo istud verum esse potest, si regnum illud, quod ante mortem Iesus acceptus venerat, terrenum & aspectabile regnum fuerat, vt non dubium est, quin ipse velis? Numquid Christus post captam & excisam a Romanis Hierosolymã, Iudæosque per orbem terrarum dispersos terrena ratione super Israelis populum manifestè regnauit? Certè si id factum fuisset, non ita vt fecerunt, ei pertinuò hactenus reluctati fuissent miseri Iudæi. qui tantum abest, vt post ingentem illam cladem eum pro Christo agnouerint, vt eum multò magis spreuerint, ab ipso cladem illam immissam fuisse neutiquam sentientes. Quid, quòd, vt ex Petri verbis illis perspicuum est, Iesus & dominus, & Christus factus est a Deo, & Act. 2. 36.
quidem Israelis populi, simulatque in cælum assumptus est, & sic antequam Romani Hierosolymam vastarent? Vnde constat nullo modo dici posse, Iesum Christum armis carnalibus Romanorum, regnum suum recuperasse. Et sanè, quicquid Iesus per Vespasianum, & Titum contra Iudæos est executus, non ad recuperandum regnum, sed ad ostendendum, se iam regnum accepisse, & ad inimicos suos, accepto regno, vlciscendos pertinet, vt ipsemet tua dicta refellens satis apertè confiteris, dum ad hanc rem parabolam illam ipsius Iesu accommodas, de qua Lucæ cap. 19. Palæologus seipsum refellit.

Ibi enim de eo est sermo, qui, iam accepto regno, iussit produci, & ante se occidi inimicos suos, qui ipsum super se regnare noluerant. quam parabolæ partem potissimùm huc pertinere vis, vt ex iis cõstat, quæ leguntur libri tui pag. 8, 90, 96, & 98. 2. Atq; ex prædictis patet, quàm nugatorius sit ille tuus duplex Christi ad regnum accessus, vnde Christi ex agno in leonem mutationem illam tuam hausisti, aut certè ad eum accommodasti, quæ tantas turbas dedit. qui tamen accessus reuera nullus fuit. Vt enim ex prædicta parabola illa Lucæ cap. 19. intelligi potest, numquam Iesus Christus vel per se, vel per alios, regni sui accipiendi gratia, ad populum accesit, sed a populo, cuius ipse ciuis erat, discedens, in longinquam regionem, hoc est in cælum, ibi ciuium suorum, populi inquam, regnum, ad quod iam destinatus fuerat, accepturus, profectus est. quo accepto, eos ex populo seuerè est vltus, qui ipsum super se regnare noluerant, id est non modò eum pro designato rege non agnouerãt, sed ne ipsorum rex vmquam esset, omnino decreuerant, &, quantùm in ipsis fuerat, etiam curauerant.

XIX. 1. Turpis autem est lapsus tuus, cum pag. 17. parabolam inuitatorum ad nuptias ita ad istum tuum duplicẽ Christi ad regnum accessum accommodas, vt posteriorem tunc significari dicas, cum inuitati omnes venerunt. Nam ex Matthæo apertissimum est, antequam ii, qui venerunt, inuitati essent, iam regem illum, qui nuptias faciebat filio suo, missis exercitibus suis, perdidisse illos, qui ipsius nomine inuitantes interfecerant, eorumque ciuitatem incendisse. quod res ipsa clamat de Iudæorum diuina eaque insigni punitione, ac dissipatione, ob idque de Hierosolymitano excidio dictum fuisse, quo non modò posteriorem Christi ad regnum accessum, sed ipsam regni recuperationem contineri vis. 2. Quinetiam ipse, teipsum refutans, missionem illam exercituum, & quæ sequuntur, posteriorem accessum ad regnum esse ais. Sic enim a te scriptum est pag. 16. *De posteriori accessu ad regnum, qui fuit ueluti leonis, ita scribitur: missis exercitibus suis perdidit homicidas illos, & ciuitatem illorum succendit.* Apparet igitur, vel teipso teste, accessum posteriorem (quem tu appellas) Christi ad regnum suum, iam extitisse, iamque regnum (vt tibi videtur) a Christo recuperatum

Matth. 22. 7, &c.

Palæologus seipsum refutat.

ratum fuisse tum, cum inuitati omnes ad nuptias venerũt. immo antequam inuitarentur. Ex quo certum esse debet, per eam parabolæ partem istum posteriorem Christi ad regnum accessum minimè significari.

IX. Sed alius ibidem grauis error tuus deprehenditur. Nam sic se habent verba tua, *Hunc accessum ad regnum & posteriorem & priorem nuptias appellant Euangelistæ. Et priorem quidem cùm nullus ex inuitatis accedere ad nuptias uellet, posteriorem uero cum inuitati omnes properarent, ita ut uis facta fuerit in foribus a multitudine ingredientium, & hi primi ingressi domum nuptiarum sunt, qui uiolentiores & audaciores erant omnibus.* Apud nullum enim ex euangelistis istius inuitatorum ad nuptias proper. Palæologus euã geliſtis ſua ſomnia affingit. perationis, nec vis in foribus factæ, nec aliorum, quæ adiungis, vlla fit mentio. sed sunt somnia tua, quæ pro euangelistarum testimoniis affers. Verùm quid dico, apud nullum ex euangelistis ista tua commenta legi, cum solus Matthæus parabolam inuitatorum ad nuptias exponat? Lucas quidem inuitatorum parabolam narrat, nuptiarum tamen nullam mentionem facit, sed cœnæ tantùm. Et tamen tu Euangelistas nominas. Sed concedatur sanè tibi iste figuratus loquendi modus, vt, quod vnus tantùm euangelista scripserit, ab euangelistis scriptum fuisse dicatur, nec inter tua errata a nobis numeretur. Luc. 14. 16.

X. 1. Eâdem pag. 17. ais, Christum Iesum ad nihil aliud venisse, *præterquam* (tua verba recito) *ut declararet populo se fuisse à Deo institutum hæredem regni.* Quod quàm a veritate alienum sit, ii omnes animaduertent, qui meminerint, ipsum Christum Iesum, se ad quædam facienda venisse, sæpius affirmasse, idemq; eius apostolos testatos fuisse, quę nullo pacto ista declaratione comprehensa sunt. præsertim apud te, qui eam ita accipere videris, vt nõ latè pateat, sed id tantùm significet, ac complectatur, quod verba ipsa sonant Inspiciantur hi loci, Matth. cap. 5. ℣ 17, cap. 9. ℣ 13, cap. 18. ℣ 11, & cap. 20. ℣ 28, Mar. cap. 1. ℣ 38, Luc. cap. 4. ℣ 18, & cap. 12. ℣ 49, Ioh. cap. 9. ℣ 39, cap. 10. ℣ 10, & cap. 12. ℣ 46, & 47, 1. Tim. cap. 1. ℣ 15, Heb. cap. 9. ℣ 11, & 1. Ioh. cap. 3, ℣ 5, & 8, & cap. 5. ℣ 20. Ex quibus locis, & aliis similibus satis constare potest, Christum Iesum ad aliud etiam venisse, quàm ad declarandum, se hæredem regni institutum a Deo fuisse. 2. An non tu ipse pag. 7. confiteris, Iesum

Palæologus seipsum refellit.

Christum missum fuisse a Deo tamquam prophetam? Atqui aliud profectò est prophetæ munus, quàm populo declarare, se regni hæredem a Deo institutum esse, etiamsi id verissimum sit. & quę tu Iesum Christum, tamquam prophetam, præstitisse pag. 9. & deinceps narras, ab ista declaratione longè sunt diuersa. Namque inter cætera pag. 11. scribis, Iesum Christum leges diuinas repurgasse, idque proprium munus prophetarum fuisse. Quid enim leges diuinas repurgare cum declaratione istius munus diuinarum legum repurgandarum omnino contineri, dicat? Nihil autem dico, quòd tãtum abest, vt Iesus christus ad nihil aliud venerit, quàm ad declarandum populo, se regni heredem a Deo institutum fuisse, præsertim eo sensu, quo tu hæreditatem, & regnum istud intelligis, vt ne ad id quidem reuera venerit, siue a Deo missus fuerit. vt ex iis, quæ antea disputata sunt, facilè intelligi potest.

XI. Paginâ 18. ais, Christum minatum fuisse, se armis expulsurum eos, qui regnum per vim possidebant, & sibi restituere nolebant. Nec dubium est, quin Iudęos intelligas. Sed quanam ratione dici potest, Iudæos regnum, quod Iesu Christi erat, per vim possedisse? Num, quia illum super se regnare nolebant? Quasi verò, quicumq; legitimum regem agnoscere recusat, ipse illius regnum per vim possideat, maximè autem, si iam alium regem agnoscat, vt certè Iudæi faciebant, qui tunc temporis Cæsarem pro rege agnoscebant, & nullum alium præter Cæsarem se regem habere affirmabant. Atque hinc apparet, quàm futile illud sit, quod ais, & iam a nobis reprehensum est, Iesum regnum suum recuperasse. Propterea enim istam recuperationem commẽtus es, quia Christi regnum a Iudæis iniustè detentum fuisse existimasti, e quorum manibus vi, atque armis per Romanos illud Christus extorserit.

XII. In fine pag. 36, & seq. initio Christi præceptum de obuertenda altera mala dexteram percutienti, & siqua sunt eiusmodi, ita interpretaris, vt dicas Christum plus præcepisse, quàm fieri velit. & ais, *In ijs enim sententijs illud Christum spectasse apparet, quod vulgo inter mercatores dicitur: Iniquum petas ut æquum impetres.* Nihil indignius dici potuit. Tunc Iesum Christum veracissimum & simplicissimum

Palæol. Christũ unum sentire, aliud loqui affirmat.

simum mercatorum mendacium atque impostorum similem facere audes, & eadem arte in suis præceptis dandis, qua illi in suis mercibus vēdēdis solēt, vtētem? Tune a Dei filio iniqua præcipi vel dicere, vel certè dicere videri non exhorresçis? An non videndes, quāta fenestra ad omnem Christi disciplinam in dubium reuocandam, atque adeò subuertendam patefiat, si eum alicubi plus præcipere persuasum fuerit, quàm reuera fieri velit? Non igitur iniquum petiit Christus, vt æquum impetraret, cum malam dexteram percutienti alteram quoque præbendam esse dixit. sed, vt alibi disseruimus, quemadmodum ex antecedentibus, exque subiecta materia apparet, tunc demū præcepto suo locum esse vult, cum alioquin necesse esset, iam sibi inflictam malæ dexteræ plagam aliqua ratione vlcisci.

Palæol. Christū iniqua præcipi ētem facere uidetur.

XIII. Quia sunt, qui sententiæ tuæ de bello a Christianis gerendo vaticinationem illam Esaiæ, & Micheę opponant de conuertendis gladiis in vomeres, & lanceas in falces, Tu pag. 38. respōdens, ais, argumentum istud non esse ad propositum, *quoniam* (inquis) *sententia Iesaiæ eo pertinet, ut significetur, cum filius hominis miserit Angelos suos ut auferant de regno suo omnia scandala & omnes facientes iniquitatem, nullum fore usum armorum, cum nulli erunt filij carnis & filij spiritus inter quos bellum geri sit necesse, sed omnes erunt filij Dei.* Errores, qui hactenus in tuis verbis continentur (quæ enim dicis nec cum prophetarum, nec cum christi mente consentiūt) quia tibi cum aliis quibusdam non antiquis tantùm, sed recentioribus quoque Christianis sunt communes, hoc loco a me non attingentur. Verùm pergens ais, *Sed antequam illud tempus ueniat, oportere gladium non conuerti in falcem, nec lanceas in uomeres, quomodo enim dicere posset: tunc erit si præsens adesset? & non discent ultra bellum, in futurum non leuabit gens cōtra gentem gladium, & si iam præsens quod promittit extaret.* Quasi verò vel Esaias nunc loquatur, & vaticinetur, aut saltem post Christum exhibitum locutus, & vaticinatus fuerit, vel Esaię dictum ad ipsius Esaię tempora ab illis, qui & illius, & Micheæ verba tibi opponunt, accommodetur, aut accommodādum sit, si ad rem loqui velint. An non apertissimum est, Esaiam, & Micheam multis sæculis ante Christum extitisse, & vaticinatos fuisse, & ad ea tempora ab istis aduersariis tuis vtriusq; vaticinationem accommodari, quę post

Christum exhibitum fuerunt, ita vt omnino ex ipsorum etiam interpretatione, quæ tuam sententiam de bello a Christianis gerendo prorsus conuellit, vterque vates de re futura, non autem præsente loquatur? Vix sanè crediderim, puerilius, aut turpius erratum hoc tuo aliud inueniri posse.

XIV. Ad finem pag. 40. affirmas, præceptum circumcisionis, & alia eiusmodi, quę tu legalia appellas, propter quæ, tamquam maceria quadam, præputiati a Dei populo separabantur, non a Iesu Christo, sed a Deo patre Iesu Christi sublata fuisse a prępuriatorum humeris. Hoc manifestò falsum est, & porrò dicentem Christi gloriç odio excæcatũ prodit. Neque enim rei summa indignitas aliter me loqui permittit. Quid enim? Nonne apud Paulum ad Ephesios scribentem eo ipso in loco, vbi maceriæ, quam tu ipse commemoras, fit mentio, hæc verba leguntur? *Nunc autem in Christo Iesu uos, qui aliquando eratis longè, facti estis prope in sanguine Christi. Ipse enim est pax nostra, qui fecit utraque unum, & medium parietem maceriæ soluens, inimicitias in carne sua, legem mãdatorum in decretis euacuans, ut duos condat in semetipso in unum nouũ hominem, faciens pacem, & reconciliet ambos in uno corpore Deo per crucem, interficiens inimicitias in semetipso.* Quis tam bardus est, qui, hæc legens, Christo tribui non intelligat circumcisionis, aliorumq; ceremonialium præceptorum abolitionem, atq; ea ratione Gentium, ac Iudæorum coniunctionem? Quòd si hæc eadem Deum Christi patrem fecisse, alibi scriptum est, quid hoc ad rem facit? Nam quis est, qui neget, omnia, quę Christus fecit, a Deo patre per ipsum facta fuisse? Nec tu modò, Deum patrem ista fecisse ais, sed disertè, Christum fecisse negas.

Palæol. Christi gloriæ odio excæcatus.

Ephes. 2, 13.

XV. Vt Iesu Christi ipsius testimonium eludas, qui coram Pilato apertè professus est, regnum suum non esse de hoc mundo, & ostendas, ex hoc minimè probari, Christi regnum mundana, id est terrena ratione hìc in terris non administrari, ais, Christum nihil aliud dicere voluisse, quàm, se nõ fuisse declaratum regem ab hominibus, hoc est ab ipsis Iudæis, quorum rex erat, sed a Deo patre. idque scribis pag. 43, & 44. atque idem in posteriore scripto repetis, pag. 230. Sequentibus autem Christi verbis interpretationem tuam planè cõfirmari existimas, dum inquit, *Si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei decertarent, ut non traderer Iudæis.* Ais enim,

Ioh. 18. 36.

tim, *Nam si hoc factum fuisset* (id est, si Iesus rex ab ipsis Iudæis fuisset declaratus) *armati circumstetissent illum Iudæi sui, qui defenderent ne in Iudæorum hostium ueniret potestatem. Se autem declaratum fuisse Regem à Deo patre*, &c.

1. Ista tua ratiocinatio prorsus inepta est. & Christi verba, quę tibi fauere opinaris, ea maximè tibi aduersantur, communemque antecedētis ipsius Christi dicti interpretationem verisimam esse demōstrant, tuam verò falsitatis manifestè coarguunt. Si enim Iesus rex hîc in terris terrena ratione regnaturus vel ab hominibus, vel a Deo declaratus fuisset, certè, vt ipse ait, eius ministri certassent pro ipso, ne traderetur Iudæis, & ab ipsis, siue ipsorum operâ interficeretur. Hæc enim cum terreno regno hîc in terris administrando omnino pugnant. Quamuis igitur Deus ipse tum Iesum filium suum terrenũ regem declarasset, tamen vel per homines, vel per ipsos angelos, si opus fuisset, e Iudæorum manibus Iesus ereptus esset. Nec verò necesse est, vt, si quis humano auxilio ad regnum aliquod obtinendũ vti velit, ab vllis hominibus, nedum ab iis ipsis, quorum rex esse quærit, antea rex declaretur, vt sensus ipse communis docet, & tot exempla ostēdunt eorum, qui armato milite regnum aliquod sibi a nullis hominibus antea cōcessum occuparunt. Nullam autem rationem Christum in suis verbis eius rei habuisse, quòd ab ipsis Iudęis rex declaratus non fuisset, vel id satis ostendit, quòd ait, ministros suos, si suum regnum de hoc mundo esset, curaturos, ne Iudæis traderetur. Nam quid opus fuisset curare, ne Iudęis traderetur, si ipsi Iudęi eum regem declarassent? Itaq; potiùs dicere debuisset, non quæsituros Iudæos, vt ipsum perderent. 2. Nam, quòd tu, hoc sentiens, ita Christi verba interpretaris, vt dicere voluerit, suos Iudæos, id est illos, qui ipsum regem declarassent, defensuros, ne veniret in potestatem aliorum Iudæorum hostium, id adeò frigidum est, adeóque ipsis Christi verbis indefinitè prolatis repugnat, immo seipsum euidenter refellit, ac destruit, vt lectorem ea de re leuiter monuisse sit satis. Cæterùm, ne quis falsò me tibi ascribere putet, quòd ex verbis Christi nolis colligi, vel rationē administrandi regni ipsius non esse mundanam, vel in hoc mundo illud non administrari, ea hîc subiiciam, quæ concludens scribis prædicta

pag. 44. *Verba igitur* (inquis) *illa sonant unde habuerit Iesus Christus regnū, à Deo scilicet patre & non ab hominibus, non autem de regni administratione, aut de loco ubi regnet.*

XIV. Sed quid illud est, quod ibidem antea dixeras, Deum in hostium manu Iesum Christum deserere voluisse, quia volebat, vt implerentur dicta prophetarum? quasi Deus ipse ad prophetarum dicta suam voluntatem accommodet, & non ipsa prophetarum dicta ex Dei voluntate pendeant, ipsiusque voluntas sint. Non enim id a te figurata aliqua loquēdi ratione dictum fuit, sed maximè propria. Cum enim videas, quàm vehementer sententiæ tuæ, quòd Deus Iesum misisset, vt, hìc in terris existens, superpopulum regnaret, siue ab ipso populo pro rege agnosceretur, prophetarum de Christo prædictiones repugnent, conaris, quantùm potes, persuadere, duplicem quamdam voluntatem in Deo fuisse. & voluisse quidem Deum, vt Christus, hic in terris manens, populi regnum obtineret, sed tamen voluisse etiam, vt prophetarum dicta implerētur, quæ Christum in manu hostium deferendum esse ferebant. Itaque ex Iehoua Deo nostro vero atque omnipotente Iouem fictum illum Gētium, vel potiùs poetarum deum facis, qui sæpe fatis quibusdam cedat, & contra suam ipsius voluntatem id velit, quod ipsa ferunt.

Palæologus ex Iehoua Iouem facit.

XVII. 1. Scribis pag. 48. post Iuliani imperatoris tempora ortum fuisse bellum inter imperatores Arrianos, & Homousianos. Et tamen post illa tempora nō legitur, alios imperatores eodem tempore fuisse, inter quos istud de religione dissidium esset, præter Valentinianum patrem, & Valentem fratres, quorum hic Arrianus, ille verò Homousianus erat, itemq; Valentinianum filium, qui aliquandiu Arrianus, & maiorem Theodosium, qui perpetuò Homousianus fuit, quibus omnibus intermissus quodammodo fuit Gratianus, qui Homousianus fuisse traditur. inter quos tamen bellum aliquod extitisse non narrant historici. 2. Non potest autem turpis ἀνιστορησία ista tibi vllo modo cōdonari, cum eam ibidem ad alium maioris momēti errorem stabiliendum adhibeas, & ex bello, quod inter Arrianos, & Homousianos imperatores ortum fuerit, inferas, synodos ecclesiasticas, quæ antiquitus cauerunt, ne christiani militarent, huc respexisse, ne scilicet

cet Christiani suæ factionis sub imperatore cõtrariæ opinionis arma sumerẽt, non autem sensisse, nõ licere Christianis, eo quòd christiani essent, militare, & arma tractare. Et hæc quidem erratа tua ex iis selegimus, quæ in priore tuo scripto animaduertimus. Quæ deinceps notabimus, ex posterioris scripti erratis selecta erunt.

XIIX. 1. Igitur pag. 87. affirmas, Apostolos de Iohanne credidisse, eum esse Eliam secundùm personam. Id quod tamen nusquam apud euangelistas nec scriptum est, nec indicatum. Immo ex eo, quòd apud Matthæum, & Marcum legitur, Apostolos interrogasse Christum, quid illud esset, quod Scribæ dicebant, Eliam venturum esse, & ex Christi responsione, qua eos docuit, Eliam iam venisse, quod (inquit Matthæus) de Ioanne Baptista eum dixisse illi intellexerunt. ex his, inquam, perspicuum est, Apostolos antea de Iohanne Baptista, quòd Elias aliqua ratione dici posset, ne cogitasse quidem. 2. Nam, quod ibidem ais, Iesum Christum, quasi Apostolos scilicet ab ipsorum errore retrahentem, dictum prophetæ non ad Eliæ personam, sed ad officium pertinere dixisse, id manifestò falsum est. Quinimmo ex Christi verbis, nisi id nimis absurdum visum foret, facilè potuissent Apostoli suspicari, Ioannem Baptistam secundum personam Eliam fuisse. Simpliciter enim, Eliam iam venisse dixerat. *Matth. 17. 10. Mar. 9. 11.*

XIX. Pag. 89. ad finem ais, Iesum Christum post mortem, & resurrectionem fuisse pastorem duorum ouilium. Hoc cum ipsius Iesu Christi verbis manifestè pugnat. Is enim ait, *Et alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere, & uocem meam audient, & fiet unum ouile, unus pastor.* Vnius igitur, non duorum ouilium Iesus Christus pastor post resurrectionem est factus, licèt vnum istud ouile ex duobus, quorum, dum separata erãt, ipse numquam simul pastor fuit, quodammodo conflatum fuerit. Te autem sentire, vt verba tua sonant, etiam postquam eorum pastor est factus, duo ouilia permansisse, ex iis, quæ infra dicenda sunt, facilè apparebit. Nec verò est, quòd dicas, ouile esse vnum non ratione ouium, sed ratione pastoris, vt ex iis coniici potest, quæ scribis in initio pag. 289. Nam Christi verba disertè vnum ouile, & vnum pastorem separatim nominant, & vtrumque futurum prædicunt. *Ioh. 10. 16.*

XX Ex iis, quæ scribis pag. 94. apertè colligitur, te affirmare, in sacris litteris hoc dictum inueniri, Cum hostis armatus & fortis (*Satan scilicet*, ais) fuerit iudicatus, ego traham omnia ad me ipsum. 1. Quod tamen nusquam scriptum est. 2. Quinetiam non rectè a te coniunguntur duo illi loci Matth. 12. ℣ 29, & Ioh. 12. ℣ 32 (nam & vterq; simul in margine adscriptus est) cum in priore de re iã gesta, in posteriore verò de re mox futura agatur, vt quilibet legẽs animaduertet. 3. Quid, quòd in duobus iltis locis nec simul, nec separatim hostis armati & fortis fit mentio? Namque apud Matthæum Fortis tantùm commemoratur. apud Iohannem verò nihil prorsus ea de re dicitur. 4. Quid, quòd ne vsquam quidem? Tantùm enim apud Lucam cap. 11. ℣ 21. Fortis armatus nominatur, nulla Hostis facta mentione. 5. At postremò in eo grauiter erras (vnde etiam fit, vt dictum ipsum de Forti armato nullo modo rectè explices) quòd similitudinem pro metaphora, seu translatione accipis. Nam is fortis armatus non erat Satan, sed ei Satanas assimilatus est. Vide quot errores (tot scilicet ferè quot sunt ipsa verba) paucissimis tuis verbis contineantur, & quàm negligẽs, vel potiùs nimiùm audax in sacrorũ scriptorum, atque adeò ipsius Iesu Christi dictis tractãdis meritò dici possis.

Palæologus in Christi dictis tractandis nimium audax.

XXI. Verùm tot erratis tuis non cõtentus, hoc quoque adiungis, quòd ibidem non obscurè Satanam Principem noui regni appellas, contra quem Iesus Christus aliquid post mortem egerit, idque ex ipsius Christi verbis omnino colligis. Nam cuius noui regni fuit Satanas post Christi mortem princeps? Suine, an Christi? Si sui dicas, id palàm falsum est. Tantum enim abest, vt Satanas post Christi mortem regnum aliquod nouum sit adeptus, vt suo principatu magna ex parte exutus fuerit, & foras eiectus. Sin autem Christi, Dico, ex ipsius verbis, cum Satanam mundi huius principem appellet, id colligi non posse. Mundi enim appellatione nullo pacto nouum aliquod Christi regnum intelligi potest. sed vel homines carnales intelligere necesse est, qui, dum carnales sunt, Christi regnum nec vetus, nec nouum esse possunt, postquam verò spirituales sunt facti, eorum Satanas nullo modo princeps est, vel intelligẽdi sunt homines vniuersè ac generatim, potissimùm autem Iudæi (hi enim Mundi nomine significari apud

Ioh. 12. 31.

pud euangelistas solent) qui sanè nouum Christi regnum dici nequeunt, non autem Gentiles aut soli, aut præcipuè, quos, vt conici potest, tu nouum Christi regnum appellas, quod post mortem adeptus fuerit. Quamquam ne hoc quidem rectè a te fieri, supra satis demonstratum fuit.

Eãdem pag. 94. hæc tua verba leguntur. *Apocalypsis ita ait. Ecce vicit Leo de tribu Iuda, radix (hoc est residuus ex gente) Dauidis, ut aperiat librum & soluat septem signacula eius. Adde ex Paulo, & postquam aperuit suf fixit librum cruci, quoniam erat contrarius nobis.* Mirificus omnino es Palæologe in sacris litteris interpretandis, earumque locis conferendis, ac coniungendis. Nam, modò vel vmbra aliqua similitudinis appareat, statim tu locos, tamquam eadem de re loquentes, simul nectis, atque conglutinas. Quamquam hîc ne leuissima quidem vmbra alicuius similitudinis conspicitur. Nam quid prorsus commune habet locus ille Apocalypsis cum Pauli loco? 1. In Apocalypsi libri fit mentio, Apud Paulum autem chirographi. 2. In Apocalypsi de eo, quod factum in cælo fuerit, Apud Paulum verò de eo, quod in terra sit factum, est sermo. 3. Ibi de eo agitur, quod post Christi resurrectionem, & in cælos ascensum extiterit, Hîc verò de eo, quod in eius morte extitit. 4. Ibi id cõmemoratur, quod Christus fecerit, Hîc autem id, quod a Deo patre est factum. Non enim, Christum cruci chirographum illud affixisse, ait Paulus, vt tibi videtur, sed Deum. 5. In Apocalypsi denique de noua quadam scriptura, aut certè non ante Christum, sed per ipsum Christum publicata agitur, Apud Paulum verò de vetere, etiam ante Christum, iam publicato scripto verba fiunt. Quis est autem, qui, si animum aduertat, non perspiciat, Paulum loqui de populi Israelitici obligatione in cerimonialibus præceptis seruandis, quam Deus per Christum sustulit? Verùm, istuc Apocalypsis locũ pertinere nulla ratione possit, constat. Alibi autem aliquantò exactiùs de eo Pauli loco infra agemus. vnde, quam modò diximus, eius veram sententiam esse, planissimum fiet. XXII. Coloss. 2.

Pag. 98. ad facultatem aditi (vt tu loqueris) a Christo magistratus, adque vlciscendi hostes de iniuriis illatis sine vitio potestatem quædam ipsius Christi verba refers, quæ apud Matthæ- XXIII.

Matth. 16. 28. um sic se habent, *Amen dico uobis, sunt quidam de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec uideant filium hominis uenientem in regno suo.*

1. Fœdè hoc loco lapsus es Palæologe, cum apertum sit, Christi verba ista ad suam in monte transfigurationem, magnificamque illam suæ gloriæ patefactionem tribus ex suis discipulis exhibitam (quod ante istius facultatis, & potestatis tempus factum est) referēda esse. Id enim vel ex eo liquet, quòd statim eius transfigurationis narratio subsequitur, tēpore etiam appositō, quod Matth. 17. 1. inter verba illa, & ipsam intercesit. idque non modò apud Mar. 9. 2. Matthæum, sed apud Marcum quoque, & Lucam, qui Lucas narra- Luc. 9. 28. tionem istam ita auspicatus est, *Factum est autem post hæc uerba ferè dies octo, & assumpsit*, &c. Vnde perspicuum omnino esse videtur, proximè antecedentium Christi verborum euentum, atque executionem ea narratione contineri. Non posse autem Christi verba ad id referri, quod tu affirmas, id satis demonstrat, quòd apud omnes euangelistas, qui ea recitant, constanter legitur, *quidam de hic stantibus*, siue, *aliqui hic stantes*. Nam, si id intellexisset, quod tu ais, sine dubio Multi, aut tale quid dixisset, non autem Quidam, siue Aliqui. 2. Hoc ipse animaduertens, non veritus es Christi Palæol. Christi uerba corrumpit. verba, dum ea recitas, corrumpere, & pro Quidam, quod est apud Matthæum, Multi substituere, atque supponere.

XXIV. Asseris pag. 99. Christum postremis temporibus non sumpturum vindictam (tuis verbis vtor) ab hostibus, qui sunt extra Ecclesiam, sed ab iis, qui, cum intra castra Christi essent, dictis inuenientur professi Christum, factis autem peccati militiam. 1. Hęc tua assertio compluribus sacrarum litterarum locis plānè aduersatur, ex quibus manifestum est, Christum vltima illa die de illis omnibus saltem pœnas sumpturū, qui ad pœnitentię prędicationem diuinitus institutam respicere, & ipsi Christo obedire noluerint, oblatamque sibi per eius euangelium Dei cognitionem respuerint. quorum ingens numerus extra Christi castra semper fuisse, omnino deprehendetur. Ex locis autem prædictis duos tantummodo hîc notabimus, quos veritatis studiosus lector consulere poterit. Ii sunt Act. 17. ℣. 30, & 31, & 2. Thess. 1. ℣. 7, &c. Quid, quòd tu ipse tibi parum constans pag. 278. in ipso initio hæc de Christo verba scribis? *Quin & postremo tempore repurge-*

Palæologus parum sibi cōstat.

bit, regnum suum, non solum ab alienis sed etiam à domesticis minus sibi obtemperantibus seruis & pœnis damnabit mortis. Vides, te hîc, quod attinet ad Christi iudicium postrem tempore exercendum, nullam inter alienos, & domesticos differentiam constituere. Superiore autem loco sic distinguendum esse ais, vt in priore quidem iudicio Christu alienos tãtùm vltus fuerit, in posteriore verò solos domesticos vlturus sit. Qua de re iterum aliquid dicendum nobis erit.

XXV. Christi verba illa, *Si lumen, quod in te est, tenebræ fuerint, tenebræ ipsæ quantæ?* de Euangelii doctrina accipis. eaque pag. 111. ad hunc modum explicas, *Hoc est, si tu in tenebris es & doceris non doctrinam lucis sed hominum & tenebrarum, nonne duplices erunt tuæ tenebræ, non simplices?* Matth. 6. 23.

Hæc tua Christi verborum interpretatio, atque explicatio inepta prorsus censeri debet. Primùm quia ex antecedẽtibus, & subsequentibus patet, Christum de hominis animo, ac studio loqui, vt plerique omnes animaduerterunt, nec vlla ratione, si explanatio tua admittatur, sit hæc pars cum reliquo eius sermone cohæsura. Deinde quia Oculi siue methaphora, siue similitudo nullo pacto fert, vt hîc de Euangelii doctriua agatur, quæ non in nobis, vt oculus, sed extra nos est, aut certè non, vt oculus, nobis innascitur. sed aliunde proficiscitur. Potest quidem Euangelii doctrina lumen, seu lux per tralationem appellari, sed hoc loco nomen Lumen ipsum oculum, aut certè oculi lucem manifestè significat, non, qua oculus illuminatur, sed, qua ipse corpus illuminat. Dictum enim ante fuerat, *Lucerna corporis est oculus.* Nam, quòd tu, vt pag. 177, & 178. apparet, ad Ecclesiæ corpus Corporis tralationem, aut similitudinem refers, cuius corporis oculus doctrina Euangelii sit, id ridiculum planè est, cum Christus priuatos, ac singulos non obscurè moneat, si quis velit corpus suum lucidum habere, curandum illi esse, vt oculum suum simplicem ac purum habeat. *Palæologus ridiculus.*

XXVI. Quoniam videbas, quantùm sententiæ tuæ, quòd Christus apud Matthæum cap. 5. nihil aliud fecerit, nisi Scribarum, & Pharisæorum totius ferè legis diuinæ falsas interpretationes, inutiliaque additamenta respuerit, ea ipsius Christi verba repugnent, quæ leguntur apud eumdem Matthæum in initio cap. 23. vbi di-

sertè Christus turbæ, & discipulis suis præcipit, vt omnia seruent, & faciant, quæ Scribæ, & Pharisæi ipsis dixerint, Quoniam, inquam, hoc videbas, propterea pag. 116. totis viribus conaris ostendere, Christum de sola recitatione ipsorum Legis verborum, & prophetarum locutum fuisse, cum ait, Scribas, & Pharisæos in cathedra Mosis sedere. *Erat enim (ais) mos in synagoga Seniorum conscendere scribas & Pharisæos pulpitum seu cathedram, & inde recitare aut Mosen (id est legem Mosis) aut vatum scripta: deinde descendere & assidentes, aut stantes in cœtu partem quam recitauerant interpretari. Hæc indicat Lucas Act. 13, si addas cap. 23. Matthæi, Super cathedram.*

1. Triplex hîc erratum tuum deprehenditur. Primùm enim in eo erras, quòd non intelligis, quid sit Sedere in cathedra Mosis, nec planè metonymicam locutionem esse animaduertis, sed vocem Cathedram propriè accipis. (quid enim alioqui pulpiti, seu cathedræ, quam Scribæ, & Pharisæi conscenderent, in explanatione ista tua meminisse attinebat?) quasi verò Scribæ, & Pharisæi in Mosis cathedra sedisse dici nequeant, nisi veram aliquam cathedram cõscenderint, & non manifestum sit, Cathedram, inque ea sedere, in Christi verbis docendi munus significare, siue id fieret stando, siue sedendo, siue cathedram aliquam veram ascendendo, siue æquum locum vnà cum audientibus seruando. Mitto autem, nec tibi errati loco duco, quòd, etiamsi Christus de vera cathedra locutus esset, non tamẽ continuò sequeretur, in eam Scribas, & Pharisæos ascendisse, immo vix in cathedram ascenditur, quódque, si in ista tua siue chathedra, vt tu eam appellas, siue suggesto Lex, aut vatum scripta recitabantur tantùm, planè verisimile est, id non sedendo, sed stando factum fuisse. & tamen Christus non solùm Cathedram nominat, quæ idcirco sic vocatur, quia in ea sedetur, verùm etiam disertè sedendi in ea mentionem facit.

2. Secundò erras, quia ipsorum Pharisæorum munus fuisse ais, legem Mosis, aut vatum scripta in synagoga recitare. quòd planè falsum est. neque enim Pharisæi, tamquam Pharisæi, aliquo proprio munere in synagoga fungebãtur. Sed tamen, tamquam Pharisæi, suos discipulos, & sectatores habebant, qui tunc temporis maxima pars populi erant, quibus ipsi Mosis legem interpretabantur,

pretabantur, & in Dei voluntate cognoscenda, quemadmodum olim Moses vniuerso populo, præibant, ac duces erant. Propter quam causſam, eos sedere in Mosis cathedra, dixit Christus.

3. Tertiò erras, quòd Scribarum, & Pharisæorum morem istum aliquam Mosis, aut prophetarum e superiore loco partem prælegendi, deinde verò pari cum cæteris loco in synagogis interpretandi, ex iis indicari putas, quæ scribit Lucas Act. cap. 13. si illa addantur, quæ sunt apud Matthæum cap. 23, *Super cathedram*, &c. Lucas enim nihil aliud indicat, nisi, in synagogis Legem, & prophetas legi consueuisse. quod etiamsi cum iis, quę apud Matthæum scripta sunt, coniũgatur, tamen nihil præterea efficietur, quàm Scribas, & Pharisæos in synagogis Legem, & prophetas legere solitos fuisse. Nam, quòd deinde separatim eodem in loco partem, quam recitauerant, interpretarentur, de hoc nihil dicitur, nec eius rei vllum ibi vestigium apparet. Immo, quod Lucas ait, post lectionem Legis, & prophetarum misisse principes synagogę ad Paulum, & Barnabam rogatum, vt, si quid haberent dicendum, quo populum cohortarentur, dicerent, satis apertè ostendit, post Legis, & prophetarum lectionem, nullam separatam eorum explanationem in synagogis audiri cõsueuisse. Quare non solùm in testimoniis pro opinione tua citandis, sed in ipsa opinione, quam de antiquo illo more habes, te vehementer deceptum fuisse apparet.

4. Cæterùm ex ante recitatis verbis, ac sententia tua constat, te, in illa cathedra, quam Scribas, & Pharisæos in synagoga conscendisse vis, nihil aliud ab ipsis prælectum fuisse, constituere, quàm ipsa Legis verba, aut prophetarũ. id quod apertiùs sequentibus ibidem verbis inculcas. Ais enim, *Igitur nihil consueuerant præter legere, nisi ipsissima legis & uatum simplicia uerba*, &c. At verò in paraphrasi illa tua pag. 207. ita scriptum est, *Audistis etiam dictum à Scribis & Pharisæis, in synagoga ex cathedra, ubi legitur lex populo & prophetarum sententiæ audientibus senioribus: Proximum tuum amato & inimicum tuum oderis. At ego uobis dico*, &c. Itaque necesse est, aut hîc, aut ibi te vehemẽter errasse, cum verba illa, *& inimicum tuum oderis*, non modò non sint ipsissima Legis, aut vatum simplicia verba, sed, si tibi credimus, merum Scribarum, & Pharisæorum commentum, atque ad

que ad Mosis legem additamentum fuerit. Sed nimirum voluit
Palæologus se-ipsum refellit. Deus, vt ex ipsis verbis tuis contra te ipsum euinceretur, sentẽti-
am illam, *Odio habebis inimicum tuum*, eiusmodi esse, vt idipsum om-
nino in Lege, aut prophetis scriptum extare, meritò dici posit,
& porrò, te ipso teste, Christum Matth. cap. 5. ipsam Legem, aut
prophetas reformasse constaret.

XXVII. 1. Sed quid dicam, quòd eadem pag. 116, cum videres, sententię
tuę de interpretatione verborum Christi, *Super cathedram. &c.* nu-
mis officere, quòd Christus nihil ibi dicat de prauis Scribarum,
& Pharisæorum Legis interpretationibus, quas cauendas esse
moneat, in explanatione quadã paraphrastica eorum verborum
istud idem de tuo addere non dubitasti, & ita eum dicentem feci-
sti? *secundum autem opera, aut interpretationes illorum, nolite facere.* Nam
vnde additamẽtum istud tuum, *aut interpretationes illorum, nolite facere.* Nam
tus es? Nihil enim in ipsius Christi verbis de ista eius mente ap-
paret. Dices (vt ex iis, quæ mox subiicis, coniici potest) Ex lo-
co illo, vbi Christus affirmat, Scribas, & Pharisæos sua traditi-
Matth. 15. 6. Mar. 7. 13. one Dei mandatum irritum feciſſe. Verùm, an non satius est ita
eius verba interpretari, vt nullo additamento sit opus? 2. Præte-
rea locus ille minimè ad rem facit. Aliud est enim legem Dei in-
terpretari, aliud proprias traditiones docere. 3. Adde, quòd is
locus de vna quadam tantummodo Scribarum, & Pharisæorum
Palæologi confidentia. traditione, deq; vno Dei mandato loquitur, nec colligi inde po-
test, Scribas, & Pharisęos propter traditiones suas mandata Dei
destruxisse, vt tu, singulari numero nimis audacter in pluralem
conuersо, ibidem Christum loquentem inducis. Sed in prima hu
ius laboris nostri parte ad eiusmodi locos, qui pro tua interpre-
tatione confirmanda afferri possent, satis responsum est.

XXIIX. Pag. 120. de iis verba faciens, quæ Christus Matth. cap 5. Mo
sis præcepta tractando, concionatus est, ita scribis, *Hæc cum Apo-
stolis acta in principio, quo Iesus Christus inijt propheticum munus amplioribus
uerbis explicata sunt præsentibus Scribis ipsis & Pharisæis à Iesu Christo.*

Miror, te ista scripsisse, cum nusquam legatur, Iesum Chri-
stum, præsentibus Scribis, & Pharisæis, ea, quæ in illa concione
dixit, nisi minima ex parte, docuisse, tantum abest, vt ampliori-
bus verbis coram illis ea explicauerit. Sed hoc fortasse præter
id,

id, quod ab euangelistis scriptum est, tibi diuinitus patefactum fuit.

Mirabile commentum omnino illud tuum est, quod legitur pag. 142, & 143. & repetitum ex parte inuenitur pag. 227, & pag. 228. Ais enim, Scribas, & Pharisæos, quod ad iuramenta attinet, duo populum docuisse, Vnum, iuramenta illa, Per cælum, Per templum, Per altare nihil esse, si non obseruaretur iuramentum, propterea quòd Lex de Dei nomine loqueretur, hîc verò nullum esset Dei nomen, Alterum, quòd, si quis iurasset per aurum templi, vel per donum, quod esset super altare, reus esset periurii, nisi tantumdem solueret. & pag. 227. ais, ideo Scribas, & Pharisæos iuramenta istiusmodi approbasse, quia sic non poterat populus peierare sine certo lucro Scribarum, & Pharisæorum.

Non spero, me posse omnia errata explicare, quę hoc tuo commento continentur. 1. Primùm enim fieri non potest, vt ratio, quam Scribæ, & Pharisæi afferrent, cur iurare per templum, iurare per altare (nam in iureiurando Per cælum, vt alibi vidimus, falsus es opinione tua) nihil esse statuerent, ea esset, quòd in his iuramentis nulla Dei nominis mentio fieret. Nam hæc eadem ratio valuisset ad demonstrandum, iuramenta illa, Per aurum templi, Per donum, quod est super altare, nihil similiter esse. quandoquidem ne in istis quidem Dei nomen nominabatur. quæ tamen iuramenta eos magni feciisse, cum ex Christi verbis manifestum est, tum ipse, vt vidimus, vehementer affirmas. 2. Deinde nullo pacto est verisimile, Scribas, & Pharisæos id constituisse, quod dicis, debere eum, qui iurasset iuramenta ista, si periurus esse nollet, soluere tantumdem, quantum erat illud, per quod iurasset. Nam nulla prorsus eius rei ratio apparebat, quam tamen tu, iis iuramentis approbatis, id est, vt seruari deberent, constituto, manifestam, ac necessariam fuisse dicere videris in illis verbis pag. 227. *Approbant Scribæ & Pharisæi iuramenta priuatorum maximè illa, quibus per aurum templi, per dona quæ erant in altari Dei, iurabatur. Ita enim peierare nõ poterat populus sine certo lucro Scribarum & Pharisæorum.* Cur verò? An non potuisset quis, si ea iuramenta non seruasset, periurus & esse, & simul haberi, & tamen non cogi ad tantumdem soluendum, quãtum illud esset, per quod iurasset? Nam quid

XXIX.

Matth. 23. 16, &c.

hoc cum illo commune habet? Num fortasse, cum quis (exempli gratia) per aurum tẽpli iurabat, simul etiam promittebat, se, nisi iusiurandum seruasset, tantumdem soluturum, quanti esset aurum illud? Certè in ipsius iurisiurandi verbis, cuius tu in initio pag. 143. nobis formam quamdam tradis, id neutiquam continebatur. Ad hunc enim modum iusiurandum conceptum fuisse ais, *Iuro per hoc aurum me nihil scire, aut me hoc perfecturum.* Et sanè, si in ipso iureiurando id comprehensum fuisset, nihil fuisset opus, vt Scribæ, & Pharisęi ipsi constituerent, debere istum iuramentum suum seruare. &, si nõ seruasset, nisi periurii reus esse vellet, illud, quod iam dictum est, solueret. quemadmodum eos fecisse ex verbis tuis prædic. pag. 142. & 143. satis apertè colligitur. Ex quo etiam apparet, te tibi ipsi aduersari, aut certè parum constare, qui deinde pag. 227. vt visum est, ais, non potuisse istum peierare hoc certo lucro Scribarum, & Pharisæorum, & idcirco ipsos eiusmodi iuramenta approbasse. Nam, si sola approbatio iuramenti id per se ipsa efficiebat, nihil attinebat ea de re nominatim cauere, nec verum est, id a Scribarum, & Pharisæorum constitutione profectum fuisse, vt tua verba præ se ferre videntur. 3. Præterea ab omni verisimilitudine longè abest, constitutum fuisse, vt is, qui per aurum templi iurasset, nisi periurii reus esse vellet, tantumdem solueret. Namque omnino credendum esse videtur, aurum templi tanti fuisse, quanti nullius, aut paucissimorum vniuersa bona vix esse possunt. ex quo factum esset, vt, dum Scribæ, & Pharisæi nimiùm lucri captassent, nihil lucri ferè habuissent. 4. Huc accedit, quòd lucrum ex solutione eius, quod valuisset aurum templi aut donũ, quod super altari fuisset, non Scribis, & Pharisęis, sed sacerdotibus accessisset. qua in re profectò aut ego vehementer fallor, aut tu turpiter lapsus es. 5. Postremò, vt alia nonnulla errata in hoc commento, in eiusque explicandi ratione tua reticeam, in eo valde reprehendendus es, quòd tuorum dictorum, ne minima quidem ex parte, nullum omnino vel ex sacris, vel ex profanis scriptoribus testimonium citas, nullam rationem, nullum argumentum affers, & tibi modò dicenti, tam quam sanctissimo cuipiam oraculo, fidem vis adhiberi.

Palæologus sibi parum constat.

Palæologi confidentia.

XXX. Pag. 154. leguntur hæc verba tua, *Christus quoque cum Romanis magistratus*

Magistratus tributum peteret interrogans suos: abs quibus Reges terræ accipiant tributum, à filijs ne suis, an ab alienis? Hoc est, à ciuibus suis, an à prouincialibus? Et cum respondissent, ab alienis. Ergo, inquit, liberi sunt filij? Hoc est, ciues non soluunt tributum ciuibus. Nam Romani ciues ab omni tributo erant liberi. Innuit autem Iudæos & gentes paulò post unius fore ciuitatis ciues, & unam gentem alteri non debere tributa soluere. Hoc est, magistratus conuersos ad fidem non desinere Magistratus gladii & ministros Dei esse. Matth. 17. 24. 25.

Quia, quid esset illud didrachmum, quod Christus soluit, vt alibi ostendimus, non assecutus fuisti, propterea Christi verborum eo loco sententiam nulla ex parte percepisti, atque ea dixisti, quæ nec vera sunt, nec verisimilia, aliisque præterea erroribus hunc tuũ errorem, & eos, qui inde proficiscũtur, cumulasti. 1. Primùm igitur, quod ais, ibi magistratum Romanum tributum petiisse, ex eo, falsum esse, necessariò consequitur, quòd, vt supra disputatum fuit, didrachmum illud non reipublicæ, sed Deo, non ex imperatorum recẽte iussu, sed ex Dei ipsius antiquo decreto pendebatur. Vbi etiam animaduertẽdum est, didrachmi exactores illos Capernai fuisse, hoc est in Galilæa. cuius regionis, imperatoris Romani concessu, tunc temporis Herodes Antipas religione Iudæus tetrarcha erat, ideóque princeps, ac dominus. nec verisimile est, si quid tributi ex ea regione imperator accipiebat, vt id suo nomine a priuatis exigi curaret, sed ab ipso Herode acciperet, cui tributorum ipsis priuatis proprio arbitratu imperandorum curam relinqueret. 2. Sed quid est, quòd deinde Filios in Christi verbis Ciues suos, Alienos verò Prouinciales interpretaris? Quis te allegoricas interpretationes sine vlla necessitate inducere vspiam docuit? Nam quid caussæ erat, cur Christus istam sermonis obscuritatem, præsertim cum Petro discipulo suo loquens, affectaret, & ciues Ciues non appellaret? An non satis, superque obscuritatis in eo fuisset, quòd, vt paullo post videbimus, Ciuium nomine non veros ciues, sed allegoricos intellexisset? Ex quo etiam apertius fit, priorem istam allegoriam tuam, vt Filii regum sint ipsorum, id est (vide hîc nouam aliam sermonis figuram) primariæ vrbis ciues, admitti non posse. neq; enim in eodem verbo bis allegoria vti concessum est, nisi si quis consultò ita loqui velit, vt a nemine intelligi queat. 3. Ad

hæc, vt verum sit, quod ais, Romanos ciues ab omni tributo fu-
isse liberos, non tamen sequitur in omnibus, aut plerisque impe-
riis, & regnis idem obseruatum fuisse, vt dominantis, aut princi
palis vrbis ciues ab omni tributo conferendo essent immunes.
quemadmodum Christi verba omnino significant, si interpreta-
tio ista tua allegorica admittatur. Præterea fac, Christum Fili-
orum regum appellatione, ipsorũ ciues significare voluisse, quid
hoc ad rem? Nam quòd ais, Christum innuisse, Iudæos, & Gen-
tes paullo post vnius fore ciuitatis ciues, istud commune Iudæo-
rum, & Gentium ciuitatis ius non verum, sed allegoricum est.
Atqui reges (si modò verum est, quod dicis) non allegoricos, sed
veros ciues suos a tributis pendendis immunes esse voluit. Ita-
que perit omnino, si interpretationem tuam amplectamur, Iesu
Christi ratiocinatio. 5. Denique nulla ratione fieri potest, vt
Christus id intellexerit, quod tu opinaris, cum nondum, vt ip-
se fateris, Iudæi, & Gentes vnius ciuitatis ciues essent, & Chri-
stus iam argumentationem suam locum reipsa habere ostenderit,
&, se vnà cum Petro iam ab illo didrachmo soluendo liberum
esse significauerit, cum ait, *Vt autem non scandalizemus eos, vade &c.*
Perinde est enim ac si dixisset, Nos quidem ab hac pecunia solue-
da liberi sumus, & propterea id facere iurè omittere possemus.
Sed tamen, ne istis simus offendiculo, rectè est, vt eam soluere non
negligamus. Vade igitur, &c. 6. Quid, quòd planè falsum est id,
quod affirmare es ausus, Romanos ciues ab omni tributo fuisse
liberos? quinimmo proprium ciuium Romanorum erat tributa
in ærarium conferre? Id autem vel ex eo intelligi potest, quòd,
vt optimis linguæ latinæ, Romanæque historiæ auctoribus pla-
cet, vel tributum a tribubus, vel tribus a tributo dictæ sunt. Ex
censu enim Romę a singulis ciuibus tributim pecunia exigebatur,
& hæc tributum est appellata. Quod etsi propter externis præ-
dis ditatum ærarium aliquando fieri desitum est, non tamen pro-
pterea lex vlla est lata, ne Respub. deinceps Romanis ciuibus tri
butum aliquod imperaret. neddm certum sit, sub imperatori-
bus ciues Romanos ab omni tributo pendendo fuisse immunes.
Quod cum ita sit, vides, quanta interpretationis tuę verborum
Christi sit ineptitudo. 7. Sed ne illud quidem laudandum est,
quod

quòd, cum Christus solum Petrum interrogauerit, soluſque Petrus respōderit, aliis nec discipulis, nec domesticis Christi præsentibus, vt ex ipsa historia, præsertim verò ex ipso capitis seq. initio liquere potest, tamen tu, Christum suos interrogasse, illosque respondisse, affirmas. Supra minimè vitio versum, vel potiùs planè condonatum tibi fuit, quod Euangelistas fortasse pro Euangelista dixeris. Verùm non idcirco tibi pro arbitratu in sacris testimoniis recitandis numerum pro numero substituere vbique conceditur. 8. Sed quid postremò dicam de tua ipsius explicatione interpretationis tuæ, ex qua colligitur, quòd Iudæi, & Gentes paullo post futuri essent vnius ciuitatis ciues, id vel nihil aliud fuisse, vel certè, a Christo indicatum, nihil potiùs significasse, quàm, magistratus conuersos ad fidem non desinere magistratus gladii, & Dei ministros esse? Quis ad hæc risum tenere possit? Pluribus autem, planè ridiculam explicationem istam tuam esse, docerem, & ad ea, quæ te responsurum arbitror, ipse prior respōderem, nisi & iam satis in hisce tuis verbis examinandis immorati essemus, & periculum esset, ne calumniator aliquis reprehensionem nostram probationis tuæ, eius, quod probare intelligis, negationem esse interpretaretur, si, errorem tuum indicasse nō cōtenti, vehemētiùs ea in re te exagitare pergeremus. *Palæologus ridiculus.*

In explanatione eorum Christi verborum, *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra*, &c. itemque illorum, *Nemo potest duobus dominis seruire*, &c. turpis omnino est, isque nocentissimus error tuus. Putas enim, Christū non simpliciter præcipere, ne ii, ad quos loquebatur, thesauros sibi in terra congerāt, nec simpliciter monere, non posse illos Deo simul, & Mammonæ, id est terrenis diuitiis seruire, sed vtrumq; comparatè ab eo dici. Itaque pag. 177. sic Christum loquentem inducis, *Studete rebus temporalibus, sed plus spiritualibus. Thesaurizate in terra, sed plus in cœlo.* Et pag. 178. sic vel Christum dicentem facis, vel ipse, vt tibi videtur, ex eius mente ratiocinaris, *Quare si studes in Deum esse dines, primum locum da curæ cœlestium rerum, secundum locum da terrestrium studio & labori. Ita & Mammonæ seruies & Deo & habebis thesauros in terra & in cœlo, si mammonam curaueris propter Deum, & terram colueris propter cœlum.* XXXI. *Matth. 6. 19. 34.*

Quid est Christi verba, interpretando, peruertere, si hoc non est? *Palæol. Christi uerba peruertit.*

est? Christus disertè præcipit, non esse thesaurizandum in terra, monetque, non posse quemquam Deo, & Mammonæ seruire, & tu tamen ais, illum sic præcipientem, ac monentem velle, vt in terra quoque thesaurizetur, nec negare, quin & Deo, & Mammonæ seruire quis possit. Quid non audebis in Christi præceptis, ac monitionibus corrumpendis, cum hæc ausus fueris? Nam, si vnicum saltem Christi verbum protulisses, ex quo mirabilis ista eius mentis explicatio tua vel leuissimè quidem indicaretur, ferri aliquo modo posses. Nunc autem, cum non modò eius mentem contra ipsius verba interpreteris, sed nihil alibi vel ab ipso, vel ab alio dictum ostendas, quod interpretationem istam tuam suadendi vim habeat, cumque præterea ex aliis sacris testimoniis ea falsitatis apertè conuincatur, & Christum, vt ipsa verba sonant, non comparatè, sed simpliciter locutum fuisse constet, nulla ratione excusari istæc tua audacia potest. Quid enim? An non (vt cætera omittam) hæc sunt verba Pauli apostoli? *Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti erimus. Qui autem uolunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & laqueum, & desideria multa inutilia, & nociua, quæ mergunt homines in interitum, & perditionem.* Numquid aliam Christi verborum interpretationem quærimus, si modò ea vlla interpretatione indigent? Est autem tua ista audacia eò magis culpanda, quòd huius vitæ cõmodis inseruit, & carni nostræ mirum in modũ blanditur. ex quo perspicuũ esse potest, vnde ea proficiscatur. Nam quid dicã, quòd, vt ex modò recitatis Pauli verbis intelligi debet, Christi verba ea ratione, qua tu facis, interpretãda esse docere, nihil aliud est, quàm homines in interitum, ac perditionem demergere? Itaque meræ nugæ sunt, quod ais, posse nos Mammonam curare propter Deum, cum Paulus planè homines a diuitiis quærendis absterreat. quippe quarum cura plena sit summi ac certissimi periculi. Si enim de cura tãtùm diuitiarum propter ipsas diuitias locutus esset Paulus, non periculi, sed præsentis mali mentionem fecisset. nec dixisset, eos, qui diuites fieri volunt, in tẽtationem, & laqueum incidere, sed iam incidisse. Quòd apertissimum ex ipsius Christi verbis est, nullo pacto posse diuitiarum curam cum Dei sincero cultu coniungi, idque potissimùm illum persuadere curasse? Nimirum, ne quis putaret, se posse

a, Tim. 6. 8.

posse eodem tempore & Deo, & diuitiis seruire, quamuis Deum interim diuitiis anteponere in animo haberet. Hoc apertè docet duorum dominorum similitudo, & verba significant, quibus in ea explicanda ipse Christus vtitur, dum ait, necesse esse, vt vnus ex duobus dominis odio habeatur, alter verò diligatur, vnus retineatur, alter verò contemnatur. Siue igitur primum, siue secundum locum diuitiarum curæ tribuere velimus, ea nulla ratione cum Dei seruitio simul esse potest. 2. Quamquam tu alicubi iis verbis vteris, vt, modò Dei seruitium non abiiciatur, diuitiarum curæ primum locum tribui posse, concedere videaris. ita te spiritus iste mundanus inuasit, atq; occupauit, ita te falsa Christi mentis interpretatio, iustissimo Dei iudicio, errare compellit. Prædictâ enim pag. 177. hæc tua verba extant, *Sit igitur diuitiarum temporalium studium, sed non sine spiritualium cura.* Quis ex his verbis eam sentẽtiam, quam modò diximus, non eliciat? Nõne Sine præcipua spiritualium cura dicendum omnino tibi fuerat, si tibi ipsi saltem cõstans in eo esse perpetuò voluisses, vt ex Christi mẽte rerũ spiritualiũ studium maius esse debeat, quàm tẽporalium? *Palæol. non bene sibi constat.*

3. Verùm hanc ipsam de Christi mente sententiam tuam non vno modo ipse damnas, atque refellis. Primùm enim pag. 179. illos duos dominos, quibus neminem seruire posse, ait Christus, contrarias leges, & mores habere confiteris. Ex quo ipse sic infers, *Cùm enim studet uni obtemperare, cogitur alterum deserere, & cum cupit huic parere, facere non potest, quin alteri sit minus obsequens.* Itaque, te ipso iudice, nullo modo diuitiis seruire possumus, quin Dei seruitium relinquamus. quippe quòd duo sint domini contrarias leges, & mores habentes. Quæ ratio non præcipuum modò vtriusque seruitium (quod ne duorum quidem cõsentientium dominorum fortasse dari poterit) sed vnius quoque præcipuum, alterius verò secundarium penitus excludit. Deinde eâdem pag. pergens ais, duorum dominorum similitudinem a Christo allatam sic suo proposito ab ipso accommodari, vt velit dicere, eos, quibuscum loquebatur, non posse duabus rebus diuersis intendere animum, Euangelio, & victui quotidiano. Et statim subiicis, *Ita Petrus: non est æquum, inquit, nos derelinquere uerbum Dei, & ministrare mensis.* Ac postmodum ibidem ita concludis, *Hanc ob causſam Deus mandata* *Palæologus seipsum pluribus modis refellit.* *Act. 6. 2.*

data cura Euangelii Apostolis, ipse suscepit curam mensarum, & esse ueluti œconomus eorum. Si igitur Christus eos, quos docet, ne quotidiani quidem sui victus curam habere vult, sed eam vniuersam Deo commendare, quomodo suis verbis diuitiarum temporalium studium illis permittit, dummodo spiritualium maiorem curam habeant? Et sanè, cum omnino velis, Christum solis apostolis, & verbi Dei ministris eo in loco præcepta dedisse, quos & hîc, & alibi, præsertim verò in priore scripto, pag. 6, & in hoc eodem posteriore, pag. 101, & 102. vis propriorum bonorum curam relinquere, & voluntariè pauperes esse debere, mirum est, te adeò tui ipsius oblitum esse, vt iisdem Christi præceptis significari velis, thesaurizãdum quidem esse in terra, sed ita vt plus thesaurizetur in cęlo, & diuitiarum terrenarum curam propter diuitum, & propter cælum habendam esse. Sed legantur denique ea, quę in Paraphrasi scripsisti in illa verba, *Nemo potest duobus dominis*, &c. pag. 212, & 213, &, te ipsum sententiam istam tuam, quòd ibi Christus Mammonam propter Deum curari velit, funditus euertere, apertissimè constabit.

XXXII. Pag. 184. hæc tua verba extant, *hoc regnum* (Dei) *duplicem habet iustitiam: unam in Iudæis tantum ante mortem Christi condonationis peccatorum per resipiscentiam animi: alteram in non Iudæis, per imputationem iustitiæ per fidem, utrobique tamen fides, sed hic cum maiore ui.* Ex quibus apertè colligitur, te sentire, post Christi mortem (quamquam præ incuria ita loqueris, vt id ante Christi mortem factum esse omnino dicere videaris) non-Iudæis, siue Gentilibus per solam fidem sine animi resipiscentia imputatam fuisse iustitiam. Distinguis enim manifestè Iudæorum ante Christi mortem iustitiam ab hac, quæ postea non-Iudæis concessa fuit, hac potissimùm ratione, quòd illa per animi resipiscentiam, hæc verò per fidem daretur. Nam, si ad vtramque adipiscendam animi resipiscentiam requisitam fuisse, dicere voluisses, sed ibi maiorem, vel magis præcipuè, quàm hîc, certè, quemadmodum dixisti, vtrobique fuisse fidem, sed hîc cum maiore vi, sic etiam istud nullo modo reticuisses.

Palæologi incuria.

1. Hæc opinio tua non solùm falsa est, & sacris litteris contraria, sed etiam planè pernicioſa. Imputatio iustitiæ nihil aliud est quàm remissio peccatorum, seu peccatorũ (vt sic dixerim) non-imputatio

imputatio, vt ex iis euidēter apparet, quę scribit Paulus ad Rom. cap. 4. dum ait, Dauidem beatitudinem hominis in eo statuere, si Deus illi iustitiam imputet sine operibus. idque ex eo probat, quòd pronunciauerit, illos esse beatos, quorum remissæ sunt iniquitates, & beatum illum, cui Dominus peccatum non imputauit. Ex quo consequitur, si Gentilibus iustitia imputata fuit, etiamsi animo non resipuissent, remissa, siue non imputata illis fuisse peccata, quamuis in ipsis peccatis degentibus, & de vita emendanda nihildum curantibus. Qua sententia nescio an nulla fœdior, aut detestabilior excogitari possit. cum vel ipsi sensui communi pateat, nihil magis peccatorum condonationi adipiscendę aduersari, quàm, ne animo quidem a peccando desistere, nihilque magis Dei rectitudini, veræque iustitiæ contrarium esse, quàm, vt illi ignoscat, qui improbus esse pergit, & nulla ratione resipiscit. Sacræ porrò litteræ manifestè docent, Iudæis, etiam post Christi resurrectionem, peccatorum remissionem sine præcedente pœnitentia non contigisse. Nam quid (obsecro) est illud? *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque uestrûm in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum.* Quid item illud? *Pœnitemini igitur, & conuertimini, ut deleantur peccata uestra.* Et ne quis caussetur, hæc Christi interfectoribus tantùm, siue iis, qui in eius necem conspirauerant, dicta fuisse, perpendantur verba illa, *Hunc principem & saluatorem Deus exaltauit dexterâ suâ ad dandam pœnitentiam Israeli, & remissionem peccatorum.* Ex quibus satis constat, vniuerso populo post Iesu Christi resurrectionem ea conditione remissionem peccatorum concessam fuisse, si pœnitentiam agerent. Meliore autem conditione hac in parte Gentiles fuisse, quàm ipsum Dei populum, nullo modo est verisimile. Sed ipsas quoque Gentes sine præcedente pœnitentia minime iustitiæ imputationem adeptas esse, nullumque hac in re inter ipsas, & Iudæos discrimen fuisse, id ostendit, quod scriptum est Act. 11. ℣ 18. *Ergo & Gentibus pœnitentiam dedit Deus ad uitam.* Nam vbi iustitiæ imputatio, hoc est, vt diximus, peccatorum remissio est, ibi quoque vitam esse, necesse est. Vbi verò non est peccatorum remissio, ibi ne vita quidem esse vllo modo potest. Stipendia enim peccati mors. Non minùs autem Gentibus, quàm Iudæis vnà cum fide in Iesum Christum pœnitenti-

Psal. 32. 11. &c.

Act. 2. 38.

Act. 3. 19.

Act. 5. 31.

Rom. 6. 13.

am publicè commendatam ab ipsius Iesu apostolis fuisse, id pla-
Act. 20. 20, & 21. num facit, quod Paulus ait, se & publicè, & per domos docuisse
testificantem Iudæis, atque Gentilibus in Deum pœnitentiam, &
fidem in dominum nostrum Iesum Christum. Fuit autem hæc in-
ter Iudæos, & Gentes æqualitas in consequenda peccatorum re-
missione per pœnitentiam satis a Christo expressa, cum ait, Ego-
Luc. 24. 46. *niam sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati, & resurgere a mortuis*
tertia die, & prædicari in nomine eius pœnitentiam, & remissionem peccato-
rum in omnes gentes, incipientibus ab Hierosolyma. Summam quidem præ-
dicationis, quæ Gentibus contigit, pœnitentiam fuisse, apertè
docet Paulus, cum, Athenis in Areopago verba faciēs, inter ca-
Act. 17. 30. tera inquit, *Et tempora quidem ignorantiæ despiciens Deus, nunc annunciat*
hominibus, ut omnes ubique pœnitentiam agant. Sed nihil aptius ad ea om-
nia, quæ hucusque a nobis dicta sunt, confirmanda ea oratione
censeri debet, quam dominus Iesus ad Paulum habuit. de qua ipse
Act. 26. 15, &c Paulus ad hunc modum. *Dominus autem dixit, Ego sum Iesus, quem tu*
persequeris. Sed exurge, & sta super pedes tuos. ad hoc enim apparui tibi, ut con-
stituam te ministrum, & testem eorum, quæ uidisti, & eorum, quibus apparebo
tibi, eripiens te de populo, & Gentibus, in quas ego nunc mitto te, aperire ocu-
los eorum, ut cōuertātur e tenebris ad lucem, & de potestate Satanæ ad Deum,
ut accipiant remissionem peccatorum, & sortem inter sanctos per fidem, quæ
est in me. Quibus domini Iesu verbis ea adiunge, quæ Paulus ipse
illico subiicit, *Vnde, rex Agrippa, non fui incredulus cælesti uisioni. sed iis,*
qui sunt Damasci primùm, & Hierosolymis, & in omnem regionem Iudæa, &
Gentibus annunciabam, ut pœnitentiam agerent, & conuerterentur ad Deum,
digna pœnitentiæ opera facientes. Nam ex prædictis domini Iesu ver-
bis perspicuum est, non minùs Gentibus, quàm Iudæis, pœniten-
tiam prædicatam fuisse, eamque cum fide in ipsum dominum Ie-
sum coniunctam, ad peccatorum remissionem. Sed, in pœniten
tia agenda prædicationis summam constitisse, Pauli verba aper-
tè docent. quibus ipse pro executione verborum Iesu Christi ni-
hil aliud se fecisse commemorat, quàm, vt omnes pœnitentiam
agerent, publicè monuisse. Per pœnitentiā igitur potissimùm,
tam Gentibus, quàm Iudæis, post Christi resurrectionem pecca-
torum remissio concedebatur. tantum abest, vt sine pœnitentia,
siue animi resipiscentia, vt tu eam appellas, Gentibus iustitiæ im-
putatio

putatio contingeret, quæ, vt diximus, nihil aliud reipsa, quàm peccatorum remissio est. Sciendum est enim, fidem illam (nempe in Christum, siue in Deum per Christum) cui sacræ litteræ id tribuunt, vt per eam nobis iustitia imputetur, a pœnitentia separari non posse, cum Christus, siue Deus per ipsum, perque eius ministros pœnitentiam præceperit, & non nisi pœnitentiam agentibus quidquam pollicitus fuerit. 2. Quamobrem grauis præterea est error tuus, qui putes eam fidem a pœnitentia seiungi posse. Quamuis enim vtriusque separatim alicubi fiat mentio, tamen non ideo id fit, quòd fides in Christum separari a pœnitentia possit, sed vt sciatur, qualisnam ea pœnitentia esse debeat, nimirum qualem Christus præscripsit. atque etiam quia in Christum fides caussa est, vt pœnitentiam illam agamus, in eaque ad extremum vsque perseuerare possimus. Propterea Paulus, cum Athenis in Areopago, vt vidimus, dixisset, Deum omnibus hominibus vbique denunciare, vt pœnitentiam agerent, statim illa verba adiecit, *Eò quòd statuit diem, in quo iudicaturus est orbem in æquitate, in viro, quem definiuit, fidem præbens omnibus, suscitans eum a mortuis.* Act. 17. 31. Vides manifestè id, quod præcipuè Gentibus Deus prædicari voluit, pœnitentiam fuisse, cui tamen Christi cognitio, & ob id fides adiungitur. nempe quia huius voluntatis diuinę ipsa plenissimam fidem facit, adque ei perpetuò parēdum facillimè homines adducit. Hic autē error tuus inde necessariò proficiscitur, quòd, quid sit fides in Christum, quidue credere, Iesum esse Christum, planè ignoras. Sed non est hic ea de re vberiùs disputandi locus.

XXXIII. Cum pag. 218. aduersario, id est Racouiensium scriptore (vt tu eum loquentem inducis) ad apostolica scripta prouocante, tu vicissim prouoces ad scripta prophetica, duo hinc errores tui satis apertè colliguntur. 1. Vnus est, de quo priùs agemus, quòd apostolica cum propheticis scriptis non consentire tacitè affirmas. Etsi enim hoc, quod ad propositam ibi quæstionem attinet, si rectè explicatum fuerit, nullo prorsus pacto perperam dictum censeri debet, videlicet, si intelligatur, aliam esse rationem humanę beatitatis, quam prophetę pro eo tempore populo proposuerunt, & scriptis suis complexi sunt, aliam verò eam, quam apostoli suis scriptis consignarunt, id est aliud prophetas, aliud

verò apostolos Dei nomine hominibus præcepisse, si beati esse velint, tamen tibi perperam dictum existimari debet. quippe qui velis, nec Christum, nec apostolos legislatores fuisse, sed Legis Dei (per Mosem scilicet iam antea latæ) vindices, & obscurorum locorum per loca manifestiora interpretes. Sic enim habet ipsa verba tua priore scripto, pag. 21. eademque sententia ex aliis tuis verbis omnino colligitur. immo, nisi apostolica scripta recipere velis, ea ex vniuersa, quam libro tuo comprehensus es, doctrina tua, necessariò elicitur. Certum est autem, tales quoque prophetas fuisse, ob eamque rem, si id verum est, quod de apostolis affirmas, cum propheticis scriptis scripta apostolica in præceptis dandis planè consentire, necesse est.

2. Alter tuus error est, quòd scripta prophetica apostolis anteponenda censes, & non his, sed illis standum esse vis. Ex quo consequitur, apostolica scripta nonnulla continere, quæ admittenda non sint, aut certè suspecta meritò esse possint, quippe quæ non, vt scripta prophetica, spiritu sancto dictante, edita fuerint. quemadmodum etiam satis intelligi potest ex ipsis verbis tuis. Ais enim, *Et ego ad scripta prophetica* [*prouoco*], *quæ dictante spiritu sancto sunt edita.* quasi verò scripta apostolica, ad quæ prouocantem priùs feceras aduersarium tuum, minimè spiritu sancto dictante edita fuerint. Qui tuus error qualis, quantusque sit, a nobis latiùs hoc loco non explicabitur, sed vnicuique iudicandum relinquetur. Nam, quòd ibidem addis, *& in quibus est vita æterna*, ex quibus verbis similiter, quemadmodum apertum est, te affirmare, in propheticis scriptis vitam æternam esse, sic non admodum obscurum est, te negare, in apostolicis scriptis esse vitam æternam, quorum vtrumque eo sensu, quo a te dicta, aut indicata sunt, planè falsum est, hac de re, inquam, inferiùs aliquid explicatiùs dicemus.

XXXIV. Cum iis, quos modò notauimus, erroribus tuis ille mirum in modum consentit, qui pag. 222, & pag. 223. continetur, & a nobis primæ partis cap. 7. indicatus est. Apertè enim, si tibi tuæque doctrinæ fides adiungatur, ex prædictis locis colligitur Christum nihil dixisse, quod Deus antea alia ratione non dixerit, &, quæ Deus ante Christum mandauerat, a Christo nullo modo mutari

mutari potuisse. Illud, vt alibi vidimus, aliis verbis cõprehensum est prædictâ pag. 222. Hoc verò pag. 223. in illis verbis, *Falsum igitur est Christum charitatem & patientiam* (quamquam operarum incuriâ, quæ ab eo, qui errata collegit, minimè animaduersa fuit, legitur, *& charitatem patientiam*) *docere Magistratum, cum maior charitas aut patientia in Magistratu esse non debeat, quam Deus pater & maior domino nostro Iesu Christo, esse mandauerit.*

Iam verò ex istis assertionibus tuis vnum de quatuor, quæ statim dicam, necessariò concluditur, Aut Christum verè a Deo missum non fuisse, verèque Dei nomine locutum non esse, Aut manifestè constare, mandatum illi fuisse a Deo, vt nihil aliud omnino populum doceret, quàm id, quod iam antea diuinitus doctus fuerat, Aut non posse Deum, vel non solere ea, quæ semel mandauit, aut promisit, vlla ex parte vmquam mutare, vel reuocare, Aut denique perspicuum esse, Deum omnino decreuisse, vt ea omnia, quæ ante Christi aduentum populum suum docuisset, prorsus immutabilia forent, adeò vt ne addi quidem illis vmquam aliquid posset.

Primum falsissimum est, & propterea maximè impium. cum valde perspicuum sit, neminẽ vmquam veriùs a Deo missum fuisse, quàm Iesum Christum, neminemque veriùs, quàm ipsum, Dei nomine locutum esse, immo ipsum cæteris omnibus hac in parte non minùs, quàm in reliquis, longè antecessisse. Nam quid illa sunt, Descendi de cælo, Exiui a patre, & eiusmodi alia non pauca? quid aliud, inquam, sunt, quàm (si modò vera dixit Christus) apertissima & certissima testimonia, ipsum quàm verissimè, & singularissima quadam ratione a Deo missum fuisse? Quid item illa, *Qui uidit me, uidit patrem, &, Ego in patre, & pater in me est*, ac pleraq; similia, quàm clarissimę & firmissimæ testificationes, ipsum Dei nomine cum maximè verè, tum maximè propriè locutũ fuisse? Quibus adde, quòd ipse in sinu patris esse dictus est, quòd Dei inconspicui imago appellatur, expressaque forma substantię illius, quod in ipso habitare scriptum est omnem plenitudinem diuinitatis corporaliter, quòd denique, vt alia pæne innumerabilia testimonia reticeam, Deus ipse de cælo sic de eo testatus est. Hic est filius ille meus dilectus, in quo mihi bene complacui. ipsum

Ioh. 6. 38. 16. 27. Ioh. 14. 9, & 10 Ioh. 1. 18. Col. 1. 15. Heb. 1. 3. Col. 2. 9. Matth. 17. 5.

sum audite. Hęc autem pauca testimonia ad rem tam manifestam, quamque si quis neget, is, se christianum nullo modo esse, fatea-tur necesse est, confirmandam minimè attulissem, nisi quædam verba tua, quæ antea retulimus, te ea de re dubitare, suspicionem cupiam iniicere posse, animaduertissem. Nam, si firmiter credis, Iesum Christum verè a Deo missum, verèque Dei nomine locu-tum fuisse, quid hîc attinet commemorare, Deum patrem maio-rem domino nostro Iesu Christo esse. Quantóuis enim minorem Deo patre Christum esse velis, tamen quidquid dixit Christus, Deus ipse pater dixisse censendus est. & propterea, quod attinet ad auctoritatem, quam Christus dicendi haberet, nulla prorsus istius (vt ita dicam) diuinæ paternæque maioritatis ratio est ha-benda.

Sequitur alterum, quòd scilicet apertè constet, Christo a Deo mãdatum fuisse, ne populum suum aliud quidquã doceret, quàm illud ipsum, quod iã is populus diuinitus doctus fuerat. Verùm quid vsquam ea de re apparet? aut quis est, qui se ex animo chri-stianum esse profiteatur, qui id affirmare audeat, immo verò non exhorrescat, cum Christus ipse & verbis cõtrarium testatus sit, & reipsa aliud populum docuerit præter id, quod antiquius di-uina ratione edoctus fuerat? Quod ex iis apertissimum esse arbi-tramur, quæ a nobis copiosè in prima huius responsionis nostræ parte disputata hac de re fuerunt.

Tertium erat, quòd Deus vel non posit, vel non soleat id, quod semel mandauit, aut permisit, vlla ex parte vmquam muta-re, aut reuocare. Prior huius dicti pars summã vel impietatem, vel ignorantiam adeò & præ se fert, & reuera continet, vt refu-tatione non egeat. Quid enim? an non potest Deus ad tempus aliquid velle, & non in perpetuum? Num fortasse inconstans, aut mutabilis erit, si, quæ semel voluit, perpetuò etiam non velit? Atqui istud tunc demum verum esse posset, si, cum aliquid prę-mùm voluit Deus, id etiam perpetuum fore decreuisset. de quo mox videndum erit. Alioqui Deo minùs, quàm hominibus con-cederemus, quos certum est posse nullâ inconstantię, aut mutabi-litatis notâ, multa ad tẽpus tantum velle. & rursus eidem id ad-meremus, ex quo maximè inter cætera apparet, ipsum esse vm-cum, &

cum, & summum omnium rerum dominum, & cuncta pro arbitratu, atque imperio suo regere, ac moderari. Posterior autem eiusdem dicti pars planè falsa est, & falsitate sua prioris falsitatem apertè coarguit. Certissimum est enim, multa a Deo priùs vel mandata, vel permissa fuisse, quæ postea ab ipso mutata, aut reuocata fuerunt. Et, ne longiùs abeam, præsertim cum tu ca neges, quæ manifestissima sunt, &, ipsum populum Hebræum a ceremonialibus præceptis liberatum fuisse, minimè concedas, quatamen in re quantopere fallaris, postea videbimus, ne longiùs igitur abeam, dico, teipsum confiteri, ante Christi mortem ex Dei lege non licuisse præputiatis coniungi populo Dei, nisi circumciderentur, post mortem verò licuisse. vt ex iis apertum est, quæ scribis priore scripto pag. 40. Ex quo consequitur, ex eadem Dei lege non licuisse Iudæis ante Christi mortē cum præputiatis matrimonia contrahere, post verò licuisse. vt ipse fateris pag. 226. Et hæc, quod attinet ad Dei mandatorum immutationem. Quod verò pertinet ad permissionum reuocationem, illud satis, superque est, vnde etiam erroris conuinci manifestò potes, quòd, vt alibi obseruauimus, pag. 252, & 253. ea scribis, ex quibus omnino hæc sententia elicitur, ante Christum permissum fuisse, vt quilibet eum, qui se iniuria affecisset, etiamsi pœnitentiam ageret, per magistratum vlcisceretur, post Christum verò minimè. quippe qui hanc charitatis legem ipse tulerit, ne quis accedat ad magistratum, & se offendentem puniri curet, cum offendentem pœnitet admissi mali.

Restat quartum, quod erat, Deum euidenter decreuisse, vt, quę ante Christi aduētum populum suum docuisset, prorsus immutabilia permanerēt, adeò vt ne adiici quidem ipsis quidquā in æternum posset. quod non minùs falsum, quàm reliqua tria, censeri debet. Etsi enim multis in locis veteris testamenti Deus affirmat, ea mandata, quæ populo per Mosem aut iam dederat, aut tūc dabat, æterna esse debere, tamen (vt peruulgatas alias responsiones eorum omittam, qui mecum sentiūt, id est omnium ferme Christi nomen profitentium) Deus ita locutus est, non vt moneret, se numquam mādata illa mutaturum (quid enim hoc monere opus fuerat, etiamsi Deus id facere omnino decreuisset? an non satis

satis fuisset illa numquam mutare:) sed vt populus numquam ea antiquata esse suspicaretur, nisi prius aliud ab ipso cõstitueretur, etiamsi nihil præterea de iis seruandis ipse locutus fuisset. Itaque non sibi ea mutandi, sed populo (ex suo nimirum capite) mutata censendi viam præcludere voluit. Quid, quod possunt ea manda-ta (vt profectò Decalogi moralia sunt) æterna esse, & tamen nis aliquid adiici, quod tu Christum nullo pacto fecisse contendis? qua de re alibi supra satis disputatum est. Certè, quidquid in ve-tere testamento de non addendo legi Dei dicitur, id non ipsum Deum, sed populum respicit, ne scilicet populus ipse per se ita au-dax esset, vt legi diuinæ quidquam adiiceret. Iamque tandem di-iudicari potest, quid cẽsendum sit de assertionibus illis tuis, cum ex iis quatuor, quorum vnum saltem inde cõsequi necesse est, nul-lum vel maximè impium, vel omnino falsum esse non appareat.

XXXV. At rursus modò notato errori tuo valde affinis est ille, qui ex iis verbis colligitur, quę scribis pag. 225. *Igitur & Paulus correxit Mo-sis legem. Est igitur lex Mosis non Dei, sed quiddam quale quale, quod sit cuiusuis illud emendare.* Hinc enim manifestum est, te sentire, Paulum non diuinum, sed vulgarem hominem fuisse nulla diuinarum rerum singulari cognitione præditum. Nam certè, cum velis, siquid Pau-lus facere potuit, idẽ cuiuis facere licere, apertè ostendis, te Pau-lum nõ pluris facere, quàm quemuis alium. Qua in re quàm gra-uiter erres, qui Iesu Christi apostolos nullo propemodum nu-mero habeas, ii ex Christi nomen profitentibus videbũt omnes, qui iudaico spiritu excæcati non fuerint.

XXXVI. Pag. 226. dicis, vel potiùs dicere vis, expansa per Christum Dei benedictione ad omnes gentes præputiatas, constitisse ma-trimonium inter ipsas, etiãsi altera pars noluisset credere, Iesum esse Christum. *maximè cum* (ipsa tua verba recito) *nullum esset pericu-lum ne pars credere nolens traheret partem credentem ad cultum aliorum deo-rum: cuius periculi causa diuulsiones matrimoniorum inter Iudæos, & non Iu-dæos fiebant.*

Hic non video (quod & alibi supra indicauimus) quomodo aduersus rationem, ipsamq; adeò experientiam non grauiter er-res. Nam quę causa est, cur, si alter ex duobus coniugatis, qui Iu-dæus non fuisset, facilè alterum ad cultum aliorum deorum, pri-

terquam vnius Iehouæ, trahere potuisset, vt ipse & confiteris, & planè constituis, & sacræ litteræ testantur, cur, inquam, alter ex duobus cõiugatis, qui christianus non esset, sed idolorum cultor ad idola sua colenda alterum pertrahere nullo modo potuerit? Nam, si dicas, non posse eum, qui semel idola reliquerit, ad ea colẽda amplius reuerti, hoc fortasse verum videri posset, si de interiore dumtaxat cultu sermo esset. Nunc, quando idem hîc præfiat exterior, quod interior cultus, & de vtrocumque est sermo, fatendum est, posse eum, qui idola colenda non esse agnouerit, ab eorumque cultu se penitus separauerit, ad ea tamen colenda iterum reuerti, & quapiam, licèt iniusta, de caussa id facere, quod ipse minimè probet. Quod vtinam & nostro, & antiquioribus seculis non tam frequenter ipsâ experientiâ comprobatum fuisset. Quamquam nihil prohibet, eum, qui semel veritatem agnouerit, iterum mendacio fidem adiungere. Multa enim sunt, quę nos excæcandi vim habent. inter quę omnium ferè sapientium testimonio mulierum amor præcipuum locum obtinet. Censet Paulus, imminente persecutione, satius esse cęlibem viuere, ne fortè conIugis cura, & amor a recto cursu nos auocet, aut segnes ac timidos in diuina obedientia, Euangeliiq; professione efficiat. Quot hodie vidimus, ac videmus inter eos, qui Christi nomen profitentur, qui, vt coniugi placeant, idola a quibus aliqua ratione semel desciuerant, rursus colunt, ac venerantur? Adde, quòd Pauli sentẽtia de non dirimẽdis fidelium & infidelium coniugiis non modò locum habere censenda est, vbi fideles priùs infideles fuerant, sed etiam vbi perpetuò fuerint fideles. Itaque crediderim, si contingeret, vt ex duobus matrimonio copulatis alter ex fidelibus natus semper in fide perseuerasset, alter verò post matrimonium a fide desciuisset, si vnà habitare consentirent, alterum ab altero dimittẽdum non esse. Quod si cõcedatur, iam cessat caussa illa nullius periculi, ne fidelis ab infideli ad aliorũ deorum cultum trahatur, quòd scilicet is, qui semel idola reliquerit, ad ea amplius colenda redire non possit. hîc enim fidelis numquam idola reliquit. neque vlla inter istum, & eum, qui natus Iudæus fuerit, quod ad hanc rem attinet, differentia constitui potest.

1. Cor. 7. 26.

Memini, me in prima huius disputationis nostræ parte non XXXVII.

semel te reprehendisse, quòd quædam ad ciuiles causſas pertinere diceres, non autem ad crimina, in quibus tamen de delictis agebatur, nec satis mirari potuisse, cur ita loquereris. At nũc video, vnde factum sit, vt ita locutus fueris. Pag. enim 246. ais, *Ius autem ciuile est omne ius præterquam de capite.* Sed vnde quæso istud tuum enunciatum deprõpsisti? Nam Iuris ciuilis nomen propriè sumptum omne ius significat, quod proprium alicuius ciuitatis est, &, cum ita simpliciter pronunciatur, κατ' ἐξοχὴν ius ciuile Romanorum declarat. Et quamquam, propriè loquendo, id ius, quod Romanorum est proprium, eo nomine intelligatur, tamen vsus obtinuit, vt omne ius, quo Romani vtuntur, ea appellatione plerumque significetur, siue id ex peculiaribus populi Romani initutis proficiscatur, siue ex alterius cuiuspiam populi, vel etiam ex ipsius naturæ, & gentium placitis sumptum fuerit. Hac igitur nominis Iuris ciuilis notione, quæ apud bonos auctores frequenter extat, illud ius quoque comprehenditur, quod ad ipsa crimina, adeóque ad capitales causſas pertinet. nec enim minùs (verbi gratia) iuris ciuilis Romanorum pars est lex Cornelia de sicariis, quæ, vt inquit Iustinianus, homicidas vltore ferro persequitur, quàm lex Falcidia, qua, vt idem ait, legatis modus impositus est. Est tamen alia in communi loquendi vsu, & apud minùs probatos auctores non quidem Iuris ciuilis, vt arbitror, sed Causſarum ciuilium significatio, vt Causſarum ciuilium appellatione eæ omnes causſæ intelligantur, in quibus de nullo delicto præcipuè agatur, siue id capitale sit, siue minùs. Quibus Causſæ criminales, seu Crimina opponuntur, easque causſas significant, in quibus de aliquo delicto, quantumuis leui, præcipuè agitur. Itaque vides, & secundùm hanc, & secundùm illam significationem te pessimè vbique locutum fuisse, & hic eiusmodi notionem huic voci Iuri ciuili subesse affirmasse, quæ ab omni cum loquentium, tum scribentium consuetudine maximè abhorret.

Instit. lib. 4. titulo. De publi. iud. et lib. 2. tit. De lege Falc.

XXXIIX. *Transtulit ad se* (inquis pag. 250.) *Enochum* (Deus) *ne malitia eius immutaret animum.* 1. Hoc ex tuo, vel alio humano capite confictũ est. Haud paullo aliter auctor epist. ad Heb. cuius hæc sunt verba.

Heb. 11. 5. Gen. 5. 24. *Fide Enoch translatus est, ne uideret mortem, & non inueniebatur, quia transtulit illum Deus. ante translationem enim ipsius testimonium habuit, placuisse Deo.*

cui

cui consentit egregius sanè, quamuis non planè classicus, diuina- Eccle. 44. 15.
rum rerum scriptor Iesus Sirachi filius. Non igitur, ne malitia 49. 16.
animum eius immutaret, vt tu comminiscéris, sed quia Deo ca-
rus erat, translatus est Enochus a Deo, & a morte conseruatus.
qua conseruatione nihil erat opus, si id Deus cauere voluisset, ne
Enochi malitia eius animum immutaret. Satis enim fuisset, si
eum in hac mortali vita ampliùs esse non permisisset. nec tu pro-
fectò ad id declarādum, quod eo loco intelligis, vlla alia re opus
habes. 2. Nec porrò leuiter culpandus es, qui Enochi exemplum
ibi attuleris, vbi de morte tantùm a Deo immissa quæritur. cum
Enochus non modò, vt ipse fateris, ad Deum translatus fuerit,
verùm etiã, vt planè diuinus scriptor ille testatur, idcirco trans-
latus fuerit, ne mortem videret.

XXXIX.

Pag. 256. ais, leges omnes virtutis, & vitii dictatas a Deo pa-
tre nostro non pertinere ad magistratus, quà magistratus sunt.
Nam (inquis) *non essent latæ in homines sed in Deum.* *Est enim magistratus*
Deus in terra. *Cum autem lex non sit lata iusto homini sed iniustis hominibus,*
videretur Deum posse iniustum esse, si leges iustitiæ pro ipso Deo continendo in
officio essent latæ, &c.

Hic sanè, Palœologe, videris studio importunè magistratibus
assentandi ita abreptũ fuisse, vt existimationis de iudicio, cõstan-
tiaq; tua nullam rationem habueris. 1. Primùm enim, quod atti- *Palæologi iu-*
net ad iudicium, quid magis absurdum excogitari potest, quàm, *dicium desidera-*
magistratum ita deum in terra esse, constituere, vt in munere suo *ratur.*
exequẽdo errare nequeat, & ne ab ipso quidem Deo, quà magi-
stratus est, ei leges imponi possint? eumque (vt vno verbo di-
cam) ipsissimum Deum facere? Est quidem magistratus deus in
terra, quatenus supremam inter homines potestatem habet, ipsi-
usq; Dei vicarius est. ex quo fit, vt ei siue iusto, siue iniusto resiste-
re nullo modo liceat, nec eius mandata negligere, nisi ea diuinæ
patefactæ voluntati, præceptisque nobis ab ipso Deo datis ad-
uersentur. Sed, quòd pro ipso magistratu in officio continen-
do nullæ iustitiæ leges a Deo datæ fuerint, id verò & per se ma-
nifestè falsum est, & tu ipse (2. vt deinde de inconstantia tua aga- *Palæologi in-*
mus) eius contrarium paullo post fateri coactus fuisti. ac dixisti, *constantia.*
Proposuit tamen Deus suis vicarijs, ne prolaberentur, quasdam administrandi iu-

ris præscriptiones, quæ ad priuatos homines non pertinent, sed ad magistratus.
Quod si fortè istas administrandi iuris præscriptiones a iustitiæ legibus pro magistratu in officio cõtinendo, aliqua ratione, quæ tibi quidem subtilis videatur, sed futilis reuera, & planè ridicula sit, distingui velis, in eo saltem inconstantiæ crimen vitare non possis, quòd rationem, quam priùs attuleras, vt probares, a Deo nullas iustitiæ leges pro magistratu in officio continendo latas fuisse, quia scilicet, cum magistratus Deus sit, videretur ipse Deus iniustus esse posse, hanc, inquam, rationem postea nihili facis. Nam certè eadem ratione euincitur, Deum vicariis suis, id est magistratibus, nullas iuris administrandi præscriptiones propo suisse, ne prolaberentur. Alioqui, cum magistratus Deus sit, videretur ipse Deus prolabi posse.

XL. Explicans pag. 257. quomodo, vti affirmaueras, nos non ita diceremur filii Dei, sicut Iesus Christus filius Dei dicitur, sic aiũ, *Ipse enim, ut Rex & magistratus noster, post mortẽ declaratus cum potentia filius Dei, suscepto regno nouo & rediens ex longa peregrinatione: Nos autem credẽdo ipsum Iesum esse Christum.* Vt cętera errata tua, quæ in hac a te inter nos, & Christum differẽtia constituta continẽtur, reticeam, vt pote quę longiorem disputationem requirant, illud vnum, quod admodum procliue est, indicabo, te scilicet cum explicare debebas, quomodo nos filii Dei dicamur, vnde fiat, vt eo peruenimus, explicasse, id est pro formali (quã vocant) caussa efficiẽrem dixisse. Neque enim ipsum credere, Iesum esse Christum, filiorum Dei appellationem in seipso complectitur, sed qui credit, Iesum esse Christum, is, quia sic credit, illud, siue illa statim consequitur, vnde meritò Dei filius dici potest.

XLI. Diximus in secunda huius nostrę respõsionis parte, falsò a te pag. 262. Racouiensibus obiectum fuisse, quòd dicerent, terrã chananæã mercedẽ a Mose seruantibus legem Dei fuisse propositam, id tamen, quod eos dicere aiebas, falsum esse, a te ex parte demonstrari affirmauimus. Hoc enim facis in illis verbis ex Paulo desumptis, *Nam si ex lege hæreditas iam non ex promissione.* Verùm quędam ibidem de tuo subiicis admodum peruersè dicta. Ais enim, *Terra autem Chananæa non est hæreditatis, sed promissionis.* Quasi supra a te ex Pauli mente inter hereditatem, & promissionem distinctum fuit,

Gal. 3. 18.

sci-

set, & quasi, quidquid seruatę legis Mosaicæ merces est, heredi-
tatis quoque (vt tu loqueris) esse necesse sit. 1. An non manife-
stè Paulus in illis verbis hereditatem cum promissione coniun-
git, cum ex eo, quòd hereditas ex promissione pendeat, eam ex
Lege esse negat? 2. An non tu ipse pag. 260. inter hereditatem, *Palæologus sibi*
& mercedem apertè distinguis? 3. Quomodo autem, terram *aduersatur.*
Chananæam hereditatis esse, prorsus negare es ausus, cum here- *Leuit. 20. 24.*
ditas disertè in sacris litteris appelletur? Sed statim addis, *ita ut* *Psal. 135. 12.*
non nisi impij eam attigerint. 4. Quàm rectè hoc ex ante dictis conse- *Heb. 11. 8.*
quatur, aliorum erit iudicium. 5. At, quàm verum sit, ipse sen-
tentiam feres, qui illico subiicis, *Vnde præter duos ob non seruatas leges*
Dei, fuerint omnes ad unum cæsi in deserto à Deo. Nam, si violatores di-
uinarum legum in deserto perierunt, quomodo soli impii Cha-
nanæam terram attigerunt? 6. Id saltem ex te scire velim, quo- *Palæologus se-*
modo ex eo, quòd non nisi impii eam attigerint, inferas, legum *ipsum refellit.*
Dei violatores in deserto periisse. Hæc duo sanè vel inter se om-
nino repugnant, vel certè alterum ex altero concludi nullo mo-
do potest.

Sed iam, seligendis erratis tuis, ad eum locum peruenimus, XLII.
vbi omnium fortasse maximum, quodque cæterorum magna ex
parte fons, atq; origo est, multò quàm alibi, expressius habetur.
Quamquam enim ex iis omnibus, quæ in hac tua cum Racouien-
sibus disputatione scripsisti, perspicuum est, te discrimen Legis,
& Euangelii minimè intelligere, & passim vbique sententiæ tuæ
propria & clarissima vestigia apparent, tamen id apertissimè,
tamquam suo loco, iis verbis consignatum est, quibus nomina-
tim, quamnam inter Legem, & Euangelium differentiam consti-
tuas, explicare voluisti. Sic enim scribis pag. 264, & 265. Ego *discri-*
men legis & Euangelij aliud esse non intelligo, nisi in uocatione præputiatorũ ad
Ecclesiam, ut illi præputiati scilicet essent liberi & non sicut Iudæi sub iugo legis
circumcisionis, Sabbatorum, purificationum, & cæterorum sacerdotij Aaronici,
seruirent Deo, sed cætera erant conformia: ut scilicet uterque populus colloca-
ret spes suas in uno Deo, & in unum Iesum (qui receptus pro Christo, liberabat
homines à uentura ira, crederet. In una lege uirtutis & uitij, in uno præmio ui-
tæ æternæ, in una obedientia erga Deum, in uno metu gehennæ, post hanc uitam
contineretur. Nullum discrimen, inquam, inuenio, inter hos duos populos, hoc

est, inter legem & Euangelion, nisi quod Iudæi essent secundum carnem circumcidendi, præputiati non essent.

Antequam de re ipsa diligentiùs agamus, quædam examinanda sunt, quæ ad modum explicandæ sententiæ tuæ pertinent, atq; ea in re errores quidam, & inconstantiæ tuæ retegendæ, vt simul etiam aliquantò clariùs, quid tibi velis, intelligi queat. 1. Primùm igitur, cum discrimen Legis, & Euãgelii explicandum proponas, id est, in quo lex per Mosem lata a Christi Euangelio differat, duorum populorum, nempe Iudæorum, & Gentilium post Christum exhibitum differētiam explicas. quos etiam duos populos nomine Legis, & Euangelii videris intelligere, cum ais, *inter hos duos populos, hoc est, inter legem & Euangelion.* 2. quod quàm sit absurdum, omnes facilè iudicabunt. Nec sanè iste tuus pluſquam figuratus loquendi modus tibi concedi vllo pacto potest, nili intelligas, Iudæorum perpetuò Legem esse propriam, Gentilium verò Euangelium. 3. At hoc deinde cum eo pugnat, quod scripsit, te Iudæis quoque Euangelium tribuere. Igitur, te ipso teste, in ipsis Iudęis vtrumq; omnino considerandum est, Lex, & Euangelio differat, explicandum, si proposita de Legis, & Euangelii discrimine quęstio decidēda est, non autem de differentia tantùm duorum populorũ agendum. Nam hoc est potiùs vtriusq; euangelii, quod tu, vt postea videbimus, somniasti, quàm Legis, & Euangelii discrimen exponere. Sed tamen, quid de differentia duorum populorum scribas, videamus, atq; hac ratione simul sententiam tuam de discrimine Legis, & Euangelii inquiramus.

Palæol. pugnãtia scribit.

Ais, vt vidimus, præputiatos vocatos fuisse ad Ecclesiam, vt tamen essent liberi, & non, sicut Iudæi, sub iugo legis circumcisionis, Sabbatorum, purificationum, & cæterorum sacerdotii Aaronici. & sic vis, Iudęos istis omnibus seruandis, etiam post Gentium vocationem, fuisse obnoxios. 4. At verò alibi aliter loqueris. Prædictã enim pag. 289. sic ais. *Inter hæc, inquam, duo Euangelia hoc erat discriminis quod illud* (circumcisionis) *erat seruitutis, hoc autem* (pręputii) *libertatis, & libertas quidem & seruitus in circumcisione sola, & purificationis*

Palæologi inconstantia.

& purificationis ratione tota uersabatur. Vides, te hîc Sabbatorum, aut, præter purificationes, cæterorum, quæ ad sacerdotium Aaronicum pertinent, nullam mentionem facere, additis etiam vocibus illis, Sola, & Tota. quę sine dubio præter circumcisionem, & purificationis rationem cætera omnia penitus excludunt. 5. Quinetiam in iisdem ipsis ante recitatis verbis nequaquam tibi consfias, & hac de re tertio quodam modo loqueris. Nam in eorum fine, vt apparet, discrimen illud duorum populorum in eo tantùm fuisse vis, quòd Iudæi essent secundum carnem circumcidendi, præputiati non essent. Quòd si dicas, te hoc loco per circumcisionem secundum carnem vniuersam legem Mosaicam intellexisse, quemadmodum non rarò Paulum fecisse, apertum est, Respondeo primùm, id, vt omnes cognoscent, non rectè ibi factum a te fuisse, vbi paullo ante, de eadem re loquens, circumcisionem pro ipsa circumcisione acceperas, eamq; ab aliis præceptis Mosaicis distinxeras. Deinde dico, non propterea finem tuorũ verborum ipsorum principio consentaneum futurum. Neque enim, quæ ab initio enumeraueras, circumcisio, Sabbata, purificationes, & reliqua Aaronici sacerdotii, ea omnia complectuntur, quę sunt in lege Mosis, & a præputiatis seruari opus non erat. nulla enim in his mẽtio delectus ciborum a Mose præscripti, qui numquam, nisi minima ex parte, præputiatis mandatus fuit, idque, vt ex Paulo liquet, ad tempus. Namque is planè nullum ciborum delectum agnoscit, & ipsas idolis sacrificatas dapes, modò id sine alterius offendiculo fiat, comedi posse concedit. quæ tamen vnà cum suffocato, & sanguine ab initio præputiatis interdictæ fuerant.

Palæologi inconstantia.

Rom. 14. 14. 1. Cor. 8. 7, &c.

Act. 15. 29.

Iam verò, etiamsi tam parum tibi constes, potest tamen ex dictis tuis colligi, te inter Legem, & Euangelium hoc pacto distinguere, Vt sub Lege solis circumcisis pars in Dei populo esset, sub Euangelio verò etiam præputiatis. & sub Lege quidem debuisse omnes, qui partem in Dei populo haberẽt, quidquid in ipsa Mosis lege mandatum erat, seruare, at sub Euangelio eos tantùm, qui ex Iudaico sint populo. reliquos a ceremonialibus, (quæ vocare solemus) eiusdem legis mandatis liberos esse. Cęterùm, quod attinet ad moralia præcepta (sub quibus ea quoque fortasse comprehendis,

prehendis, quæ iudicialia appellantur) omnia ab omnibus, nulla re addita, aut imminuta, vt in ea lege scripta sunt, seruari debere, nec vllam præterea inter Legem, & Euangelium differentiam siue in præceptis, siue in promissis constitui debere.

Hæc tua de Legis, & Euangelii discrimine sententia duplici tatione reiicienda est, Primùm, quia magnum discrimen in eo statuit, in quo nullum est. Deinde, quia nullum agnoscit, vbi est maximum. 6. Nam (vt priùs de priore ratione agamus) plane falsum est, quod ais, etiam sub Euangelio, & post præputiatorum vocationem Iudæos lege circumcisionis, Sabbatorum, purificationum, & reliquorum Aaronici sacerdotii teneri. Ex Pauli enim verbis manifestum est, ista omnia non quidem a præputiatorum humeris, vt tu priore scripto in extrema pag. 40. loqueris, sed a Iudæorum sublata fuisse. Nec sanè a præputiatorum humeris ea auferri poterant, quæ iis numquam imposita fuerant. Itaque, cum Paulus, ad Ephesios scribens, ait, Christum, vt Israelis populum, & Gentes vnum faceret, legem mandatorum in decretis aboleuisse, id non Gentium, sed Israelis populi respectu eum dixisse, necesse est. Quid enim attinebat legem istam Gentium ratione abolere, id est ea lege Gentes liberare, quæ numquam illis lata fuerat? Breuiter, si ea lex abrogata fuit, vt Paulus disertè affirmat, eâ ne Iudæi quidem teneri vllo modo possunt. Et certè, vt Gentes, & Iudęi vnum fierent, aut vtrisque, aut neutris lex ista in posterum imponenda erat. Apparet enim, Paulum non de simplici quadam istorum populorum vnitate loqui, vt scilicet vterque populus Dei populus esset, sed omnimodam vnitatem intelligere, quæ etiam ex eo potissimùm proficiscatur, quod de lege ista factum est, ex cuius abolitione ipsos Iudæos reformatos fuisse, & nouos homines factos, ipsa Pauli verba apertè testantur. Inquit enim, *Legem mandatorũ in decretis euacuans, vt duos condat in semetipso in unum nouum hominem, faciens pacem*, &c. Quòd si adhuc Iudæi eadem lege tenentur, certè eius abolitione nihil in ipsis nouatum fuit. Idem apostolus, ad Colossenses hac eadem de re scribens, ipsis verbis vtitur, quibus planum faciat, non Gentilibus, sed Iudæis ipsis legem istam abrogatam fuisse. Sic enim ait, *Et uos, cum mortui essetis in delictis, & præputio carnis uestræ, conuiuificauit cum illo, donans uo-*

Ephes. 2. 14.

Col. 2. 13.

bis omnia delicta. Hactenus de eo manifestè loquitur Paulus, quod Deus per Christum cum Gentilibus fecit. Deinde addit, *Delens quod aduersus nos erat chirographum per decreta, quod erat contrarium nobis,* &c. Hoc verò nõ minùs manifestè ad ipsos Iudæos pertinet, quorum ex numero Paulus erat. & idcirco Nobis dixit, non autem Vobis, vt antea locutus fuerat. Nec aliud sibi vult apostolus, quàm, cum populus Iudaicus, legem Mosis vniuersam se seruaturum Deo promittens, quasi proprio chirographo ad ceremonialia præcepta seruanda ei se obstrinxisset, Deum ab ista obligatione per Christum populum istum manifestè exemisse, & chirographum propterea deleuisse, ac deletum ostentasse, vt creditores solẽt, cum debitores suos palàm obligatione soluere volunt, de qua per ipsorum syngraphã sibi ab ipsis traditam apertè constabat. Quomodo verò syngrapha, seu chirographum istud Gen tibus contrariũ esse poterat, cum Gentiles non modò numquam decreta illa, id est ceremonialia præcepta se seruaturos promisissent, sed neque etiam vlla alia ratione ad ea præcepta conseruanda obstricti essent? Decretorum enim nomine hìc omnino Pau lum ceremonialia præcepta intellexisse, id planissimũ facit, quod deinde concludens ait, *Nemo ergo uos iudicet in cibo, aut in potu, aut in parte diei festi, aut neomeniæ, aut sabbatorum, quæ sunt umbra futurorum, corpus autem Christi.* Nam, si Iudæi ipsi, qui se hæc seruare promiserant, eaque seruare debebant, Dei benignitate sunt ab ea obligatione liberati, qua ratione poterit quis Gentiles ad ea seruanda adigere? Etenim aliàs quoque eodem ferè modo argumẽtatus est Paulus, &, Petrum reprehendens dicit, *Si tu, cum Iudæus sis, gentiliter uiuis, & non iudaicè, quomodo Gentes cogis iudaizare?* Atque ex hoc ad Colosſ. loco (si quis ea de re fortasse dubitat) quid item in epistola ad Ephes. significet lex illa mandatorum in decretis, perspicuum est. Quamquam in eo ipso loco apertissimum indicium extat, ceremonialia Legis præcepta ea lege significari, cum ibi, vt vidimus, affirmetur, eam a Christo abolitam fuisse. moralia enim Legis præcepta, vt alibi supra disputatum fuit, Christus nequaquam abrogauit. Appellantur autem ceremonialia præcepta Decreta, siue, vt græca vox habet, Dogmata, quia non habent præcepta ista originem a natura, vel ratione ipsa, neq; iis, tamquam

Exo. 24. 3.

Gal. 2. 14

fundamento aliquo, nituntur adeò, vt conuelli nequeant. sed ex sola voluntate præcipientis omnino pendent, & propterea facilè ex eiusdem voluntate tollũtur. Verbum enim græcum δοκεῖν, vnde nomen δόγμα formatur, Sibi videri, seu Censere significat. Itaque ea præcepta, quæ ideo data fuere, quia sic censuit is, qui præcepit, sicque illi visum est, rectè dogmata nominantur. Potuissem multò plura, immo ferè infinita afferre, vt demonstrarem, ceremonialia præcepta ipsis Iudæis abrogata fuisse, & nihil omnino, hac etiam in parte, inter ipsos, & Gentiles interesse. Sed hęc pauca ad veritatem istam confirmandam in præsentia satis erunt. Si vmquam contigerit, vt librum tuum De duobus populis, cuius pag. 265, & 289. mentionem facis, & ad quem scripti Racouiensium auctorem reiicis (quem tamen librum numquam publicè editum fuisse arbitror) videre, ac legere possim, tunc fortasse pleniùs hac de re scribam, & quãto in errore versetis, in duobus istis populis sub Christo distinguendis planum facere conabor.

7. Illud tantùm addam, nihil, iudicio meo, perperam magis dici posse, quàm id, quod, vt supra monuimus, a re affirmatur, duo fuisse euangelia, Vnum, quod prædicabatur ab apostolis, quos Iesus Christus ante mortem elegerat, Alterum, quod prædicabant Paulus, & eius socii electi a Iesu Christo, postquam ascenderat in cęlum, & hoc vocatum fuisse pręputii a præputiatis populis, quorum intererat, illud verò circumcisionis, quòd Iudæis nunciaretur. quemadmodum pag. 289. disertè scribis. Nihil, inquam, magis perperam, iudicio meo, dici potest. Vnius enim tantùm euangelii Iesu Christi, quod omni creaturæ, quæ sub cælo Col. 1. 23. est, annunciatum fuerit, quodque tam ad Gentes, quàm ad Iudæ- Mar. 16. 15. os pertineret, licèt Iudæis primùm, deinde Gentibus annunciari Rom. 1. 16. deberet, noui testamenti sacræ litteræ mentionem faciunt, & Iesus ipse Christus apertè testatus est, futurum, vt illud euange- Matth. 24. 14. 26. 13. lium, quod ipse Iudæis, cum in mundo esset, annunciabat, omnibus gentibus, & in vniuersum mundum annunciaretur. Quid tu (mirum) igitur ais, duo esse, aut fuisse Iesu Christi euangelia? Nume- 1. Cor. 1. 13. quid, vt Paulus inquit, diuisus est Christus? Sed dices, Paulum disertis verbis inter euangelium circumcisionis, & euangelium præputii

præputii distinguere, cum, ad Galatas scribens, ad hunc modum loquitur. *Sed econtra cum uidissent, quòd creditum est mihi euangelium præputij, sicut Petro circumcisionis*, &c. Hic autem solus locus est, vnde sine dubio, istam duplicem euangelii Iesu Christi appellationem olim vsurpatam fuisse, demõstrare te posse credidisti. atque adeò in eo fortasse non istius appellationis tantùm, sed ipsius quoque de duobus euangeliis opinionis tuæ potissimum fundamentum posuisti. 8. Atqui vix dici potest, quàm turpiter hîc lapsus fueris. Quis est enim, qui nesciat, Euangelii nomine sæpe apud eumdem Paulum Euangelii prædicationem significari, siue, verbum Prædicandi, aut nomen Prædicationis nomini illi adiunctũ subaudiri debere? Nam in ipso statim eius epistolarum initio, id est 1. cap. epist. ad Rom. ℣. 1. id manifestè deprehenditur. Quid enim enim aliud est ibi *segregatus in euangelium Dei*, quàm Segregatus ad prædicandum Euangelium Dei? Cui in eadem epistola hos duos locos adde, cap. 1. ℣ 9, & cap. 15. ℣ 19. atque ex reliquis epistolis de multis hos paucos a me selectos adiũge, 1. Cor. 4. ℣ 15, & cap. 9. ℣ 12, & ℣ 14. in illis verbis, *de Euangelio uiuere*, 2. Cor. 8. ℣ 18, Philip. 1. ℣ 12, & cap. 4. ℣ 15, 1. Thess. 2. ℣ 4, 2. Tim. 1. ℣ 8. Itaque nemini dubium esse potest, quin, cum Paulus in epistola ad Gal. ait, sibi creditum fuisse euãgelium præputii, sicut Petro circumcisionis, nomina Præputii, & Circumcisionis non cum nudo nomine Euangelii, seu cum eo, quod id nomẽ per se propriè significat, sed cum nomine simul Prædicationis, quod subaudiatur, seu cum Euangelii prædicatione, quæ ibi eo nomine significetur, rectissimè coniungi posse. vt nihil aliud sit eo in loco, *quòd creditum est mihi euangelium præputij, sicut Petro circumcisionis*, quàm, vt in annotationibus Bibliorum Vatabli legitur, *delegatam mihi esse prouinciam prædicandi Euangelium apud Gentes, quemadmodũ Petro apud Iudæos*. Verùm hoc non solùm fieri rectè posse, sed etiã debere, docent apertè verba consequentia. Illico enim per parenthesim, tamquam antecedentia sua verba explanans, subiicit Paulus, *qui enim operatus est Petro in apostolatum circumcisionis, operatus est & mihi inter Gentes*. Ex quibus verbis perspicuum est, in proximè antecedentibus, nihil aliud dictum fuisse, quàm Paulo creditam fuisse a Deo prædicationem Euangelii inter Gentes, seu præputiatos, quemadmodum Petro Gal. 2. 7.

inter circumcisos. Et statim addit, *Et, cum cognouissent gratiam, quæ data est mihi, Iacobus, & Cephas, & Iohannes, qui uidebantur columnæ esse, dexteras dederunt mihi, & Barnabæ societatis, ut nos in Gentes, ipsi autem in circumcisionem.* Quæ verba similiter idem planum faciunt. ac simul ostendunt, nullam præterea differentiam inter Paulum, Barnabamque, & Iacobum, Petrum, siue Cepham, Iohannemque in Euangelio prædicando fuisse, nisi, quòd illi Gentibus, hi vero Iudæis illud annunciabant. Vnum igitur & idem Iesu Christi euangelium & Gentibus, & Iudæis annunciatum fuit, non autem duo diuersa, vt ipse falsò arbitraris. quod tamen vnum & idem euangelium, quatenus Gētibus annunciabatur, euangelium præputii, quatenus verò Iudæis, euangelium circumcisionis appellari potuit. quamquam, vt diximus, in illis Pauli verbis Euangelii nomen non ipsum Euangelium, sed Euangelii prædicationē omnino significat.

9. Sed iam tempus est, vt de altera caussa agamus, propter quam de discrimine Legis, & Euangelii sententiam tuam reiiciendam esse diximus. Ea erat, quòd nullum sententia tua inter Legem, & Euangelium discrimen agnoscit, vbi est maximum. Quod antequam explicemus, sciendum est, in hac disputatione, Legis nomine vetus ipsum fœdus, quod per Mosem, Euangelii verò nouum, quod per Iesum Christum Deus cum populo suo sanxit, significari. Et quoniam vtriusq; fœderis duę sunt partes, vna mandatorum, altera promissionum, hîc de mandatis potissimùm disputatur. quamquam de promissionibus simul propter summam, quam ipsæ cum mandatis conuenientiam habent, necessariò agitur. Tu igitur inter veteris, & noui fœderis moralia mandata, de quibus præcipuè quæritur, nullum prorsus discrimen constituis, nec porrò inter vtriusque fœderis promissa vllam differentiam agnoscis. Cum tamen valde multùm inter vtraque intersit. De moralibus mandatis visum est satis in prima huius responsionis nostrę parte. & (ni fallor) perspicuè demonstratum fuit, Iesu Christi plurima moralia mandata multò absolutiora, & perfectiora esse, quàm Mosis de iisdem rebus. Hîc igitur de promissis breuiter agemus, atque ostendemus, lōgè altera ab alteris differre. vt hac etiam ratione, mandata quoque ipsa moralia, quo-

rum

rum seruatorum potissimùm promissiones sunt præmia, altera ab alteris plurimùm distare constet.

Primùm igitur, vt id, quod diximus, ita se habere, in vniuersum demõstremus, eum locum afferimus, qui est in epist. ad Heb. de Christo, *Nunc autem melius sortitus est ministerium, quantò & melioris testamenti mediator est, quod in melioribus repromissionibus sancitum est.* Ac deinde in eadem epist. illum, vbi dicitur, Legẽ nihil ad perfectum adduxisse, sed id fecisse introductionem, seu mauis inuectionem melioris spei, per quam accedimus ad Deum. Legis enim nomine, vt (quemadmodum dictum est) nos in præsente disputatione facimus, totum antiquum fœdus ibi auctor ille manifestè intelligit. quod alibi quoque facit, præsertim verò in ipso cap. 10. initio, in illis verbis, *Vmbrã enim habens Lex futurorum bonorum*, &c. Quo locus præterea idipsum, quod supra dictos duos confirmare diximus, manifestè probat. idque eò aptiùs, quòd, quidquid bonorum habuit Lex, id vmbram præ futuris bonis, quæ scilicet Euangelium allaturum erat, fuisse dicit, vel futurorum bonorum vmbram tantùm habuisse, Euangelium verò ipsam eorum imaginem exhibuisse, non obscurè affirmat. Hæc enim apertè ostendunt, non solùm, quæ promissa fuerunt in Euangelio bona, alia fuisse ab iis, quæ promittebantur in Lege, sed etiam longè alia. quẽadmodum longè aliud est corpus, quàm vmbra, vel etiam ipsa rei effigies, quàm vmbra quædam. Quod quamquam ex eo quoq; colligi poterat, quod in prioribus duobus locis affirmatum fuerat, meliora esse promissa noui, quàm veteris fœderis, &, per Euãgelium meliorem spem inuectam fuisse, quàm per Legem, præsertim, si locorum simul ipsorum circumstantiæ rectè perpendantur, tamen id ex postremi huius verbis, atque sententia aliquantò clariùs, & faciliùs percipitur.

Heb. 8. 6.

Heb. 7. 19.

Verùm ad ipsarum rerum vtrobique promissarum differentiam explicandam accedamus. Non est autem opus hîc rem diligenter pertractare. Sed satis est, inter vtraque promissa certum aliquod idque insigne discrimen esse, ostendere. Atqui certum idque valde insigne discrimen inter veteris, & noui fœderis promissa esse, id euidenter demonstrat, quòd in veteris fœderis promissis nulla æternæ vitæ fit mentio, in noui verò ea potissimùm

commemoratur, atque inculcatur. ita vt ipsa sola verè, & omnino promissa fuisse videatur. Quod de noui fœderis promissis asserimus, adeò manifestum est, adeóque inter omnes constat, vt superuacaneum sit eius rei testimonia proferre. Quod autem de veteris fœderis promissionibus affirmamus, etsi multi hodie (nescio qua ratione) id cõstanter negant, verissimum tamen esse deprehendet, quisquis vniuersam legem Mosis accuratè perlegerit. præsertim verò in iis locis, vbi ipse ex professo, & nominatim ipsas promissiones explicat, atq; enumerat. vt Exo. 23, Leuit. 26, Deut. 7, & 28. Ibi enim nulla prorsus ratione vita æterna inter cætera promissa bona recensetur, sed huius vitæ commodorum tantummodo fit mẽtio. Et tamen, si ea ad illius fœderis promissiones pertinuisset, non modò differè in istis locis sine dubio commemorata esset, verùm etiam, tamquam id bonum, quod ceteris simul omnibus maximè præstat, multò diligentius, quàm reliqua omnia, expositа, atq; inculcata fuisset. Et sanè hæc sola ratio, quæ huius loci valde propria est, satis esse deberet ad demonstrandum, inter veteris fœderis promissa vitam æternam non numerari.

Vt tamen hac de re apertiùs constet, considerandum est, ex multis noui testamẽti locis perspicuum esse, vitã ęternam, quamuis multò antea humano generi a Deo destinatam, atque decretam, a Christo Iesu tamẽ omnium primo Dei ipsius nomine verbis patefactam, & promissam fuisse. Primùm enim Paulus, ad Ti-

2. Tim. 1. 10. motheum scribens, ait, Dei gratiam datam quidem fuisse nobis in Christo Iesu ante tempora sæcularia, sed patefactam esse per illuminationem seruatoris nostri Iesu Christi, *qui* (inquit) *destruxit quidem mortem, illuminauit autem uitam, & incorruptionem per Euangelium.*

Tit. 1, 2. Et ad Titum scribens, ea verba protulit, *in spem uitæ æternæ, quam promisit, qui non mentitur, Deus ante tempora sæcularia, manifestauit autem tẽporibus suis uerbum suum in prædicatione, quæ credita est mihi.* &c. Quid apertius dici poterat, vt intelligeretur, non ante fuisse a Deo patefactam vitę æternæ spem, quàm per Iesu Christi euangelii prædicationem? At deinde Iohannes apostolus in ipso primæ huius epistolæ initio sic scriptum reliquit, *Quod fuit ab initio, quod audiuimus, quod uidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ contrectauerunt*

uerunt de uerbo uitæ (& uita manifestata est, & uidimus, & testamur, & annunciamus uobis uitam æternã, quæ erat apud Patrem, & apparuit nobis) quod uidimus, & audiuimus, &c. Hic manifestè Iohannes, de Iesu Christo, deque eius prædicatione verba faciens, ait, per hæc vitam æternam, quæ priùs apud Deum latebat, sibi, & aliis apparuisse. Idem eiusdem epist. cap. 2. ℣ 25. ita scribit. Et hæc est repromißio, quam ipse pollicitus est nobis, uitam æternam. Nam, de Filio, hoc est de Iesu Christo, vel de Patre, hoc est de Deo per ipsum Filium, seu Iesum Christum promittẽte loqui apostolum, manifestum faciunt verba antecedentia, Si in uobis permanserit, quod audistis ab initio, & uos in Filio, & in Patre manebitis. Ex quibus etiam apertè constat, de Euãgelii prædicatione ibi sermonem esse. Quòd si ante Christum, eiusque euãgelii prædicationem vita æterna a Deo, præsertim verò in fœdere, quod cum populo suo pepigerat, promissa fuisset, perpetuam eius vitæ promissionem eidem populo, vt ex verbo Nobis apparet, factam ad Iesu Christi tempora retulisset Iohãnes, eamque Euangelii prædicationi ascripsisset, Præterea in sacris noui fœderis litteris disertè scriptum legitur, Vitam æternam, quam dedit nobis Deus, in Dei filio esse, Vitam æternam donum Dei esse, quod is nobis per Iesum Christum dedit, Vnius veri Dei, & Iesu Christi, quem ille misit, cognitione vitam æternam contineri, & alia eiusmodi non pauca. quibus aut dicitur, aut certè dici videtur, sine Iesu Christo vitam æternam non dari. Id autem nullo modo factum esset, si ante Iesum Christum iam vitæ æternæ promissum extitisset, vetusque fœdus seruantibus eius vitæ præmium in ipso fœdere sanciendo constitutum fuisset. nisi velimus, in ipso antiquo fœdere Iesum Christum comprehensum esse, atque, vt vulgò & creditur, & iactatur, veteres illos per fidem in Iesum Christum, qui venturus erat, iustificatos fuisse dicamus. quo tamen nihil absurdius, aut a veritate magis alienum dici, vel excogitari potuit. cum Iesus Christus, quatenus, antequam nasceretur, promissus fuit, non in ipso antiquo fœdere per Mosem scilicet sancitũ (de hoc enim loquimur) sed in noui fœderis promisso fuerit comprehensus, & nullo pacto ad istud antiquum fœdus, sed ad nouum prorsus pertineat, veteres autem, vt sẽsus ipse communis apertè docet, non fide noui fœderis, quod promissum tantùm

1. Ioh. 5. 11. Rom. 6. 23. Ioh. 17. 3.

tantùm fuerat, & futurum erat, sed veteris, quod erat præsens, quodque cum ipsis a Deo fuerat percussum, conseruatione, illiusque diuinæ benignitatis, quę sub eo fœdere imperciebatur, participatione iustificati, & Deo cari fuerint. Id quod non sine fide quidem illis cõtingebat. sed longè aliud erat fides ista, quàm credere in venturum Christum. quod numquam ad delenda peccata sua, seu iustificationem consequendam iussi sunt facere. Verùm confidentia, seu fiducia erat, quam in Deo collocabant, certaque persuasio, & Deum esse, & se quærentium eumdem esse remuneratorem. quemadmodum in epist. ad Hebræos fides, sine qua fieri non potest, vt quis Deo placeat, descripta est. qua & veteres illi omnes, etiam antè per Mosem sancitum fœdus, iusti coram Deo sunt habiti, & nos ipsi habemur. Sed non est hac de re hoc loco accuratiùs disputandum, nec etiam valde laborandum, vt ostendatur, priscos illos per fidem in venturum Christum minimè iustificatos fuisse, cum tu ipse (vt arbitror) non aliter sentias, & a communi errore hac in parte discedas.

Heb. 11. 6.

Satis, vt videtur, probatum est, in vetere fœdere, quod per Mosem Deus cum populo suo firmauit, vitam æternam nequaquam promissam fuisse. Quinetiã nonnulla ex iis, quę ad id probandum a nobis allata sunt, in vniuersis veteris testamenti litteris id promissum iis, qui tunc erant, factum fuisse, non legi, haud leuiter sanè demonstrant. Quod idem dominus Iesus non obscurè docuit, cum Iudæis ea verba dixit, *Scrutamini scripturas, quia uos putatis in ipsis uitam æternam habere, & illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me. & non uultis uenire ad me, ut uitam habeatis.* Ex quibus non solùm intelligitur, Iudæos quidem existimasse, vitam æternam in Mosis, & prophetarum scriptis contineri, id est eam illis promissam fuisse, qui inibi mandata seruassent, rem tamen aliter se habuisse, verùm etiam, quid omnino de vetere, nouoque fœdere, quod ad vitam æternam attinet, statui debeat, facilè percipitur. Nempe, vitam æternam in vetere fœdere, vt dictum est, promissam non fuisse, nec in illius fœderis scriptis eam contineri, nisi quatenus in illis olim promissus, ac prænunciatus fuit Christus, deque ipso illa testantur. ad quem hodie ire oportet, si quis vitam æternam habere velit. Ad Christum autem ire, quod Iudęi facere nolebãt, nihil

Ioh. 5. 39.

nihil aliud est, quàm ab ipso velle doceri, & porrò illi cõfidere, eique obedire. quibus rebus summa totius noui fœderis planè continetur.

10. Atque hinc perspicuum esse potest, quàm turpiter erraueris, qui, vt supra indicauimus, pag. 218. dixeris, in propheticis scriptis esse vitam æternam, idque ita dixeris, vt in scriptis apostolicis eam esse, negare videaris. Tua enim verba manifestè quodammodo cum Iesu Christi verbis pugnant, qui, vt vidimus, dixit, Iudæos putasse, se vitam æternam in scripturis habere. nam scripturarum nomine Christum prophetica scripta complexum fuisse, nemo negare ausit. Neque enim simpliciter dixisset Christus, Iudæos id putasse, si id verum fuisset. Sed quia falsum erat, quemadmodum sequentia quoque verba declarant, idcirco ad eum modum sine dubio est locutus. Nec verò dubium est (idque omnibus locum ipsum inspicientibus apparebit) quin, cum affirmas, in propheticis scriptis vitam æternam esse, atque eodẽ tempore eam in scriptis apostolicis esse negare videris, nihil aliud sentias, quàm diuina præcepta, quibus seruãdis vita æterna comparetur, siue illa huius vitæ, in quibus æterna vita consistat, id est, quæ in quocumque fuerint, is vitam æternam adepturus sit, hæc, inquam, omnia ex propheticis scriptis, tamquam ex fonte, petenda, & haurienda esse potiùs, quàm ex scriptis apostolicis, quæ tamquã riuuli quidam inde deriuati existimari debeãt. quę quàm longè a veritate abhorreant, ex iis, quæ paullo ante disseruimus, intelligi posse arbitramur. Cæterùm, etsi asserimus, vitam æternam in vetere fœdere promissam non fuisse, sed promissum istud noui fœderis esse proprium, non tamen propterea eos, qui sub antiquo fœdere Deo confisi sunt, eique paruerunt, ab æterna vita excludimus. Nihil enim impedit, quominus Deus plus illis præstet, quàm promiserit. Meminisse autem oportet, Dei populum sub Lege puero heredi assimilari. Atqui puer heres, quanta sit, quæ sibi obuênit hereditas, nondum intelligit. Nam & idem, vt Paulus, apud quem ista comparatio legitur, ait, quamuis omnium sit dominus, interim tamen nihil differt a seruo. Gal. 4. 1.

Ex hac, quam nos satis probasse speramus, inter Legis, & Euangelii, seu veteris, & noui fœderis promissiones differentia,

quòd in Lege vita æterna promissa non fuerit, in Euangelio verò fuerit, quæ sanè ingens censeri debet, ingens quoque inter vtriusque fœderis mandata differentia necessariò manauit. Quandoquidem planè absurdum fuisset iisdem mandatis tam differentes mercedes adiungere, & non tantam inter mandata, quatenus rei natura, & ratio patitur, differentiam esse, quantam inter promissa, ita vt, qualia promissa sunt, talia etiam mandata esse appareat. Quapropter, cum veteris fœderis promissa ad huius vitæ commoda, terrenamque felicitatem omnia referrentur, nec vltra humanæ conditionis limites extenderentur, consentaneum fuit, vt mandata quoq; eiusdem generis essent, & partim ad corporis ipsius cultum pertinerent, partim in animo excolendo vltra id, quod ipsa humana ratio, nisi corrupta fuerit, dictare potest, minimè progrederentur. &, quemadmodum promissa illa maiore ex parte non veram aliquam & solidam, sed adumbratam quamdam atq; inanem felicitatem cõtinebant, sic decuit, ex mandatis pleraque esse, quæ adumbratam tantùm, & inanem quamdam iustitiam præscriberent. At verò, cum promissa noui fœderis, huius vitæ commodis spretis, cælestem beatitatem nos sperare iubeant, & humanam conditionem omnino exuperent, cõueniens planè fuit, mandata eiusmodi esse, vt, corporis cura neglecta, hominis animum supra id, quod humana ratio per se dictare queat, excolerent, atque perficerent. & quẽadmodum hæc promissa veram prorsus ac solidam felicitatem complectuntur, sic sanè decuit, nihil penitus in mandatis esse, quod ad veram solidamque iustitiam in nobis efficiendam non pertineret. Hinc igitur factum est, vt non modò ceremonialia omnia veteris fœderis mandata, nouo fœdere sanciendo, tamquam vmbra quædam, plena luce adueniente, euanuerint (quod profectò ad vtriusque fœderis maximum discrimen indicandum satis esse deberet) verùm etiam ipsa moralia præcepta, vt, exemplis ipsis allatis, supra demonstratum fuit, multò absolutiora, ac perfectiora reddita fuerint. Nec verò, cum tanta & in promissis, & in mandatis inter vetus, nouumque fœdus a nobis differentia statuitur, aliqua ex iis, quæ noui fœderis propria esse dicimus, in ipsis etiam antiqui fœderis scriptis indicata esse negamus, & ipsius vitæ æternæ, quæ

Deo

Deo obedientibus danda esset, subobscuras significationes exta-
re non confitemur. Immo, nihil ita noui fœderis proprium esse,
affirmamus, quin eius indicium aliquod in vetere testamento ap-
pareat. Nam, vt Erasmi viri (meo quidem iudicio) diuinarum
rerum scientissimi, atque hoc nostro, superioribusque multis sæ-
culis planè incomparabilis verba hîc adscribam, *Quum uetus testa-*
mentum fuerit umbra, ac ueluti progymnasma philosophiæ euangelicæ, maximè
congruebat, ut nihil adferret Christus, cuius non aliqua uel umbra, uel scintilla
præcessisset in ueteris testamenti libris, quò propensior esset omnium fides ad rem
non omnino subitam atque inexpectatam. Igitur quicquid Christus præstitit, pro-
missum est sacrorum uatum oraculis, adumbratum est figuris, & carptim etiam
expressum est, ueluti subinde promicantibus hinc, atque hinc scintillulis aliquot,
quæ lucem illam post erupturam orbi portenderent. Atque hoc tam præ-
claro tanti viri testimonio locum hunc concludere volumus, fu-
siùs fortasse aliquando, atque exactiùs, Deo volente, de Legis, &
Euangelii, seu de veteris, & noui fœderis discrimine pro rei am-
plitudine, ac dignitate disputaturi.

In epist. quæ in calce noui test. transl. solet ap poni. cuius initium est, Quan quam in rebus, &c.

XLIII. Iam alibi obseruatum est, ex doctrina tua necessariò consequi, non licere mitem ac clementem esse, iniuriarumque patientem. Verùm, ne, quò id te sentire statueretur, solis consecutionibus perpetuò agendum esset, disertis verbis eam sententiam ex parte in responsione tua scriptam extare voluisti. Sic enim legitur pag. 276. *Ergo non licet nostra, absque iure alijs rapientibus, concedere.* 1. Quis verò vmquam in christiana religione ciusmodi decreta locum habere posse cogitasset, quæ propter eorum iniquitatem, atque immanitatem quamdam ne in ipsis quidem ethnicis rebuspublicis locum sint habitura?

2. Sed operæpretium est videre, qua ratione tam iniquum decretum confirmes. Igitur post modò recitata verba tua statim subiicis, *postquam ex re donata, non licuit aliquid aut subtrahere Ananiæ, aut donare & non integrum dare Ecclesiæ, plus enim est nostrum quod possidemus quã quod nobis pro dono offertur.* Si in his verbis de eo loqueris, quod ipse Ananias iurè facere non potuerit, Primùm, quid attinet donationis mẽtionem facere, cum nulla prorsus donationis rei iam donatæ, seu partis eius, quam Ananias facere in animo haberet: in ea historia mentio fiat? Deinde, quid hoc ad rem? Neque e-

nim quæritur hîc, quid raptori facere non liceat, sed ei, qui rapinam patitur. Sin autem de eo loqueris, quod aliis cum Anania facere non licuerit, quem locum hîc subtractio habere potest? Quod verò ad donationem attinet, non quidem non potuisse ex re ab Anania donata aliquid ipsi Ananię donari, & non integrum id, quod Ananias donauerat, Ecclesiæ dari, sed Ecclesiam ipsam ex eo, quod sibi Ananias donauerat, ipsi Ananiæ aliquid donare non potuisse, dicendum, & demonstrandum tibi fuerat. Quòd si fortasse Subtrahendi verbum ad Ananiam refers, Donandi verò ad alium quempiam, vt, Ananiam quidem minimè iurè ipsi Ananiæ donare potuisse, dicere volueris, quamquam, quidquid senseris, malè omnino sententiam tuam expresseris, pessimè tamen, vt omnes animaduertent, sententiam istam tuam expresisti. ac præterea in ea sola duo vitia simul cõiunxisti, quę seperatim in duobus aliis iam expositis animaduersa fuere. Nam & planè extra rem de eo es locutus, quod Ananiæ facere non licuerit, &, cum de ipsa Ecclesia, quæ Ananiæ, id quod ipse ex re iam donata subtrahebat, donare non potuerit, verba facere debuisses, de alio quopiam verba fecisti. Adde, quòd, etsi verissimum est, non licuisse cuipiam alii ex eo, quod Ananias Ecclesiæ donauerat, vel potiùs se donare professus fuerat, aliquid ipsi Ananię donare, & nõ integrum Ecclesiæ dare, tamen hoc ex ipsa historia non liquet, ex qua sola tu vniuersam hoc loco dicti tui confirmationem petis. 3. At denique concludens ais, *Quare si licuit Petro non cedere raptori absque iure suum palliantis donauerat, licebit etiam cuiuis nõ cedere raptori absque iure suum palliantis, id quod Ana-*. Nihil hîc explico de insignibus huius tuæ argumẽtationis vitiis, ea enim superioris partis posteriore capite abunde ostensa sunt. Sed dico, te perperam, aut certè ineptè ad hunc modum ex antedictis inferre. Antea enim nõ de eo, quod licuerit, sed de eo, quod non licuerit, actum fuit.

XLIV. Supra visum est, te inter prius Iesu Christi iudicium, quod scilicet excidendâ Hierosolymâ exercuit, & posterius, quod vltimis tẽporibus exerciturus est, hoc discrimen constituere, quod in priore quidem hostes tantùm, qui extra ipsius castra erant, vltus fuerit, in posteriore verò eos tantùm, qui, intra ipsius castra se continen-

se continentes, operati fuerint iniquitatem, sit vlturus. Sic enim te sentire, ex iis apertè constat, quæ leguntur pag. 99. Vbi etiam acerbè admodũ huiusce rei occasione contra Racouienſium scriptorem inueheris, inquiens, *Quoniam autem hæc scriptor iste non secernit, ob hoc in multos & fœdos errores sordidæ ignorantiæ indices se & alios inducit.* 1. Atqui tu ipse alibi hæc non secernis, &, tibi ipsi manifestè contrarius, de priore iudicio agens, postquam dixisses, Christum primùm omnium inimicos suos, qui noluerãt ipsum regnare super se, interfici iussisse, in extrema pag. 277. statim adiungis, *Deinde infideles dispensatores in partes dissecuit & abiecit à se.* Ex quibus verbis perspicuum est, te asserere, in priore iudicio nõ in eos tantùm, qui extra castra Christi erant, sed in eos quoque, qui intra ipsa castra degebant, ab ipso Christo animaduersum fuisse. Rursus in posteriore, non in eos tantùm, qui intra ipsius castra erunt, sed in eos quoque, qui extra fuerint, animaduersurum esse Christum, satis apertè, vt alibi diximus, in iis verbis affirmas, quæ illico sequuntur, *Quin & postremo tempore repurgabit regnum suum, non solum ab alienis sed etiam à domesticis minus sibi obtemperantibus & pœnis damnabit mortis.* Immo ex his verbis non ineptè, vt arbitror, colligere quis possit, te in ea sententia esse, vt posterius Christi iudicium aduersus domesticos quidem, siue eos, qui intra ipsius castra erunt, exercendum sit, sed præcipuè tamen, & magis propriè aduersus alienos, siue eos, qui extra castra fuerint. aut certè, vt de his magis constare videatur, quàm de illis. Sic enim omnino significare videntur verba illa, *non solum ab alienis sed etiam à domesticis*, atque hæc eius locutionis vis esse solet. Verùm, quod attinet ad posterius iudicium, supra satis inconstantia, errorque tuus suo loco indicatus a nobis fuit. Hoc autem loco de iis, quæ ad prius iudicium pertinent, differendũ videtur, & non solum ex eo, quòd tibi ipsi aduerseris, sed alia etiam ratione demonstrandum, te in errore versari.

Palæologus sibi contrarius.

2. Et sanè, cum ais, Christum in priore iudicio in dispensatores illos infideles animaduertisse, non video, quomodo id cuiquam, qui sanæ mentis fuerit, probaturus sis, Certè in ea Christi parabola, ad quam te respexisse necesse est, seruus ille, quem dominus super familiam suam constituerat, vt illis daret cibum

Matth. 24. 4. 5.

in tempore, ipsius Christi ministrum significat. quemadmodum ex eo patet, quòd vniuersum sermonem illum Christus cum suis discipulis habuit. ad eos autem, quibuscum loquebatur, eam parabolam pertinere, & eorum monendorum gratia illam a Christo dictam fuisse, apertius est, quàm vt negari vllo modo possit. Sed quid hac ratiocinatione est opus? Nonne in ea parabola dominus ille manifestè ipse Christus est? Ergo seruus a domino illo super familiam suam constitutus, vt ipsius Christi minister sit, necesse est. Atqui, in priore suo iudicio Christum neminem ex suis ministris in partes dissecuisse, aut legimus, aut verisimile est. Quamquam ego propter sequētia verba (vt alii quoq; senserunt) nihil dubito, quin verbum ἀποτομεῖν eo in loco non quidem in partes dissecare, siue in duas partes secare, vt verbum proprie significat, sed penitus separare declaret. Sed neque hac etiam, nec vlla alia pœna quemquam ex suis ministris in priore illo iudicio Christus affecisse traditur.

Quid autem dicemus, quòd in iudicio isto, eiusque ordine explicando adhuc multipliciter laberis? 3. Primùm enim falsum est, quod ais, Christum in isto iudicio primùm omnium curasse, vt ante se adducerētur inimici sui, qui ipsum super se regnare noluerāt, eosque interfici iussisse. In eo enim loco, in quo solo apud euangelistas de interficiendis istis inimicis agitur, & quem tu legi iubes, in parabola, inquam, illa, quam Christum dixisse, narrat Lucas, homo ille nobilis, qui Christus est, accepto regno, antequam suos illos inimicos interfici ante se iussisset, iam seruos suos vocari iusserat, quibus pecuniam, cum peregrè ad quærendum sibi regnum abiturus esset, ad negotiandum dederat, atque eos pro meritis aut præmio, aut pœna affecerat. quod sine dubio pars totius illius iudicii fuit. 4. Ex quo deinde sequitur, ibi reuera (etsi supra alicubi idem tecum sensisse videamur) de priore Christi iudicio non agi, cum, vt paullo ante dictum fuit, in eo iudicio de solis apertis inimicis suis Christus pœnas sumpserit, nec præterea vlla præmia, aut certè non ea, quæ ibi intelligi possunt, in eo iudicio fidelibus, vt inibi appellantur, ac bonis seruis suis dederit. 5. Adde, quòd homo ille nobilis, rex factus, postquam inimicos illos suos ante se adduci, atque interfici iussit, nihil amplius

Luc. 19. 15.

pliùs feciſſe legitur. & tamen tu confidenter, vt ſoles, non dubitas affirmare, poſt ſupplicium iſtud de ſuis inimicis ſumptum, eum, id eſt Chriſtum, infideles diſpenſatores in partes diſſecuiſſe, quaſi ſic ſcriptum eodem loco extet. cum tamen eius rei ibi nulla fiat mentio, ſed in altera tantùm illa parabola, quę apud Matthęum extat, id a domino in ſeruum, quem familiæ ſuę præfecerat, factum fuiſſe legatur, aut potiùs legi videatur. 6. Huc poſtremò accedit, quòd, ſi parabolam iſtam cum ea, quę eſt apud Lucam, coniungēdam eſſe velimus, & vtrobique de eodem tempore, eodemque Chriſti iudicio agi, nihil eſt, cur ſupplicium de inimicis ante pœnas de infideli diſpenſatore ſumptum fuiſſe, omnino ſtatuamus, non autem poſtea. An non potiùs contrà fieri debet, cum iudicium de ſeruis, quibus pecuniam ad negotiandum data fuerat, ante inimicorum ſupplicium fuiſſe legamus? Nam profectò ex eo coniicere licet, de domeſticis priùs, deinde de alienis in vniuerſo illo iudicio actum eſſe. *Palæologi confidentia.*

Alibi iam dixi, me vereri, ne tu, quidquid de Chriſto poſt mortem magiſtratu facto dicas, ei reipſa hoc tempore, quod inter prius, & poſterius eius iudicium intercedit, magiſtratum adimas, id eſt eum otioſum conſtituas. Me autem non malè opinatum fuiſſe, ea demonſtrant, quę ſcribis pag. 278. vbi ais, Chriſtum muneris ſibi poſt mortem delati neminem reliquiſſe ſucceſſorem, ſed œconomum (vt ita dicas) reliquiſſe patrem Deum, regni ipſius prouinciam patre in ſe recipiente. & in eiuſdem pag. fine, & ſeq. initio affirmas, Chriſtum curam regni Deo patri commendaſſe, quoad ſibi omnia fuerint ſubiecta. Sed pag. quoque 280. in ipſo initio leguntur de Chriſto hæc verba tua, *pro poſteriore* (munere) *curando nullum miſit, quoniam ſatis erat pater Deus, qui hanc curam ſuſceperat in ſe ſolum.* XLV.

Quamquam hæc tua de Chriſti regno, eiuſque regni cura, ſiue adminiſtratione ſententia adeò & euidenter falſa, & inſigniter inepta, aut certè tibi ipſi contraria eſt, vt ad errorem tuum patefaciendum, ſic te ſentire oſtēdiſſe, plus ſatis videri debeat, tamen quia ea ſimul & maximè deteſtabilis eſt (quippe quæ omnis chriſtianæ pietatis ruinam facillimè ſecum afferat, inque Chriſtum, ac Deum ipſum planè ſit iniuria) & iam quorumdam animos occupare

cupare cœpit, operæpretium erit, quàm breuissimè fieri poterit, errorem istum alia præstantiore ipsiusque rei propria ratione detegere.

1. Dico igitur, sententiam istam tuam, quòd Christus hodie regnum suum ipse non administret, vel ex vno libro Apocalypsis manifestæ falsitatis conuinci. in quo ferme vniuerso, maximè verò a fine primi cap. vsque ad quarti initium, inducitur Iesus christus ecclesiæ suæ curam gerens, eamque, quam & in cælo, & in terra habet, potestatem exercens. Cum enim, vt summo consensu ab antiquissimis sacrarum noui testamenti litterarũ interpretibus, rerumq; ecclesiasticarum scriptoribus traditum est, visio, quæ in eo libro narratur, imperante Domitiano, ob idque post Hierosolymitanum excidium contigerit, non est, quòd quis ea, quæ de Christo ibi dicuntur, ad illud tẽpus omnino referẽda esse cõtendat, quod Hierosolymæ excidium, & sic prius ipsius Christi iudicium antecesserit. Hoc tu sine dubio prospiciens, omnium veterũ auctoritate spreta, librum istum ante desolatam Hierosolymam scriptum esse vis. adeò vt, quæ in eo de Babylonis ruina prædicuntur, ad eius vrbis desolationem referas. vt ex iis patet, quæ leguntur ad finem pag. 320. 2. Qui insignis valde tuus error est, non modò quia in rebus historicis veterum & temporum, de quo agitur, proximorum auctoritati standum est, verùm etiam quia plurima de Babylone illa dicuntur, quæ nullo modo ad vrbem Hierosolymorum accommodari possunt. & inter cætera, quòd iam haberet, vel habitura ante suum excidium esset regnum super reges terræ, quòd ex vino irę scortationis eius bibissent, aut bibituræ essent omnes gentes, quòd cum illa scortati fuissent, aut scortaturi essent reges terræ, quòd igne comburẽda esset, quòd non esset futura ampliùs, quòd deniq; antequam caderet, diceret in corde suo, *Sedeo regina, & uidua non sum, & luctum non uidebo.* Præterea indubitatum esse debet, visionem illam, si non post excisam Hierosolymam, at certè paucissimis annis ante cõtigisse, vt septem illarum ecclesiarum, nõ tamquam planè recentium, sed tamquam iamdudum existentium, & Nicolaitarum hęresis mentio inter alia apertè demonstrat. Atqui satis apparet tot, tantaque in ea visione, tãquam ante Babylonis illius ruinam futura

Apoc. 17. 18.
14. 8.
17. 2.
18. 3.
8.
21.
7.

futura, aut prædicta, aut ostensa fuisse, vt nullo modo tam breui
rēporis spatio fieri potuerint. nec sanè, quomodo facta fuerint,
ostendi vlla ratione potest. Est igitur, vt prædiximus, valde in-
signis hic error tuus, qui putes, Babylonis nomine in vaticinati-
one illa Hierosolymam significari. in quem errorem (ita grauis,
ac manifestus est) nullo pacto incidisses, nisi Christo post Hiero-
solymæ excidium regni sui curam adimeres. Ex hac enim senten-
tia tua omnino sequitur, Iohanni visionem illam, in qua Christi
regnum suum administrantis fit mentio, ante Hierosolymę exci-
dium apparuisse. Quod si ita esset, fieri non posset, quin in ea va-
ticinatione excidium istud prędictum fuisset. At, nisi Babylon ibi
Hierosolymam significet, non est, vbi, id prædictum in ea fuisse,
vel leuiter quidem suspicari liceat. Verùm ex hoc ipso, quòd, si
visum illud Iohanni ante Hierosolymę vastationem apparuisset,
sine dubio ea in illo prædicta fuisset, quódque, si ea in illo præ-
dicta fuit, vt sub excidii Babylonici nomine id factum fuerit, neces-
se est, concludendum omnino tibi fuerat, non ante Hierosolymę
vastationem, sed post, Iohanni apparuisse visum illud. cum satis
manifestum sit, ea, quæ de Babylone ibi prædicuntur, nulla rati-
one ad vrbem Hierosolymam accommodari posse. Ex quo, vt
dictum est, planè consequitur, Christum etiam post Hierosoly-
mitanum excidium regnū suum per se ipsum administrasse, cum
id faciens in ea visione apertissimè inducatur.

3. Sequitur, vt, quàm inepta, aut certè tibi ipsi contraria sentē-
tia tua sit, videamus, vnde eius quoque falsitas liquidò constabit.
Nam aut reuera Christo ante Hierosolymæ excidium sui regni
curam concedis, aut non concedis. Si non concedis, quomodo
ea vera esse possunt, quæ multis in locis tantopere vrges, atque
contendis de Christo, quòd post mortem, cum iam regnum, ad
quod accipiendum venerat, nouo regno addito, esset adeptus, ex
agno leo sit factus, quòd gladii potestatem, tamquam magistra-
tus, exercuerit, quòd inimicos suos, qui ipsum super se regnare
noluerant, adduci, & ante se interfici iusserit, & alia eiusmodi, de
quibus supra vidimus, quæ præsentem omnino ipsius Christi sui
regni curam declarant? Sinautem Christo ante excisam Hiero-
solymam, vt satis patet, sui regni curam concedis, quid causę est,

cur postea adimas, eamque patri suo eum commendasse dicas? Num fortasse post illud tempus aliquò abiit Christus, vnde regno suo administrãdo ipse sufficere non posset, vel ita aliquibus aliis in rebus occupatus est, vt huic muneri vacare nequeat: Num fortè dormit interea? Nam non ita te amentem esse crediderim, vt eum iterum mortuum esse dicas. Quòd si Christus non aliquo abire potuit, vnde regno suo per se ipsum administrando par esse non posset, si nullis aliis occupationibus impeditur, si denique perpetuò & viuit, & vigilat, ineptissimum sanè est vel cogitare, eum post illud tempus sui regni curam patri commendasse. præsertim cum ea de re ne verbum quidem in diuinis litteris extet.

Iam verò Christum aliquò abire non potuisse, vnde suo regno per seipsum administrando satis esse non posset, id sanè demonstrat, quòd iam inde ab initio, cum hinc abiret, in cælum profectus est, in illud, inquam, cælum, quod oculis nostris non apparet, nec apparere potest, & supra omnes aspectabiles cælos est. Ephes. 4. 10. Nam, ipsum supra omnes cælos iam tum ascendisse, Paulus apertè testatur. qui locus sine dubio omnium remotissimus a nobis est. Quocirca, si inde potuit Christus ipse regnum suum hîc inter nos (de hoc enim ipsius regno loquimur) administrare, qui locus tandem erit, vnde idem facere non possit? Quamquam ad ostendendum nullum esse tam remotum a nobis locum, vnde Christus regnum suum inter nos administrare ipse non queat, satis est, Christum ipsum aliquando corpore a nobis absentẽ illud administrasse, & eius corporalem præsentiam ad hoc, vt illud ipse administret, nequaquam requiri. Potestate enim planè diuina ipsi concessa id factũ fuisse, necesse est. Atqui eiusmodi potestas nullis locorum spatiis includi, aut terminari potest. Hæc eadem potestas nos satis admonet, nullas esse alias tantas occupationes, quibus Christus, sui regni administratione neutiquam deposita, vacare non possit. Tametsi nihil insulsius excogitari potest, quàm, Christum regni sui curam abiicere, vt aliis rebus vacet. Nec tu sanè istud vis. nempe qui illum, vt infra patebit, quiescere dicas. Alioqui potuisset fortasse aliquis pro te dicere, Christũ quidem regnum suũ administrare, sed illud, quod in cælis habet. non posse autem ipsum eodem tempore id, quod habet in terris, simul administrare.

ministrare. Quod tamen quàm ridiculè dictum censendum esset, cum ex iis, quæ dicta sunt, perspici potest, tum per se quisque facilè iudicabit. præsertim, cum regnum, quod habet in cęlis Christus, ad eius, quod in terris habet, gubernationem omnino spectet, vtque hoc administrare queat, illud ei a Deo patre datum fuerit. Cæterùm, vt viuere, sic perpetuò vigilare Christum, nemo (opinor) negauerit, qui meminerit de eo ab auctore epist. ad Heb. scriptum esse, quòd possit ad plenum seruare eos, qui per ipsum accedunt ad Deum, semper viuens, vt interpellet pro eis, & pleraque alia apud eumdem scriptorem legerit, quæ Christũ in cælis perpetuò aliquid agẽtem, acturũque demõstrãt. quæ omnia vnicâ illâ sententiâ ab ipso toties repetitâ, & variis modis explicatâ atque inculcatâ comprehẽduntur, Christum æternum, perpetuumque sacerdotium in cælis habere. Nam, quòd complures hodie hoc ad efficacitatem mortis eius, & sanguinis fusionis, quę in ęternum, ac perpetuò duret, prorsus referri volunt, in eo istos mirificè deceptos fuisse, vel id docere potest, quòd idem scriptor ait, oportuisse, vt Christus per omnia fratribus similis fieret, vt esset misericors & fidelis pontifex in iis, quæ apud Deum, ad expianda peccata populi. nosque non cum habere pontificem, qui non possit affici sensu infirmitatum nostrarum, sed per omnia similiter periclitatum citra peccatum. Quocirca monet, vt cum fiducia ad thronum gratię accedamus misericordiam consecuturi, & gratiã inuenturi ad opportunum auxilium. Hinc enim manifestum est, Christum, quatenus est sacerdos, aliquid reuera agere, immo expiationem, quam perpetuò facit peccatorum nostrorum, perpetuam quoque ipsius præsentemque actionem secum coniunctam habere, ab eaque iugiter proficisci. Quod nihil aliud est, quàm Christum perpetuam suorum curam habere, eosq; potentiâ suâ ab omnibus malis, quibus ira diuina peccata punire solet, perpetuò defendere, ac conseruare. Hæc autem ideo sub sacerdotii perpetui nomine explicantur (ipsius sanguinis fusione potissimùm viam ad appellationẽ istam aperiente) vt semper agnoscatur, omne Christi nos gubernandi munus, & potestatem a Deo ipso proficisci, atque pendêre.

Heb. 7. 25.

Heb. 2. 17.

4. 15.

16.

Sed iam videndum est, ecquid tu afferas ad probãdum, Chri-

ſtum Deo patri regni ſui curam commendaſſe, id reipſa apud te
eſt, Chriſto quieſcente, Deum patrem eius regnum adminiſtran-
dum ſuſcepiſſe. namq; hac ratione apertiùs adhuc de falſitate hu-
ius tuę ſententię conſtabit. Affers autem, quòd Deus pater Chri-
ſto dixerit, *Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos*, &c. Nam, cum
Pſal. 110. 1. in his verbis Chriſtus a patre ſedere ſit iuſſus, idque, donec ipſe ei
omnes inimicos ſubiecerit, hinc credis demonſtrari, Chriſtum
quieſcere, & interim Deum patrem illius regnum adminiſtrare.

Iam verò (vt hoc primùm dicam) cum, vt ipſe omnino con-
cedere videris, Chriſtus aliquãdo regnum ſuum per ſeipſum ad-
miniſtrauerit, nec, vt ante oſtendimus, vlla cauſſa ſit, cur ipſe ſua
ſponte ab eo adminiſtrando ceſſauerit, reliquum profectò eſt, ſi
eum ab adminiſtratione iſta ceſſaſſe velis, vt eum Deus pater ad
tempus quodammodo exauctorauerit, id eſt aut vires, aut munus
ſui ipſius regni adminiſtrandi illi ademerit. 4. quo nihil abſurdi-
us dici poſſe exiſtimauerim. 5. Verùm, quando ita rem ſe habe-
re, intelligebas, haud ſatis rectè locutus es, cum dixiſti, Chriſtum
ſui regni curam Deo patri commendaſſe. Hoc enim non obſcu-
rè ſignificat, Chriſtum ſua ſponte eò deueniſſe, vt vel nollet, vel
non ampliùs poſſet ſuum regnum adminiſtrare.

Credis igitur, vt ad rem redeamus, *Sede a dextris meis, donec*, &c.
nihil aliud eſſe, quàm Dei patris iuſſum, vt Chriſtus quieſcat, dũ
ipſe eius regnum adminiſtrat. Pag. enim 280. verborum iſtorum
ſententiam ad hunc modum reddis, *Quieſce tu & ſede. Ego cæteras per-*
ficiam. 6. Atqui primùm verbum Sedere, quãuis ſimpliciter pro-
latum, per trãſlationem metonymicam non ſemper quieſcere ſi-
gnificat, ſed interdum etiam regnare, & ius dicere. Deinde in ver-
bis iſtis non ſimpliciter prolatum fuit, ſed vnà cum illis, A dex-
tris meis, ſiue, vt in hebræo codice legitur, Ad dexteram meam.
quod profectò non quietem, ſed ſupremam poſt illum, qui ſic lo-
cutus eſt, auctoritatem, & poteſtatem declarat. Apertiſſima e-
nim tranſlatio eſt ab eo, quod reges terræ facere conſueuerunt,
qui eum, quem poſt ſe primum gradum auctoritatis, & poteſta-
tis habere volunt, ad dexteram ſibi aſſidere iubent. nam ſolent a-
lioqui reges imperium ſuum ſedendo exercere. Itaque tantum
abeſt, vt ex verbis iſtis quies a Deo patre Chriſto mandata colli-
gi poſſit,

gi posſit, vt iis omnino, ſummæ ſecundùm ipſum Deum auctoritatis, & poteſtatis exercēdæ munus illi a Deo mandatum fuiſſe, ſignificetur. Quòd ſi quis intelligere velit, quid ſit Sedere a dextris, ſiue ad dexteram alicuius, quidu e ſignificet, Chriſtum a Dei dextris, ſiue ad Dei dexteram ſedere, hos locos præcipuè inſpiciat, Eccli. 12. ℣ 12, Matth. 20. ℣ 21, & cap. 26. ℣ 64, Luc. 23. ℣ 69, Act. 2. ℣ 34, Ephes. 1. ℣ 20, Heb. 1. ℣ 3, & cap. 8. ℣ 1, 1. Pet. 3. ℣ 22. Ex his enim, & ſimilibus locis ſine dubio intelliget, ea locutione nullo modo Chriſti quietem, ſed ſummam eius præſentemque auctoritatem, ac poteſtatem ſignificari. Nec verò aliquem mouere debet, quòd Deus, cum ſedere a dextris ſuis Chriſtum iubet, ea verba adiungat, *Donec ponam*, &c. quaſi Chriſtus ipſe nihil interea in ſubigendis inimicis ſuis agere debeat. Sic enim loquitur Deus, non vt Chriſtum ab agendo excludat, ſed vt oſtendat auctoritatem, & poteſtatem, quam Chriſtus ipſe in inimicis ſuis ſubiiciendis exercere debet, a ſe profectam eſſe, ſeque eum futurum, qui per ipſum Chriſtum eius inimicos illi ſubiiciat. Huius rei, qui anteceſsit, typus, hanc ipſiſsimam veritatem eſſe, omnino declarat. Dauid enim, dum ſibi ſubiicerentur inimici ſui, nō modò interea otioſus non fuit, ſed ipſemet omnia, Deo adiuuante, peregit, perque ipſum illi Deus omnes eius inimicos ſubiecit. Quemadmodum igitur Dauid, poſtquam illi a Domino dictum fuit, *Sede a dextris meis, donec*, &c. a regno ſuo adminiſtrando nō ceſſauit, immo ex eo tempore maximè illud adminiſtrare cœpit, ſic intelligendum eſt, Chriſtum, poſtquam idem ipſi a Deo patre dictum fuit, non ſolùm a ſuo regno adminiſtrādo non ceſſaſſe, ſed tunc maximè illud adminiſtrare cœpiſſe. Chriſtum porrò, dum ipſi omnia ſubiiciuntur, non quieſcere, ſed ipſum eſſe, qui poteſtate ſibi a Deo conceſſa id faciat, perſpicuè docet Paulus, qui, ad Philippenſes ſcribens, ait, dominum Ieſum corpora noſtra vilia transfiguraturum, vt glorioſo ipſius corpori conformia reddantur, idque ipſum facturum pro ea efficacitate, qua ſibi omnia etiam ſubiicere poteſt. 1. Reg. 5. 3. Philip. 3. 21.

7. Verùm, quàm ineptè, ac perperam ex verbis illis, *Sede a dextris meis, donec*, &c. probare coneris, Chriſtum quieſcere, nec per ſe regnum ſuum adminiſtrare, vel id, teipſo iudice, oſtendere po-

teſt, quòd Chriſtus, ſimulatque hinc abiit, a dextris Dei ſedit, ſi-
Mar. 16. 19. bique a patre verba iſta dici audiuit, vt Marcus, & Petrus non
Act. 2. 34. obſcurè teſtantur. Quamquam ſatis eſt, id ante Hieroſolymo-
rum excidium factum fuiſſe, vt diuinorum ſcriptorum alia teſti
monia paſsim docent. Siquidem, vt dictum fuit, tuipſe ante illud
tempus, poſtquam a mortuis reſurrexit, Chriſto ſui regni admi-
niſtrationem attribuis, aut certè nullo pacto, eum quieuiſſe, con
cedis. Ex quo apparet, te iſtorum verborum, *Sede a dextris meis*,
Palæologus ſe ipſum refellit. &c. interpretatione tua tibi ipſi aduerſari, atq; id refellere, quod
antea vehementer probaueras. Illud, quicquid tu hac de re ſen-
tias, certiſsimum eſſe debet, Chriſtum poſt ſuum in cælum aſcen
ſum, & ſic poſtquam a dextris Dei ab ipſo Deo ſedere eſt iuſſus,
donec ei omnes inimicos ſubiiciat, regnum ſuum per ſeipſum ad-
miniſtraſſe. quemadmodum non ſolùm Apocalypſis liber, vt an-
tea diximus, planiſsimum facit, ſed hiſtoria quoque actorum a-
poſtolicorum, maximè in iis, quæ ad Paulum apoſtolum perti-
nent, abunde oſtendit. Vt nihil dicam de compluribus eiuſdem
Pauli, & aliorum apoſtolorum in ſuis epiſtolis teſtimoniis, & ip
ſius Chriſti apud euangeliſtas prædictionibus, & pollicitation-
bus, quæ idem apertiſsimè confirmant.

Animus erat huius ſententiæ tuæ, quòd Chriſtus hodie quie-
ſcat, nec ipſe regni ſui curam habeat, ingentem impietatem, &
ſimul maximam, quam ſecum affert, perniciem pluribus explica-
re. Sed iam modus huic reſponſioni noſtræ adhibendus eſt. Ita-
que ſatis erit, ſi pauca quædam hac de re dixerimus. Dico igi-
tur, ideo maximè impiam ſententiam iſtam tuam eſſe, ſiue, vt an-
te locutus ſum, in Deum, Chriſtumque eius ſummè iniuriosam,
quòd & Dei opus præſtantiſsimum, in quo ſuprema eius ſumma
manum genus bonitas, ac beneficētia elucet, planè tollit, & Chri
ſto honorem, & gloriam, quæ, vt præcipua, ſic propria eius eſt,
adimit. Nam in quo (obſecro) tantam erga homines benigni-
tem, ac liberalitatem oſtendit Deus, quantam in eo, quòd homi-
ni illi Ieſu Nazareno, qui Chriſtus dicitur, quemque aliorum ho
minum cæleſti quadam ratione in terris viuentium, atque eà vi
ad immortalitatem contendentium ducem, ac principem ipſe
conſtituit, tantam poteſtatem dedit, vt eiuſmodi homines per-
petuò

petuò in hac mortali vita ab omnibus Satanæ, & mundi insidiis, atque iniuriis tutos reddere, ac vindicare queat? Quid porrò ip si Christo vel conuenientius, vel honorificentius, quàm, in cælis manentem, ecclesiam suam, quæ in terris degit, regere, & gubernare, ab ipsaque iugiter & adorari debere, & in suis necessitatibus cõfidenter inuocari posse? Atqui hæc cessant omnia, si Christo hoc tempore sui regni per seipsum administratio non concedatur, ipsumque quiescere statuitur. Quinimmo neq; etiam Christus, seu Dei populi rex ipse est reuera, si Dei populum non regit. Hinc perspicuum est, quàm pernicioſa sit sentẽtia tua. Nam, si Christum non habemus, immo, si Iesus ille Nazarenus iam reuera Christus nõ est, vana est fides nostra, & vana omnis religio nostra. qui ideo Christiani appellamur, quòd Christum, seu regem habeamus, qui ex Dei voluntate nos iustissimè, ac sapientissimè regat, nostrique perpetuam curam gerat, donec tandem ipsius opera planè felices euadamus. Atque hunc Iesum illum Nazarenum esse dicimus, a quo & viuendi præcepta habemus, & immortalitatis spem hausimus. Sic enim cum ab ipso, tum ab eius apostolis edocti sumus. Quamobrem & ipse, & illi insignes impostores, & falsarii fuerunt, si id verum non est. & idcirco nulla prorsus eorum dictis fides adhiberi, nec potest, nec debet. Huc accedit. quòd, etiamsi, quidquid cæteroquin Iesus, eiusque apostoli dixerunt, verissima esse credamus, nisi tamen credimus, Iesum ipsum Nazarenum, qui eadem mala expertus est, quibus nos obnoxii sumus, eiusque opem in necessitatibus nostris haud frustra a nobis implorari, summo ac præcipuo infirmitatis nostræ fulcimento destituimur, quod Deus optimus & sapientissimus ad nos inter tot angustias, & calamitates consolandos, & roborandos excogitauit. ac proinde vix, aut ne vix quidem rectum euangelicæ pietatis cursum tenere possumus. sed de arcta illa salebrosaque via, quæ ad æternam salutem ducit, deflectentes, in alteram spaciosam & planam, quæ ducit ad interitum, facillimè transgredimur.

Iam, Palæologe, crediderim, me insignioribus erratis tuis colligẽdis, & patefaciendis, id effeciſſe, quod potiſsimùm quærebam, & te minimè eum esse ostendisse, cui de rebus sacris aliquid XLVI.

affirmanti fides temere adhiberi queat. Quare, etsi multa adhuc
supersunt insignia errata, quibus librum tuum referfisti, tamen
hic finem te exagitandi faciam, si modò grauissimum, eumque
multiplicem quēdam errorem tuum, qui passim in tuis hisce scri
ptis deprehenditur, priùs indicauero, & palam traduxero. Mi-
rum est enim, quomodo, cum tantopere in Christi præceptis in-
terpretandis a Racouiensibus dissentias, & complura, quæ illi,
homini christiano facere, minimè licere aiunt, tu eum & jurè fa-
cere posse, & debere contendas, ipsos tamen Racouiēses Fratres
appellare, & tamquam cum iis, qui eiusdem ecclesiæ tecum sint,
agere non dubites. Nam & alicubi disertis verbis id profiteris,
veluti cum in ipso pag. 275. initio sic ais, *Quare nos, ut sciatis, à uobis*
quamuis in una Dei Ecclesia sumus, differimus, &c. 1. Numquid (rogo)
ii in vna Dei ecclesia aut sunt, aut esse dici possunt, qui alii alios
Dei mandata minimè tenere arbitrantur, atque ea vel facere, vel
non facere affirmant, vnde & Dei obedientia pereat, & proximi
charitas, vbi maximè oporteret, ibi minùs retineatur? Quis au
tem erit, qui, cum audiat, te Racouiēses pro fratribus, eiusdemq;
tecum ecclesiæ Dei membris agnoscere, non arbitretur, eos in
iis saltem, de quibus inter vos aperta disputatio non est, tecum
sentire, præsertim si alicuius in religione momenti ea esse cōstet?
Itaque, si scriptis tuis fides est adhibenda (vt cætera omittam)
Racouienses, Christum hodie quiescere, nec regnum suum per se
ipsum administrare, & propterea in precibus nostris eum frustra
inuocari, vnà tecum statuere, credendum nobis est. Quod tamen
falsissimum esse, ipsemet probè nosti. quippe qui nullos istius im
pietatis capitaliores hostes experiaris, quàm eos, qui ex eo cœ-
tu sunt reliqui. Quoties igitur Racouienses Fratres vocas, & te
eiusdem cum ipsis ecclesiæ esse præ te fers, toties eos grauissimè
calumniaris, nec (vt leuissimè dicam) quid loquaris, satis cogi-
tas. Sed (quod turpius adhuc est) teipsum interea nefariorum,
proditorum, desertorum, infidorum, impiorum denique prorsus, & christiano nomine indignorum hominum fratrem, atque
consortem facis. Etenim hæc omnia, vt alibi diximus, prioris
scripti tui pag. 32, & 46. iis tribuis, qui nulla ratione aduersus ho
stes patriam inuadentes arma capere, eisque, cum suorum licèt

Palæologi calumnia cum incogitantia coniuncta.

salute

salute, perniciem afferre volunt. Tales autem Racouienſes eſſe, tu profectò ignorare non potes, qui nihil aliud agis, quàm vt eos ab iſto propoſito deterreas.

Agnoſce igitur inſignem ſaltem vel inconſtantiam, vel ſimulationem tuam, cum Racouienſes Fratres appellas, & in eadem tecum Dei eccleſia eſſe ais. Nemo certè erit præter te ipſum, qui, in alterutrum ex iſtis vitiis, vel potiùs in vtrumque ſimul te turpiſſimè lapſum eſſe, non planè agnoſcat. præſertim, ſi animaduerterit, quot, quantaſque in ipſa quoque reſponſione, ſeu poſteriore ſcripto tuo ſignificationes dederis animi tui a Racouienſibus alieni, tamquam ab iis, qui a veritatis, & ſalutis via longè abſint. Potiſsimùm verò, ſi ea conſideraueris, aut ſaltem legeris, quæ de ipſis ſcribis pag. 319, his verbis. *ita & uos rident homines, & tam ſtupida ponderа terræ mirantur, ueſtris ſtultis, ineptis febricitantium ſomnijs prætendere Ieſu Chriſti, ſanctiſsimi uiri, prudentiſsimi prophetæ, oculatiſsimi hominis, fortiſsimi ciuis, argutiſsimi oratoris, opulentiſsimi Regis decreta eo ſtreta à uobis, quod illa non quæratis intelligere, eo impij uos, quod quæ ſtultè & per ſocordiam diſſolutas concepiſtis animo opiniones, in gratiam Chriſti deponere non uultis, ſed illarum Chriſtum facitis autorem, abs quibus opinionibus tantum abeſt Chriſtus, quantum uos à ueritatis Euangelicæ uia. Nec conuicia hominum in ipſum Chriſtum prouoluuntur, ſed in capite ueſtro reſident, quoniam Chriſtum pro capite habere non uultis, ſed reſidere in ueſtra ignorantia cupitis, cum ipſe ſit ueritatis Euangelicæ ſapientia.* Hæc ſcripta ſunt a te non in aliquo diſputationis ardore, nec, cum Racouienſium mentē nondum ſatis exploratam haberes. ſed ſedatè, ac quietè, & cum iam, quid Racouienſes ſentirent, ex eorum ad tuum ſcriptum reſponſo optimè noſſe poſſes, & porrò, te noſſe, planè crederes. Nec ſolùm, qua dictum eſt ratione, & tempore hæc a te ſcripta ſunt, ſed etiam ſponte edita, &, antequam ederentur, in aliquot annos, vt apparet, preſſa. vt nulla penitus tam fœdi erroris tibi excuſatio relinquatur. Quamquam ſatis eſt, vt omni prorſus venia indigniſsimus videare, te in eo ſcripto hæc de Racouienſibus dixiſſe, eoſq; ſtupida admodum terrę pondera eſſe, ſuaq; ſtulta & inepta ſomnia Chriſto affingere, eius autem vera decreta vt intelligant, non quærere, impios eſſe, & a veritatis euāgelicæ via multùm abeſſe, Chriſtū deniq; pro capite habere nolle, ſed in ſua ignorantia permanere

Palæologus aut ſimulat, aut ſibi non conſtat.

tia permanere velle, constăter affirmasse, in quo eos ante aliquot paginas in vna tecum Dei ecclesia esse dixeras. Sed & ea quoque hic describere operæpretium fuerit, quæ ibidem de iisdem in fine pag. 315, & seq. initio scripsisti ad hunc modum, *Dicitis nos Mosen introducere in orbem Christianum uelle abiecto Christo, & uos ignoratis quid & quis sit Moses, Christus, Apostoli, Euangelium, Lex, Lux, tenebræ, mandata Christi, patientia Christiana, sermo crucis, carnis repagula, uindicta secundum Christi mandatum.* Hæc addiscetis si, &c. Quid ampliùs de hominibus ethnicis, & Dei, Christique cognitionis planè expertibus dicere potuisses? Hos tu tamen homines siue vnà tecum, siue cum quouis alio in vna Dei ecclesia esse dicere non dubitabis? Verùm iam satis superque multiplex iste grauissimusq; error tuus indicatus a nobis, palámq; traductus est. Quod eò potissimùm feci, ne quis fortasse, tuis verbis inductus, Racouienses, eosue, qui cum illis sentiunt, ex eadem tecum ecclesia aut esse, aut fuisse suspicetur, illosque impiarum, de quibus inter vos non controuertitur, quas toto libro tuo disseminasti, opinionum, & sententiarum tuarum participes esse censeat. sed te ipsum (id quod illis vehementer optandum fuerat) rem aliter omnino se habere, testimonium dedisse, intelligat. Nec sanè absque Dei iusto iudicio factum est, vt tu, dum Racouienses, quanta maxima potes, iniuria afficere conari videris, summo, quo poteras, beneficio eos affeceris, inuidiaque ista, in quam apud pios omnes tuâ culpâ incurrisse poterāt, quòd eiusdem ecclesiæ tecum esse crederentur, tu ipse eos exolueris, ac liberaueris.

Quod superest, Palæologe, nihil dubito, quin meam te reprehendendi, increpandique libertatem, qua in vniuersa ipsa refpõsione, maximè verò in postrema hac eius parte perpetuò sum vsus, ægrè admodum laturus sis. Sed meminisse debes, nulla remedia (vt ille ait) quæ vulneribus adhibentur, tam facere dolorem, quàm, quæ sunt salutaria. Si antiqua vulnera tua, quibus totus oppletus es, adhuc sanabilia sunt, nos profectò eiusmodi remedia iis adhibuimus, quibus sanari posse videātur. Tu modò medicamenta nostra ne spernito, neue abiicito. Cumque nihil aliud (Deus est testis) mihi propositum fuerit, quàm, vt non aliis tantùm, sed tibi quoque, si fieri posset, aliqua ratione prodessem, hunc labo-

hunc laborem meum, qualiscumque is tandem sit, in meliorem partem accipe. meque ad immortalitatem Dei beneficio per fidem, quæ est in Christum Iesum, assiduè contendentem, si quo modo vicissim iuuare potes, iuua.

RESPONSIONIS AD IACOBVM PALAEOLOGVM pro Racouiensibus finis.

Mendosos in Responsione pro Racouiensibus locos sic restitue.

Pagina 2. uersu 11. aliter, atque ipsi 5. 10. permulta 35. 20. omnes, qui 38. 12. consulentes, omittenda *Hic tamen locus in plerisque exemplaribus emendatè legitur.* 50. 2. ad magistratui, nec ne, resistendum 82. 7. ipsis, ne quis 93. 4. quod 98. 20. aut prætermissum 100. 22. postmodum 108. 31. Dicitur 109. 4. sic 111. 23. Audistis 117. 7. præcipit? 129. 22. reperisset 137. 9. iurisiurandi *& sic ubique* 139. 29. accedat, quæ 156. 3. ostendimus 161. 14. *Ab hoc uersu deinceps per totam sequentem pag. où cum accentu graui acuti loco sæpius legitur* 168. 10. est, quam 180. 2. quo 202. 10. *Dele* omnibus 205. 34. illi 210. 36. *Paulus* 221. 9. 1. Hîc tu 225. 20. 2. Sed videamus 227. 6. Atque horum 233. 9. Posterius hoc an rectè ab ipsis negatum fuerit 14. Prius autem illud, vt rectissimè negatum est 236. 36. ipsi nec christianum 237. 29. sibi ipsis 240. 32. traditurus erat 242. 21. & 31. Iudææ 244. 10. & iam præcepta 254. 9. accipiendum esse 272. 7. videntur 34. 1. Primùm 274. 11. hîc quæri 278. 36. indicium 285. 1. offensæ condonationem 303. 23. *peregrinus* 307. 11. nec istius 309. 15. Michææ *& sic deinceps* 312. 31. historici. Nam de Maximo, qui, Gratiano interempto, imperium occupauit, quique, Valētiniano adhuc Arrianis fauente, Homousianum se professus est, nihil attinet dicere. is enim Tyrāni potiùs, quàm Imperatoris locum obtinet. 2. Non 313. 9. vel scriptum est, vel indicatum 317. 1. *-bit regnum* 324. 6. 4. Præterea 332. 13. apostolicis 337. 25. vbi fidelis priùs infidelis fuerit, sed etiam, vbi per petuò fuerit fidelis 345. 26. reprehendens, dixit 351. 33. sancito 360. 16. perspiciens *In Præfatione pag. 5. uer. 6. aliter, atque ipse Lector ora operarum errata quilibet per se facilè emendabit.*

1564577
OCN 48599991

si mane ipō die dominice cōtinuo
celebretur · aquo tempore precedens nocte iūiandō recedit · et eciam dum
opinionem eius nō incurrit qī sic ordinatō iēunij · nam ut vna dies
fingatur sabbm̄ z dñica · nam sic ordo epūlus · pot confirm̄ die dñica · re
quiem nō celebretur · ordinatō iēunij nec quod fingatur die sabbi trahi
ad dñicam · sed si quis ordinet mane die dñica posse hoc facere · sine ordinā
cōe iēunij · nō ai qđ · i sabbō magno paschali nō celebratur ordo qr nec m̄
missa cancellat · de q · dr · ut · sabbato diait quida · q̄ illi ordines qui celebrā
tur die dñica trahunt ad sabbuatum · z nō fit ordinatio die sibi qui sabba
tum sqr̄ requiem · z qui ordinatur in sabbo ad requiem dicalem requiescit
· n · alia horis secularibz vmē · dicebat spāle · de sabbato paschali ut missa ē

nō q̄ ista

Primū ponitur q̄ sic sine dñe presul
Monogamus sobrius prudens omnē · z pius
Casta tuens non pauor non luxuriosus
Non cupidus vñ diligitus ñ neophitus · ne.
Talis aplica que presit regula iustit

55-1960

hodie talis quaestio esse possit reprobari ut dictum talis quaestio esse si debeat si
vnus sit epc̃us qui omnibus presumpserit de offic. ordi. quia impleri &c.

Expte nra. Ad nostros. Si quis fuit dubitauit ad hui[us] q̃ms. de dubitetur
Quia monachus iste fuit apostata. vel non debuit admitti ad ordinem
actus. ut. vij. q. iij. beatus et ita videtur qd alias non posset dispensare cum
eo qz tpe quo recepit ordines suspensus erat. ar. j. de cler. z c. cum boe. z. j.
Quia ad tenuium redit. j. de apostatis. c. i. et. l. di. c. ult. quia dicuntur apostate
fide. vj. q. vij. non potuisse si monasticum ad q̃ reassumpserunt finem maiorem reli
gionis quam non percepunt. j. de regularib. licet z quamcumque ei potuit ordi
ne suscepto libere minus stricte et ita hic intelligitur finis. Si vero minoris aut
pretaxate mortalitatis. z alias ei. Et dispensandum alii non debet misereri
Quod translationem. j. ordinatur extra quatuor tpa sic est in antiqua
compilatione z sic vñ. facit ad tenuium de. xxa. ix. q. j. lugd. lxxi. di
c. i. j. z iij.

tolleratur hec finis cum pena. Si nullo uti hic. j. mut. ar. j. de pen. ar. j. de pre
cariis. dudum z forte pp mandatum z mandatur ei tollatur. ar. 8. c. cum
ex. xxij. q. ult. Si non possit mos non tollatur. j. de offic. ord. qui impleri